

KALEVALA
Latina



KALEVALA LATINA

Carmen epicum nationis Finnorum
in perpetuam memoriam
anniversarii centesimi quinquagesimi
transtulit Tuomo Pekkanen
Praebente sumptus Collegio anni festi
Kalevalae celebrandi edidit
Societas Kalevalensis

SOCIETAS KALEVALENSIS HELSINKI 19

SOCIETAS LITTERARUM FINNICARUM

KALEVALASEURA
SOCIETAS KALEVALENSIS
SUOMALAISEN KIRJALLISUUDEN SEURA
SOCIETAS LITTERARUM FINNICARUM

Secunda editio
Typographica designatio Urpo Huhtanen
ISBN 951-717-901-4
Pieksämäki 1996
Sisälähetysseuran kirjapaino Raamattutalo

Praefatio

Kalevala est carmen epicum, quod Elias Lönnrot ex poesi Finnorum populari composuit. Eam primum annis 1835–1836 duobus voluminibus edidit nomine *Kalevala taikka vanhoja Karjalan runoja Suomen kansan muinosista ajoista* (Kalevala sive vetera Carelorum poemata de priscis Finnorum temporibus). Hoc opus, quod 'Kalevala vetus' vocari solet, 12 078 versus in 32 cantiones divisos continet. Eius prologum Lönnrot die 28° mensis Februarii subscripsit, qui dies festus Kalevalae natalis in Finlandia quotannis agitur. Anno 1985°, qui centesimus et quinquagesimus fuit a carmine primum edito, Kalevala praecipuis festivitatibus non solum in Finlandia sed etiam apud exteras nationes celebrata est.

Secunda Kalevalae editio, quae tanta erat nova materia amplificata, ut 22 795 versus in 50 cantiones divisos haberet, anno 1849° publicata est. Haec 'nova Kalevala' est epos Finnorum nationale, quod proprie *Kalevala* appellatur et habetur.

Nullus exstitit liber Finnice scriptus apud peregrinos tam notus quam Kalevala. Totum opus in 35 fere linguas translatum est (vide Rauni Puranen, *The Kalevala abroad, Translations and Foreign-language Adaptations of the Kalevala,* Suomalaisen Kirjallisuuden Seura 1985) et his ipsis temporibus complures novae versiones aut iam perfectae sunt (Hindice, Hispanice, Hollandice) aut praeparantur (Bulgarice, Graece, Hungarice, Suahilice, Syriaenice). Kalevalae maximum inter nationes pondus et momentum ei rei tribuendum est, quod compositione cum poesi populari stricte coniungitur.

Elias Lönnrot (1802–1884), qui Kalevalam creavit, in paroecia Finlandiae Meridionalis *Sammatti* humili loco – pater eius sartor erat – natus est. Ut erat puer egregia indole, potestatem habuit scholam adeundi et postea, in Academia Aboensi artibus humanis eruditus, candidatus philosophiae factus est scripta Latina dissertatione *De Väinämöine priscorum Fennorum numine* (1827). Postquam et medicinae studiis se dedidit, annos viginti (1833–1852) in oppido *Kajaani* Finlandiae Septentrionalis medicus fuit provincialis. Praecipuam tamen operam dedit poesi populari colligendae et linguae Finnicae excolendae, ut ea quoque re probatur, quod annis 1853–1862 professor linguae et litteraturae Finnorum fuit in Universitate Helsingiensi.

Annis 1828–1844 Lönnrot undecim itineribus factis terras ab Oceano Arctico et Mari Albo ad litora orientalia Lacus Onegae et Esthoniam Meridionalem pertinentes peragravit. Quibus itineribus effectum est, ut maxima copia poematum popularium a temporibus antiquis traditorum, quae antea nisi leviter non erant cognita, in lucem prodiret. Aestate 1834 circiter 25 700 versus iam collegerat et annotaverat (Kaukonen 1979, 59) et anno 1848°, cum Kalevalae novam editionem pararet et ab aliis collectoribus, qui eius exemplum secuti erant, 100 000 fere versuum accepisset, dicere potuit se tantam materiam habere, ut ex ea septem Kalevalas diversas componere posset. Poesis popularis Finnorum, postea a multis collectoribus adaucta, edita est annis 1908–1948 in opere *Suomen Kansan Vanhat Runot* (Poemata vetera populi Finnorum), quod 33 voluminibus circiter 1 270 000 versuum continet.

Quia annotationes, quibus usus Lönnrot Kalevalam composuit, omnes fere adhuc restant, viri docti, A. R. Niemi et Väinö Kaukonen imprimis, origines carminis explicaverunt. Ex commentariis, quibus Kaukonen (1956) Kalevalae secundam editionem instruxit, videri potest, qua ratione Lönnrot materiam, quam habebat, usurpaverit. Summa rei haec fere est: a) versus, qui in Kalevala et in excerptis poematis popularibus similes sunt, 33 % ex omnibus versibus Kalevalae comprehendunt; b) versus, quorum orthographiam, linguam aut rhythmum Lönnrot correxit aut mutavit, 50 %; c) versus, qui a Lönnrot ex elementis popularibus compositi sunt, quamquam eorum similes in poesi populari non inveniuntur, 14 %; d) versus a Lönnrot compositi et alii, quorum similes populares versus esse non videntur, 3 % (Kaukonen 1979, 72).

Non solum formam versuum popularium sed etiam res ipsas narratas et nomina propria Lönnrot saepius mutavit, ut narrationis tenorem in Kalevala servaret. E.g. in cosmogonia Kalevalana (cantio I) primas partes recepit "virgo vento nata", ex qua Väinämöinen nascitur; in poemate populari ipse Väinämöinen is est, super cuius genu avis aquatica nido constructo ova parit. Similiter per totum fere carmen Lönnrot heroas principales cum aliis, in versibus popularibus nominatis, mutavit fecitque eos tales res gerentes, quas in nullis fontibus narratas ipse animo finxerat. Et de rebus ad culturam Finnorum veterem pertinentibus monendum est Kalevalam esse carmen ficticium a Lönnrot arte compositum neque exactam veritatem nisi ex ipsis fontibus popularibus posse indagari.

Kalevalae argumentum principale est vita Väinämöinis, quam ob rem carmen cum Odyssea Homeri comparari potest. Ea quae post Väinämöinem ex maris coniuge natum (cantio I) et ante eius discessum (L) eveniunt, duobus argumentis coniunguntur: 1) quomodo heroes inter se aemulentur, quis eorum virginem Borealem uxorem ducat; 2) quomodo Sampo produca-

tur et rapiatur. Prior pars carminis descriptione nuptiarum Borealium (XX–XXV) finitur, cum virgo Borealis Ilmarini, fabro Samponis, nubit. In parte posteriore narratur de rapina et ruina Samponis et de multis rebus, quae ex his ipsis sequuntur. Ambo de Lemminkäine episodia (XI–XV et XXVI–XXX) et de Kullervone fabulam (XXXI–XXXVI) Lönnrot exemplum Homeri secutus velut deverticula argumentis principalibus inseruit. Homerica est etiam ratio, qua Lönnrot varias carminis partes coniunxit causas rerum postea narrandarum demonstrando aut res in carmine iam antea descriptas lectori repetendo (Kaukonen [1]1986). Quamvis tenor carminis Kalevalani quodam modo sit dissolutus, tamen narratio ipsa ordine logico firmiter procedit.

Postquam cosmogonia et ortus Väinämöinis narrata sunt (I–II), describuntur certamen Väinämöinis et Joukahainis et casus tristes, qui inde oriuntur (III–VI). Joukahainen in certamine inferior factus Ainonem, sororem suam, Väinämöini promittit et ita efficit, ut illa pereat. Ainone amissa Väinämöinen in Aquilonem proficiscitur, ut virginem Borealem in matrimonium petat, sed postquam Joukahainen eum ulcisci conatus est, dorso aquilae levatus, male afflictus eo pervenit. Tum incipit episodium de fabricatione Samponis (VII–X). Väinämöinen promittit se Ilmarinem missurum esse, qui Samponem Borealibus cudat, ipse autem navem virgini Boreali faciens sese male vulnerat. Domum reversus Ilmarinem in Aquilonem mittit, qui ibi Samponem cudit.

Primum de Lemminkäine episodium (XI–XV) cum argumento principali ea re iungitur, quod etiam Lemminkäinen in Aquilonem ad pulchram virginem Borealem petendam advenit. Primos labores, quos anus Aquilonis (domina Borealis) pro virgine impetranda ei praecepit, feliciter perficit, sed cygnum Mortis dum petere conatur, a pastore, quem antea contempsit, occisus in Mortis amnem inicitur; unde postea a matre salvatur et in vitam recreatur.

Quamquam virgo Borealis Ilmarini, fabro Samponis, iam promissa est, nihilo minus Väinämöinen, sorte sua haud contentus eam sibi petere conatur (XVI–XIX). Väinämöinen nave, Ilmarinen equo vectus in Aquilonem veniunt, ubi virgo Samponis fabricatori se nupturam esse pollicetur. Ut antea Väinämöini (VIII) et Lemminkäini (XIII), ita Ilmarini quoque labores imperantur, quibus virginem sibi mereatur. Omnibus laboribus ab eo perfectis nuptiae parari incipiunt et hospites invitantur (XX). Lemminkäinen solus ad nuptias non invitatus causam habet Boreales ulciscendi.

In descriptione nuptiarum Borealium (XXI–XXV), quae primum in Aquilone, deinde domi Ilmarinis celebrantur, stilus epicus in lyricum et dramaticum mutatur. Maxima pars huius sectionis in cantibus nuptialibus consistit (vide indicem in fine huius operis). Eminet inter convivas Väinämöinen, qui nuptiis finitis pro hospitibus gratias agit.

In altero de Lemminkäine episodio (XXVI–XXX) de incepto audaci narratur, cum is in Boream profectus dominum Aquilonis gladio occidit, quo fit, ut fugere coactus apud puellas cuiusdam insulae lateat. Denique bello contra Boreales suscepto rebus infectis domum revertitur, ubi manet, donec (XXXIX) tertius heros expeditionis in Aquilonem faciendae fiat.

De Kullervone fabula (XXXI–XXXVI) laxius cum cetero carmine coniungitur quam alia episodia, nam Kullervo et eius familia in aliis atque in his cantionibus non nominantur. At mors dominae Ilmarinis, quae virgo fuit Borealis, a Kullervone parata, prima est causa inimicitiarum inter Kalevalam et Aquilonem, ex quibus inimicitiis tandem sequitur, ut Sampo pereat. Cantio XXXVII de sponsa aurea Ilmarinis transitum ad reliquum carmen facit et natura potius didactica est quam mythica, quod exit Väinämöine admonente, ne quis postea auream nuptam procetur.

In cantionibus XXXVIII–XLIX narratur, quomodo Sampo rapiatur et frangatur et quibus rationibus domina Borealis Kalevalanos ulcisci infeliciter temptet. Haec narratio, quamvis argumento cohaereat, tamen multis modis fragmentaria et parum consistens apparet. Rerum cursus incohatur, cum Ilmarinen rursus procus factus Aquilonem petit et a sorore pristinae coniugis repulsus eam rapit et in avem aquaticam incantando mutat. In hoc itinere videt, quam felices Boreales Samponem habentes vivant, quo fit, ut una cum Väinämöine expeditione parata Samponem rapere constituat (XXXVIII–XXXIX).

Expeditio feliciter incohata interrumpitur, cum nablium (Finn. *kantele*) ex maxilla lucii conficitur et omnes praeter Väinämöinem, quin etiam Boreales, frustra psallere conantur (XL–XLI). Postquam Väinämöinen omnium animos cantu commovit, iter continuatur.

De Sampone certamen (XLII–XLIII) ita finitur, ut ea ipsa fracta Kalevalani superiores fiant. Väinämöinen, quod nablium in mare lapsum recuperare non potuit, de victoria laetus novum instrumentum ex betulla facit et denuo totam naturam cantu suo capit (XLIV).

Casus tristes populi Kalevalani, in cantionibus XLV–XLIX descripti, ex rapta Sampone eveniunt, cum domina Borealis rapinam ulcisci conatur. Morbi, quos misit, a Väinämöine validis incantationibus sanantur et ursus contra Kalevalanorum armenta excitatus prosternitur. Epulae, quae urso capto sollemni ritu celebrantur, laeto Väinämöinis cantu finiuntur. Maximum periculum Kalevalanis sole lunaque rapta infertur, sed id quoque avertitur, cum domina Borealis intellegens se causa cecidisse lunam et solem ex monte Aquilonis liberat.

Ultima Kalevalae cantio cum argumentis antea explicatis nulla alia re nisi sorte Väinämöinis coniungitur. Filiolus Marjattae, a Väinämöine in paludem damnatus, eum de iniuria accusat. Quo facto Virokannas senex puerulum

baptizat, ut sit "rex Carelorum, custos cunctae potestatis". Tum Väinämöinen iratus et confusus navem ingressus in ignotas regiones abit navigans "versus terras celsiores, imos fines firmamenti". Cum filiolus Marjattae in baptismo rex et potestatis custos nominatus sit, in mundo Kalevalano nova aetas incipit, ubi nullus est Väinämöini locus.

In Kalevala componenda Lönnrot ea visione ductus est, quod poesis popularis Finnorum antiquissima de temporibus paganismi narraret. Cantionem popularem de iudicio et discessu Väinämöinis, quam in ultima Kalevalae cantione componenda adhibuit, ad victoriam Christianitatis de paganismo pertinere arbitrabatur. Eo fit, ut Kalevala sit fictio Lönnrotiana de priscis temporibus Finnorum paganorum, describens, quomodo tum vixerint et quid cogitaverint.

Ex ratione, qua Kalevala composita est, sequitur, ut quaedam themata saepius repetantur (e.g. procatio, labores procis imperati, cantus Väinämöinis), alia vero episodia velut autonoma appareant. Eos, qui carmen ideo velut parum conforme reprehenderunt, Väinö Kaukonen ita docet ([2]1986, 456): "the continuity and wholeness of the work does not follow the rules and laws of classical epic theory. Continuity in the Kalevala has its own laws, of which the most easily recognizable constitute the trinity: narrative, lyric, incantation. The continuity of the Kalevala cannot be understood merely as narrative progression, for another essential factor that must also be taken into account is the mythical outlook of the epos, where incantations and other lyric verse play a dominant rôle."

Hierarchiae Kalevalanae dominatur Ukko, deus supremus omnipotens, qui et creator et pater caelestis invocatur. Nympha vento nata, quae maris coniux facta Väinämöinem parit, ex deis deabusque naturae eminet. Tres nymphulae, ex manibus Ukkonis natae (IX 39–66), ferro dant primam originem. Numerus numinum minorum in Kalevala infinitus fere est, nam nulla est planta, nullum animal, nullum corpus, qualecumque sit, quae suum genium aut nympham non habeant. Id praesertim ex verbis magicis et incantationibus videri potest, quae a Lönnrot in eis locis carminis posita sunt, quo secundum mores ritusque antiquorum pertinebant. In toto carmine incantationes, origines et alia verba magica plus quam 4000 versuum comprehendunt (vide indicem in fine huius operis). In cantione XVII, ubi numerosissima sunt, praecipui sunt vv. 191–238, in quibus origines facinorum et maleficiorum 48 versibus tanto impetu explicantur, ut ei catalogo vix parem in litteris Finnorum invenias (cf. Kaukonen 1979, 176).

Ex hominibus et heroibus 30 fere nomine aut alioquin in Kalevala indicantur. Plerique per totum carmen eisdem epithetis appellantur, e.g. "vetus vates", "cantor ille sempiternus" (Väinämöinen), "vir lascivus", "Kaukomieli, homo bellus" (Lemminkäinen), "anus Aquilonis", "raris dentibus

matrona" (Louhi). Indoles moresque humani aut fortunae vices insolitae in multis personis carmine descriptis singulari modo conspiciuntur: Väinämöinen est verax et sapiens heros, qui arte musica omnes praecellit; Ilmarinen, faber impigerrimus, vir probus et fidelis describitur, Lemminkäinen autem superbus et gloriosus, licet fortis heros; Louhi domina Borealis est industriosa et imperiosa, quae prompta voluntate et ulciscendi cupiditate eminet; mater Lemminkäinis, ut etiam Kullervonis, symbolum est maternae caritatis, Aino castitatis virginalis; virgo Borealis exemplum praebet feminae, quae suae pulchritudinis bene conscia sibi confidit; Joukahainen et pastor Borealis, qui Lemminkäinem occidit, morum pravitatem multis modis illustrant. De Kullervone fabula, 2196 versibus composita, artis creativae Lönnrotianae velut culmen habetur, nam personae principales et fata tristia eorum multo subtilius in ea sunt depicta quam in poematis popularibus, ex quibus Lönnrot episodium creavit.

Res maximi momenti ad narrationis Kalevalanae tenorem consolidandum est fictio Lönnrotiana de duobus populis, scil. Kalevalanis et Borealibus, quorum rationes et mutuae relationes in carmine ita progrediuntur, ut inimicitiae inter eos oriantur. Ex hac oppositione duorum populorum tensio quaedam dramatica et ratio ethica in totum fere carmen derivatur. Cum de procatione et nuptiis narraret, Lönnrot relationes Kalevalae et Aquilonis mutuas multis argumentis ad amores et vitam matrimonialem pertinentibus lepide variavit. Nomen *Kalevala*, quo Lönnrot domicilium Väinämöinis, Ilmarinis et Lemminkäinis vocavit, in poesi populari rarissime occurrit. Postquam diu multumque rem consideravit, Lönnrot et totum carmen *Kalevala* appellavit, quia, sicut ipse in operis praefatione scripsit, "et quaedam carmina Homeri a Graecis 'Ilias' vocantur, quamquam omnes res in eis narratae apud Ilion non sunt gestae". Sine dubio id quoque exemplo Homerico effectum est, ut oppositio supra dicta Kalevalanorum et Borealium a Lönnrot in Kalevalam induceretur (Kaukonen [1]1986).

Quam stricte Kalevalae carminis ortus et origo cum doctrina romanticorum coniuncta sint, satis notum est (Kaukonen [1]1984). Eius doctrinae sectatores Teutonici cogitare solebant fuisse quondam aetatem heroicam, quae carminibus in ore populi traditis adumbraretur. Ita F. A. Wolf in suis *Prolegomenis ad Homerum* (1795) opera Homeri ex carminibus, quae a multis per saecula cantata essent, sexto demum a. Chr. n. saeculo Athenis collecta, ordinata et edita esse censebat. Quae theoria Wolfiana, Aboae Finnorum iam ab anno 1796° vulgata, effecisse videtur, ut Lönnrot intellegeret etiam ex poematis popularibus apud Carelos traditis carmen epicum componi posse (Kaukonen 1979, 50; [1]1986). Hoc modo Kalevala accommodatio quaedam est doctrinae Wolfianae ad prisca Finnorum carmina, quippe cum Lönnrot ipse se ita in usu ostendisse crediderit, quomodo opera Homeri orta essent.

Licet quaestionem Homericam non solvisset, demonstravit tamen magnum et satis uniforme epos more a Wolf proposito ibi posse creari, ubi poesis popularis abundaret (Kaukonen [1]1986).

Dubium non est, quin Kalevala carmen etiam symbolice possit explicari. Sicut Sampo a Lönnrot ipso – in lectione anno 1858° habita – symbolum quoddam culturae et progressionis humanae existimata est, ita carmen, in quo de Sampone proelium insignem tenet locum, pro narratione de aeterno hominis certamine ad perpetuam felicitatem et fortunam obtinendam haberi potest (Kaukonen 1985, 368; [2]1986, 457). Summa narrationis Kalevalanae iis verbis continetur, quibus Väinämöinen iam abiturus de suo reditu vaticinatur (L 493–500):

> rursus me desiderabunt,
> exspectabunt et optabunt,
> ut reficiam Samponem
> faciamque novas fides,
> ut apportem novam lunam
> et resolvam novum solem,
> cum nec erit sol nec luna
> neque gaudium sub divo.

Ita Elias Lönnrot, vir humanissimus, symbolice ostendit magnos vates et culturam ab iis creatam firmum esse fundamentum, quo perpetua felicitas generis humani niteretur.

Ad Kalevalam componendam multum adiuvabat, quod poesis epica et lyrica, cantus nuptiales, incantationes, quin etiam proverbia et aenigmata popularia apud Finnos ubique eodem rhythmo, allitteratione et parallelismo ornato, utuntur. Versus popularis Finnorum est rhythmicus trochaicus octosyllabus *(váka vánha Váinämöinen)*. In huiusmodi versu, cum regularis est, accentus non est nisi in prima, tertia, quinta vel septima syllaba. Tamen dimidia fere pars versuum Kalevalae Finnicae talis est, ut accentus semel saepiusve in secunda, quarta vel sexta syllaba sit, e.g. *saa'ani sánelemahan* (I 4 ut incipiam cantare). In omnibus enim verbis Finnicis accentus semper est in prima syllaba, quo fit, ut verbum trium vel quinque syllabarum in versu populari aegre collocari possit, quin rhythmus de regulari trochaico abhorreat. Rhythmus regularis fieri non potest, nisi versus ex verbis parem syllabarum numerum habentibus consistit: *murti suuta, väänti päätä* (III 272 torquet vultum, versat caput) = quattuor verba binarum syllabarum, quod illustratur numeris 2222; *siitä seppo Ilmarinen* (IX 207 inde faber Ilmarinen) 224; *petäjäinen selkä lyö'ös* (VI 157 dorsum pineum ferito) 422; *liitti liinajäntehelle* (VI 150 ante filum adaptavit) 26; *istuellen ikkunoilla* (VI 67 ad fenestras assidendo) 44. Typi 242 et 62 tamen rarissime occurrunt, quia

verbum quattuor syllabarum in medio versu locari non amat et verba longiora potius in fine quam in initio versus plerumque ponuntur. Trochaicus fit rhythmus omnium versuum Finnicorum popularium, cum cantantur, sicut antiquitus fieri solebat. Cum recitantur, regulares trochaici sunt solum typi 2222, 224, 242, 422, 44, 26, 62, ceteri irregulares. Recitari (non cantari) solebant apud Finnos incantationes et verba magica.

In versione Latina versum octosyllabum ita usurpavi, ut rhythmi mutationem ∼ ∼́ pro ∼́∼ in primos duos pedes interdum admitterem (e.g. II 233 omnimodae crescunt herbae, XXII 276 socero satis maligno, cf. Meyer I 85–86), in tertium pedem non nisi semel (I 1 animus meus agitat, *mieleni minun tekevi),* cum carmen incipere vellem imitatione rhythmi Finnici. Schemata versus, quae ita usurpari possunt, haec sunt:

a)	1111112	∼∼∼∼∼∼∼́∼
b)	111113	∼∼∼∼∼∼∼́∼
	111122	∼∼∼∼∼́∼∼́∼
	*111212	∼∼∼∼́∼∼∼́∼
	112112	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
	*121112	∼∼́∼∼∼∼∼́∼
	211112	∼́∼∼∼∼∼∼́∼
c)	11114	∼∼∼∼∼∼∼́∼
	*11123	∼∼∼∼́∼∼∼́∼
	11132	∼∼∼∼∼́∼∼́∼
	11213	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
	11222	∼∼∼́∼∼́∼∼́∼
	11312	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
	*12113	∼∼́∼∼∼∼∼́∼
	*12122	∼∼́∼∼∼́∼∼́∼
	*12212	∼∼́∼∼́∼∼∼́∼
	13112	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
	21113	∼́∼∼∼∼∼∼́∼
	21122	∼́∼∼∼∼́∼∼́∼
	*21212	∼́∼∼∼́∼∼∼́∼
	22112	∼́∼∼́∼∼∼∼́∼
	31112	∼́∼∼∼∼∼∼́∼
d)	1115	∼∼∼∼∼∼∼́∼
	1124	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
	1133	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
	1142	∼∼∼∼∼́∼∼́∼
	*1214	∼∼́∼∼∼∼∼́∼
	*1223	∼∼́∼∼́∼∼∼́∼
	*1232	∼∼́∼∼∼́∼∼́∼
	1313	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
	1322	∼∼∼́∼∼́∼∼́∼
	1412	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
	2114	∼́∼∼∼∼∼∼́∼
	*2123	∼́∼∼∼́∼∼∼́∼
	2132	∼́∼∼∼∼́∼∼́∼
	2213	∼́∼∼́∼∼∼∼́∼
	2222	∼́∼∼́∼∼́∼∼́∼
	2312	∼́∼∼́∼∼∼∼́∼
	3113	∼́∼∼∼∼∼∼́∼
	3122	∼́∼∼∼∼́∼∼́∼
	*3212	∼́∼∼∼́∼∼∼́∼
	4112	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
e)	116	∼∼∼∼∼∼∼́∼
	*125	∼∼́∼∼∼∼∼́∼
	134	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
	143	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
	152	∼∼∼∼∼́∼∼́∼
	215	∼́∼∼∼∼∼∼́∼
	224	∼́∼∼́∼∼∼∼́∼
	233	∼́∼∼́∼∼∼∼́∼
	242	∼́∼∼∼∼́∼∼́∼
	314	∼́∼∼∼∼∼∼́∼

*323	∼́∼∼∼́∼∼∼́∼	f)	17	∼∼∼∼∼∼∼́∼
332	∼́∼∼∼∼́∼∼́∼		26	∼́∼∼∼∼∼∼́∼
413	∼∼∼́∼∼∼∼́∼		35	∼́∼∼∼∼∼∼́∼
422	∼∼∼́∼∼́∼∼́∼		44	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
512	∼∼∼́∼∼∼∼́∼		53	∼∼∼́∼∼∼∼́∼
			62	∼∼∼∼∼́∼∼́∼

Ex his videmus versum octosyllabum etiam ex septem verbis formari, quod tamen rarius fit (e.g. XVI 31 quid est quod de me vis homo). Ex senis aut binis verbis sex modis componitur, ex quinis aut trinis quindecim modis, ex quaternis verbis modis viginti. Asterisco ea schemata notavi, in quibus ∼∼́ pro ∼́∼ semper occurrit. Omnium verborum monosyllaborum accentus in his schematis est omissus. Versus exit semper in ∼́∼, nam ut in Finnico ita etiam in Latino rhythmo verbum monosyllabum in fine locari non vult. Nihilo minus, cum schemata supra illustrata multis modis alternantur, fieri non potest, ut rhythmus nimis sit monotonus. Variationem id quoque affert, quod in primo pede aliquotiens tres syllabas posui, e.g. XXVII 261 domus ad opus, hospes foras. In Kalevala Finnica huiusmodi versus occurrunt 267; quin etiam versus decasyllabi, quos in Latino numquam posui, in Finnico textu sexies inveniuntur (Kaukonen 1979, 76).

Ex quavis cantione facile videri potest in Kalevala Latina versus ternorum et quaternorum verborum saepissime occurrere, ceteros rarius. Quali proportione varia schemata usurpata sint, is numeret, qui rem penitus nosse desideret.

Rhythmis mediaevalibus doctus hiatum in versum, nisi fallor, non admisi. Quia in Latinitate Finnorum non solum *m* finalis (cf. Meyer I 189), sed etiam *h* initialis pro consonante pronuntiatur, in versibus, ut e.g. dum in linguam illabuntur (I 9), ex diverso huc reversis (I 16), vocalium concursus re vera non existit. Verba, ut *abies – abietis, abiegnus, paries – parietis,* interdum rhythmo volente per synizesim sunt legenda *abjes – abjetis, abjegnus, parjes – parjetis; dein* saepius est disyllabum. In iis verbis, in quibus muta cum liquida occurrit, accentum ambiguum habui, e.g. *íntegra – intégra, vólucris – volúcris.*

Allitterationem et parallelismum, quae conspicuae sunt proprietates poeseos Finnorum popularis, quantum fieri potuit, in versione Latina adhibui.

In verbis Finnicis difficilioribus interpretandis Lexicon verborum Kalevalanorum, quod Aimo Turunen composuit (*Kalevalan sanat* 1981, editio 2[a]) secutus sum. Neque tamen facere potui, quin aliquotiens iis quoque singulorum verborum explicationibus uterer, quas A. R. Niemi, studiorum Kalevalensium primus in Finlandiae fundator, iam pridem (*Kalevalan selityksiä* 1915–16, editio 2[a]) proposuit. *Lexicon Fennico-Latino-Svecum* Danielis

Juslenii (1745) et *Fennico-Latinum* Gabrielis Geitlin (1883) in verbis ad priscam Finnorum culturam pertinentibus Latine reddendis maxime sum secutus. Verba posterioris Latinitatis, quibus rarissime usus sum, plerumque sumpsi ex Angeli Perusini *Dizionario italiano-latino* (1976). Vocabularium, quod in Kalevala Latina usurpavi, maximam partem iam in Henrici Georges *Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch* (1959, ed. 10[a]) invenitur.

Ex nominibus propriis pleraque in Latinum verti, sicut in litteris Latinis Finnorum, quae a saeculo quarto decimo usque ad aetatem Lönnrotianam maxime floruerunt, fieri solet (cf. e.g. H. G. Porthan, *De poesi Fennica*, Aboae 1766–1778; Chr. E. Lencqvist, *De superstitione veterum Fennorum*, Aboae 1782; E. Lönnrot, *De Väinämöine priscorum Fennorum numine*, Aboae 1827). Ad haec pertinent personificationes, ut *Aestas* (Suvetar), *Austri nympha* (Etelätär), *Fors* vel *Fortuna* (Onni, Onnen ukko), *Frigus* (Pakkanen), *Fulca* (Sotkatar), *Funus* (Kalma), *Inferus* (Manalainen), *Iuniperus* (Pihlajatar), *Luna* (Kuutar), *Lupulus* (Humala), *Malignus*, *Malus* (Lempo), *Morbona* (Kiputyttö), *Morbosa* (Kivutar), *Nex* (Surma), *Pinus* (Hongatar), *Plaga* (Vammatar), *Prunus* (Tuometar), *Rumor* (Remunen), *Sol* (Päivä, Päivätär), *Sorbus* (Pihlajatar), *Stella*, *Stellae virgo* (Tähti, Tähetär), *Ursae virgo* (Otavatar); item morbi ex Mortis puella nati (XLV 163–170): *Articularis* (luuvalo), *Cancerosus* (syöjä), *Colicus* (ähky), *Dolor* (pistos), *Pestifer* (rutto), *Phthisicus* (riisi), *Porriginosus* (rupi), *Tumor* (paise); nomina locorum mythica aut fabulosa: *Aquilo*, *Boreas*, *Septentrio* (Pohja, Pohjola), *Insula* (Saari), *Morbi collis* (Kipumäki), *Morbi mons* (Kipuvuori), *Mors*, *Letum*, *Inferi* (Mana, Manala, Tuonela), *Nemora Mellita* (Simasalo), *Sinus Amatorum* (Lemmenlahti).

Nomina historica versionibus aut formis Latinis consuetis usus scripsi: *Aestii*, *Esthones*, *Virones* (eestiläiset, virolaiset), *Careli* (karjalaiset), *Carelia* (Karjala), *Duinenses aquae* (Vienan vedet), *Finnia*, *Finlandia* (Suomi), *Finnus*, *Finlandensis* (suomalainen), *Germani*, *Saxones* (saksalaiset), *Ingria* (Inkeri), *Lappi*, *Lappones* (lappalaiset), *Muscovita* (venäläinen, venakko), *Revalia* (Tanikan linna, Tallinna), *Russi* (venäläiset), *Russia*, *Ruthenia* (Venäjä), *Savones* (savolaiset), *Suecia* (Ruotsi), *Tavasti* (hämäläiset). Eiusdem nominis formas diversas secundum rhythmum aut allitterationem scripsi. Nomina gentium (*Finni*, *Careli*, etc.) saepius pro appellationibus locorum (*Finnia*, *Carelia*, etc.) posui.

Ea nomina, quae verti non possunt, Latine declinavi: *Ahto -onis*, *Kullervo -onis*, *Sariola -ae*, *Hiisi -sis*, *Väinämöinen -möinis*, *Lemminkäinen -käinis*, *Ilmarinen -rinis*, etc., ut apud nostrates assolet.

Structuram simplicem sententiarum Kalevalae Finnicae in versione servare volebam, ita tamen, ut Latinitatem non violarem. Sicut versus Finnicus

popularis est autonomus, i.e. in certa orationis parte consistit, ita versio Latina plerumque ei parallela currit, e.g. I 233–244:

nam putaminis pars ima	munasen alainen puoli
infima fit terra mater,	alaiseksi maaemäksi,
fit putaminis pars summa	munasen yläinen puoli
summum caeli firmamentum;	yläiseksi taivahaksi;
fit vitelli pars suprema	yläpuoli ruskeaista
sol, qui splendeat in caelo,	päivöseksi paistamahan,
albumenti pars suprema	yläpuoli valkeaista,
lunae lumine lucescit;	se kuuksi kumottamahan;
quod in ovis discoloris,	mi munassa kirjavaista,
id in sidera se vertit,	ne tähiksi taivahalle,
quod in ovis est obscuri,	mi munassa mustukaista,
id in nubes firmamenti.	nepä ilman pilviöiksi.

A plerisque aliis versionibus Latinam eo differre crediderim, quod cum rhythmus tum structura et vis carminis Finnici lingua Latina fidelius quam aliis exprimi potest. De Kalevala Latina denique dicere velim eam non esse imitationem poeseos antiquae aut mediaevalis, sed exemplum Latinitatis in Finlandia hodie quoque viventis et vigentis.

Prima specimina huius versionis edita sunt in commentariis Finnorum *Kanava* (1985, 1, 36–39; cantio I 1–36, 111–334) et *Horisont* (32, 1985, 5, 33–44; cantio XV 377–650) et *Jyväskylä Studies in the Arts* (23, 1985, 103–111; cantio VIII). Neque erat mei propositi aliud atque paucis speciminibus ad annum Kalevalae sollemnem editis illustrare, quomodo carmen epicum nationis Finnorum Latine sonaret, et ita pro mea parte notitiam poeseos Finnicae apud Latinae linguae peritos propagare. Sed aliter res evenit, cum ipsius operis iucunditate in dies ita attraherer, ut vix possem desinere. Maximi erat momenti, quod Väinö Kaukonen, vir linguis classicis iam in schola eruditus, qui summam apud nostros de rebus ad Kalevalam pertinentibus habet auctoritatem, de speciminibus Latinis iam publicatis delectatus in Collegio anni festi Kalevalae celebrandi (*Kalevalan juhlavuoden toimikunta, Committee for the 150th Anniversary of the Kalevala*) proposuit, ut totum epos in Latinum verteretur et in perpetuam huius anniversarii memoriam ederetur. Qua re audita opus Decembri mense 1984 incohatum tanto studio perrexi, ut ultimos carminis versus die 16° Decembris 1985 verterem. Sed quia ''versus volunt corrigi saepiusque verti'' (ut verbis Archipoetae utar), Kalevalae Latinae posteriorem partem (cantiones XXVI–L) non ante sub prelum misi quam mense Maio 1986 exeunte. Teivas Oksala, collega amicus, quo auctore prima Kalevalae specimina Latine reddi-

deram, ea non solum in conventu Societatis classicorum Finlandensium (*Klassillis-filologinen yhdistys – Klassisk-filologiska föreningen*), sed etiam in concilio doctorum, nomine *Kalevala and the World's Epics*, ex multis nationibus Aboam Finnorum mense Februario 1985 congressorum benigne exposuit. Birger Bergh, linguae Latinae professor Lundensis, Martio mense 1986 Lundam Gothorum seminarium convocavit, ubi una cum latinistis Hafniensibus et Lundensibus de Kalevalae Latinae rebus rhythmicis lepide disseruimus. Clement Desessard, Feriarum Latinarum Olbiensium ordinator, versionem meam tam benigne propagavit, ut eius specimina iam edita quibusdam commentariorum Latinorum moderatoribus mitteret. B. Bergh, supra iam laudatus professor stilo Latino excultus, et Erkki Palmén, lector Latinus Universitatis Granivicensis (sive Jyväskyläensis), versionem perlegerunt, multos versus minus feliciter a me formatos notaverunt et dictiones meliores non numquam proposuerunt. Quibus omnibus viris doctis et humanis maximam habeo debeoque gratiam.

Virpi Seppälä-Pekkanen, mea ipsius quondam discipula, nunc coniux et Camena, totam versionem machina scripsit et plagulas sedulo emendavit. Neque opus difficile tam brevi perfecissem, nisi ab illa adiutus essem. Summas ago gratias etiam Collegio anni festi Kalevalae celebrandi, quod praeside Jaakko Numminen, principe cancellario Ministerii Publicae Instructionis, operi publicando sumptus praebuit, et Societati Kalevalensi (*Kalevalaseura*), quae Kalevalam Latinam edendam suscepit.

In urbe Helsinki, die 30° mensis Mai anno 1986°

Tuomo Pekkanen

Libri adhibiti

Opera, quorum nomina in praefatione plene sunt scripta, infra non repetuntur.

Fromm, Hans, Elias Lönnrot als Schöpfer des finnischen Epos Kalevala. Wolfgang Veenker (ed.), Volksepen der uralischen und altaischen Völker. Ural-altaische Bibliothek 16. Wiesbaden 1968.
– Kalevala. Kommentar. München 1967.
Kaukonen, Väinö, 1958: Die Entstehung des Kalevala-Epos. Wissenschaftliche Zeitschrift der Ernst Moritz Arndt-Universität Greifswald. Jahrgang VIII, 1958/59, Gesellschafts- und sprachwissenschaftliche Reihe Nr. 3, 131–136.
– 1979: Lönnrot ja Kalevala. Suomalaisen Kirjallisuuden Seuran toimituksia 349, 1979.
– [1]1984: Der Einfluss der deutschen Romantik auf das Kalevala. Jahrbuch für finnisch-deutsche Literaturbeziehungen 18, 1984, 16–26.
– [2]1984: Elias Lönnrotin Kanteletar. Suomalaisen Kirjallisuuden Seuran toimituksia 386, 1984.
– 1985: Kalevala och Lönnrot. Nordisk Tidskrift 5, 1985, 365–371.
– [1]1986: The Kalevala and Homer. Adult Education in Finland 1, 1986.
– [2]1986: The Kalevala as a Universal Epic. In opere: Kalevala with the Kalevala Art of Akseli Gallen-Kallela, pp. 453–458. Werner Söderström Oy 1986.
Kuusi, Matti & Anttonen, Pertti, Kalevala-lipas. Suomalaisen Kirjallisuuden Seuran toimituksia 413, 1985.
Kuusi, Matti & Bosley, Keith & Branch, Michael, Finnish Folk Poetry: Epic. An anthology in Finnish and English. Suomalaisen Kirjallisuuden Seuran toimituksia 329, 1977.
Laaksonen, Pekka (ed.), Lönnrotin aika. Kalevalaseuran vuosikirja 64, 1984.
Meyer, Wilhelm, Gesammelte Abhandlungen zur mittellateinischen Rythmik. I–II, Berlin 1905.

Ibi semita nunc patet,
novus sulcus est sulcatus
ad poetas pleniores,
vates ad verbosiores
iuventutis iuvenilis,
huius gentis germinantis.

CANTIO I

Animus meus agitat
cogitatque cerebellum,
ut incipiam cantare,
velim verba dictitare,
5 versus veteres proferre,
bona carmina cantare.
Liquefiunt iam loquelae,
voces excidunt ex ore,
dum in linguam illabuntur
10 et per dentes disperguntur.
Care frater, vir venuste,
o mi pulcher coalumne!
Veni comes nunc cantatum,
una mecum dictitatum
15 nobis uniter unitis,
ex diverso huc reversis!
Haud frequenter nos unimur,
alter alterum videmus
in his finibus desertis,
20 agris tristibus Arctois.

Manum manu coniungamus
digitosque conseramus,
cantus bonos ut canamus,
optimos ut offeramus
25 audiendos his amicis,
cognoscendos cunctis bonis,
iuventuti iuvenili,
nostrae genti germinanti,
traditas traditiones,
30 datas nobis cantiones
de cinctura Väinämöinis,
Ilmarinis ex incude,
Kaukomielis de mucrone
et ab arcu Joukahainis,
35 a confiniis Arctois,
campis de Kalevalanis.

Quas cantabat pater carus,
scapum cultro cum dolabat;
quas docebat mea mater,
40 colum olim cum torquebat
parvulo per pavimentum
ante genua repente
memet ipso tum infante,
puero lacticuloso.
45 Sampo verbis abundabat,
Louhi magicis loquelis:
vetus facta verbis Sampo,
Louhi suis cum loquelis,
versibus Vipunen obit,
50 ludos ludens Lemminkäinen.

Adsunt aliaque verba,
quas audivi res arcanas:
inter iter quas decerpsi,
ex ericis quas effregi,
55 de sarmentis quas develli
vel de surculis desumpsi,
feni spicis quas effrixi
res in semita repertas,
puer pecus cum pascebam
60 parvulus in saltu pastor,
inter caespites mellitos,

collibus in coloratis,
pone boves vagabundus
cum pecudibus diversis.

65 Frigus versus faciebat,
carmen pluvia pangebat.
Ventus proferebat versus,
aquae maris agitabant.
Avis adiungebat vocem,
70 summum arboris sermones.
Eos ego glomeravi,
sphaeram versibus formavi.
Glomus curru collocavi,
illam sphaeram super traham;
75 versus traha domum traxi,
ad granarium adduxi
et in cellam frumentorum,
in aëneum inieci.

Longum frigus versus ferunt,
80 diu degunt in obscuro.
Veham versus de pruina,
geram carmina de gelu,
feram intus vas aeratum,
capsulam in summum scamnum,
85 subter culmen hoc sublime,
subter speciosum tectum?
Reserabo meam arcam,
cistam carminum recludam,
glomus versuum resolvam,
90 eius nodos explicabo?

Ita canto bonum carmen,
pulchros versus bene pango
secalicium post cibum
hordeaceumque potum.
95 Cum cervisia non fertur
nec portatur liquor clarus,
pro mercede macriore
aqua quoque data cano
gaudium in vespertinum,
100 in honorem hodiernum
sive crastinum in ludum,
usque mane matutinum.

Sic audivi recitari,
novi carmen sic cantari:
105 solae nobis noctes fiunt,
soli soles illucescunt;
solus natus Väinämöinen,
vates editus aeternus
de divina genetrice,
110 nympha matre, vento nata.

Virgo quondam, vento nata,
nympha nitida, decora,
sempiternam sanctitatem
curat, suam castitatem,
115 aëris in aulis amplis,
in plateis eius planis.
Dies denique pertaesa
aevum aegrius ferebat,
quod agebat semper sola,
120 virginalis quod vivebat
aëris in aulis amplis,
in desertis desolatis.

Iam inferius defertur,
undas usque volans venit,
125 in extensos maris aestus,
ubi pontus est apertus.
Venit venti ferus flatus,
ortus est ex oriente,
sustulit in summas undas,
130 maris fluctibus mandavit.
Casta vento cunulatur,
virgo fluctibus vectatur
caerulos per maris campos,
vertice spumantes undas:
135 ventus uterum inflavit,
mare reddidit praegnantem.

Plenum uterum portavit,
ventrem gravidum gravantem
septies per centum annos,
140 novem saecula heroum;
nec est natus nasciturus
neque genitus gignendus.
Maris coniux circumfertur.
Nat in ortum, occidentem,
145 in meridiem et caurum,
nat in omnes regiones
in aerumnis suis aegra,
in dolore ventris duro;
nec est natus nasciturus
150 neque genitus gignendus.

Coepit lene lacrimare;
verbum facit, ita fatur:
''Miseris diebus meis
iter faciam infelix!
155 Huc deorsum iam deiecta
sempiterna sum sub divo
venti flatibus vehenda,
maris aquis agitata,
amplioribus in aquis,
160 in his fluctibus immensis!
Multo melius fuisset
venti virginem versari
quam hoc tempore praesenti
coniugem me circumferri;
165 frigus fero hac in vita
dolens frigoris rigore,
incolo cum inter undas
maris aquis agitata.
Ukko, deus o supreme,
170 tu, qui tenes totum caelum,
defer te desideratus,
ambules huc advocatus!
Poenis libera puellam,
tolle ventris iam tormenta!
175 Mox adito, cito curre,
citius desideraris!''

Transit temporis momentum,
interest haud longa mora.
Venit avis, fulca volans;
180 pennis nixa pervagatur
quaerens, unde sibi nidum,
habitaculum haberet.
Petit ortum, occidentem
et meridiem et caurum.
185 Illud spatium non videt,
locus pessimusque deest,
ubi nidum collocaret,
stationem stabiliret.
Volat huc et volat illuc,
190 cogitat et meditatur:
''An aedificem in aestu,
sedem sistam super undis?
Aestu nidus evertetur,
unda feret sedem secum.''

195 Accidit, ut maris coniux,
maris coniux, vento nata,
genu tolleret ex aqua,
summum umerum ex undis,
fulca nidum ut haberet,
200 domum ibi collocaret.
Illa fulca, fulgens avis,
huc et illuc volitabat.
Genu repperit retectum
caerulis in maris campis;
205 esse tumulum herbosum,
vivum caespitem censebat.
Volitat, se librat vento,
super genu sedem sumit.
Ibi struxit sibi nidum,
210 ova peperit aurata:
ovum sexies ex auro
fecit, septimum ex ferro.

Coepit ovis incubare,
genu feminae fovere.
215 Diem unum alterumque

incubat mox tertiumque.
Iam exinde maris coniux,
maris coniux, vento nata,
sentit cutem conflammari,
220 in carbunculos comburi;
artus credidit ardere,
venas penitus persolvi.
Genu repens tremefecit,
artus corporis commovit:
225 ova decidunt in aquam,
inter fluctus illabuntur;
ita sunt frustatim rupta,
in particulas perfracta.

Ova limo non linquuntur
230 nec miscentur maris aquis.
Sunt in melius mutata,
in formosius formata:
nam putaminis pars ima
infima fit terra mater,
235 fit putaminis pars summa
summum caeli firmamentum;
fit vitelli pars suprema
sol, qui splendeat in caelo,
albumenti pars suprema
240 lunae lumine lucescit;
quod in ovis discoloris,
id in sidera se vertit,
quod in ovis est obscuri,
id in nubes firmamenti.

245 Prorsus tempore labente
annus anno superatur
novo sole resplendente,
nova luna lucescente.
Adhuc fertur maris coniux,
250 maris coniux, vento nata,
inter illas almas aquas,
nebulosas natans undas;
ante liquidus est liquor,
retro restat caelum clarum.

255 Novem annis iam peractis
decima cum esset aestas,
tollit caput super aequor,
vertit verticem ex undis.
Creatura creaturam
260 coepit gignere gignenda
in extenso maris aestu,
fretis altis et apertis.

Ubi manum sublevabat,
promunturia promebat;
265 ubi pedem deprimebat,
fossae piscibus fiebant;
ubi bullas bulliebat,
ibi gurgites gignebat.
Versus terram latus vertit:
270 litus leve levigatur;
versus terram pedes vertit:
creat sic salmonum sedes;
contra terram caput ponit,
sinus ibidem sistuntur.
275 Natat longius de terra,
vadit usque vastum mare:
infert insulas in ipsum,
scopulos insidiosos,
praebeant ut bonos portus
280 vel nautarum naves frangant.

Promunturiis iam promptis,
maris insulis illatis,
caeli postibus iam pactis,
campis omnibus cantatis,
285 petris pictis ut picturis,
saxis varie sulcatis,
nascitur non Väinämöinen,
nondum exit vir aeternus.
Vetus vates Väinämöinen
290 vehitur in ventre matris
per triginta iam aestates,
totidem per brumas quoque

inter illas almas aquas,
nebulosas natans undas.

295 Cogitat et meditatur,
quid sit sibi faciendum
latebris in tenebrosis,
loco satis limitato,
ubi luna non lucescat
300 nec sol umquam videatur.
Dixit denique hoc verbum,
hanc loquelam est locutus:
"Leva luna, sol dissolve,
iam septentrio secerne
305 virum ostiis obscuris,
ab his portis peregrinis,
de his nidis nimis parvis,
ex his locis limitatis!
Effer exsulem in terram,
310 foras ferto nasciturum,
caeli lunam contemplatum,
almum solem admiratum,
ut septentrionem cernat
et aspiciat ad astra!"

315 Cum non luna sublevaret
nec sol illum liberaret,
tempus denique pertaesus
vitam suam indignatur:
portam carceris commovit
320 anulari digitillo,
lamnam osseam laxavit
pedis pollice sinistro;
limen transit ungue nixus,
fores genibus perrepsit.
325 Praeceps proruit in pontum,
versus undas manus vertit;
manet masculus in mari,
heros fluctibus miscetur.

Annos quinque sic vagatur,
330 immo vero sex per annos,
annos septem, annos octo.
Demum destitit vagari
prope sinum nulli notum,
terram arbore desertam.
335 Genibus se sublevavit,
manu nixus se versavit.
Surgit lunam contemplatum,
almum solem admiratum,
ut septentrionem cernat
340 et aspiciat ad astra.
Editus est Väinämöinen,
natus vates sic superbus
de divina genetrice,
nympha matre, vento nata.

CANTIO II

Surgit inde Väinämöinen
suis pedibus in tesqua,
altam insulam marinam,
terram arbore desertam.
5 Ibi mansit multos annos,
incolebat usque quaque
insulam innominatam,
terram arbore desertam.
Cogitat et meditatur,
10 ita reputat rem secum:
Quisnam terras seminabit,
spissam faciet sementem?

Pellervoinen, agro natus,
Sampsa, parvulus pusillus,
15 ille terras seminabit,
spissam faciet sementem!
Serit terras, semen spargit,
serit terras et paludes,
serit nemora frondosa,
20 saltus seminat saxosos.
Clivos conserit pinetis,
colles silvis abietinis;
ericetis loca tesqua,
valles virgulis complevit.

25 Beat rivulos betullis,
alnos dat in almas terras,
prunos humidam in humum,
capreas in terras castas,
sorbos lucos in sacratos,
30 salices in solum tumens;
tum iuniperis ieiuna,
quercu fluminis plet ripas.
Coepit arbor exaltari,
novus surculus surrexit.
35 Tollit abies cacumen,
pinus patula patescit.
Iuxta rivulos betullae,
pruni humida de humo,
alni surgunt almis terris
40 et iuniperi ieiunis;
in iunipero fit baca,
optimus in pruno fructus.

Vetus vates Väinämöinen
est profectus, ut videret
45 Sampsae terras seminatas,
quid sevisset Pellervoinen.
Vidit arbores crevisse
surculosque surrexisse;
una quercus non fert germen,
50 non radicem robur divum.
Ibi quercula relicta
sorti plantulam commisit;
tres per noctes exspectavit,
totidem per dies quoque.
55 Est profectus, ut videret,
ante finem septimanae:
quercus nondum germinavit,
robur non est radicatum.

Nymphas quattuor tum videt,
60 quinque virgines marinas.

Stant secantes falce fenum,
herbas roscidas dirumpunt
in opaca longa lingua,
insula sub nebulosa;
65 quod metebant, colligebant,
in acervos acervabant.
Exiit ex mari Tursas,
heros undis exaltatus.
Ignem intulit in fenum,
70 fecit flammam in acervos;
ea cuncta concremavit,
in carbunculos combussit.
Restat cumulus carbonum,
cineris acervus assus.

75 Volat folium formosum,
folium cum glande quercus,
unde germen germinavit,
virga viridis surrexit;
velut fragum fruticavit,
80 bene crevit bipartita.
Ramos suos protendebat,
frondes late dilatabat.
Vertex venit usque caelum,
frondes aëra pleverunt:
85 arbor nimbos retinebat
pluviamque prohibebat,
obstitit, ne sol splenderet
neve luna iam luceret.

Tum vetustus Väinämöinen
90 cogitat et meditatur:
''Num quis quercum hanc decidat,
pulchram arborem abrumpat?
Habitat hic homo tristis,
natant pisces in pavore
95 sole numquam resplendente,
luce lunae non lucente.''
Non exsistit heros ille
nec vir ullus ita fortis,
queat caedere qui quercum,
100 centiverticem versare.

Inde vetus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
''Diva mater, o creatrix,
nympha, quae me peperisti!
105 Mitte populum marinum
– aqua populis abundat –,
ilicem qui caedat istam,
malam arborem abrumpat,
ut decedat luci solis
110 nec obscuret lunae lumen!''
Masculus e mari surgit,
heros undis exaltatus.

Non est ille valde magnus
neque prorsus nimis parvus:
115 viri pollici par paret,
dodrantalis vix videtur.
Habet petasum aeratum
et caligulas aeratas,
fert et manicas aeratas,
120 eas aere variatas,
cinctus aerea cinctura
portat aeream securim:
scapus pollici par paret,
lamna non plus ungue lata.

125 Vetus vates Väinämöinen
cogitat et meditatur:
esse virum, quem vidisset,
in quem oculos iecisset,
parem pollicis erecti,
130 instar ungulae bovinae!
Verbis ita fere fatus,
his loquelis est locutus:
''Quisnam, o tu, sis virorum,
homo miser, quis heroum?
135 Paulo melior defuncto,
vix es pulchrior perempto!''
Dixit masculus marinus,

heros aequoris respondit:
"Egomet sum vir praeclarus,
140 heros parvus, ex marinis.
Adsum, quercum ut decidam,
arborem frustatim frangam."
Vetus vates Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
145 "Tu non fueris creatus,
non creatus neque datus,
magnam quercum qui confringas,
caedas arborem atrocem."

Vix his verbis ita dictis
150 illum iterum respexit:
vidit virum commutatum,
renovatum hunc heroa!
Terram pedibus proculcat,
nubes capite contingit;
155 genu tenus barba fertur,
tali crinibus tanguntur;
intercilium immensum,
sunt immensae calciones:
novem pedum circa genu
160 et duodecim ad cinctum.
Vir securim subigebat,
acuebat planam lamnam
senis cotibus in longis
et lapidibus septenis.

165 Ambulabat inclinatus,
cito passu procedebat
bracis femora bracatus,
veste late fluitante.
Primo gradu raptim prodit
170 sabuletum in subtile,
gradu confert se secundo
in subfulvum terrae solum,
tertio citatim cedit
subter ilicem ingentem.
175 Caedit arborem securi,
ferit firme plana lamna.
Caedit semel iterumque
tertiumque mox temptavit;
ignis micat ex securi,
180 flammae fugiunt ex quercu:
coepit quercus inclinari,
ilex ingens vacillare.
Ita ter cum temptavisset,
quercum denique decidit,
185 fregit ilicem immensam,
centiverticem versavit.
Truncum trudit versus ortum,
vertit verticem in caurum,
frondes fervidum in austrum,
190 ramos sub septentrionem.

Si quis inde ramum sumpsit,
fert fortunam sempiternam;
is, qui verticem defregit,
sapit semper magas artes;
195 inde secuit qui frondem,
secum semper fert amorem.
Quae volaverant ramenta
vel effugerant fragmenta
in apertum, altum mare,
200 in immensas eius undas,
ea vento vehebantur,
ferebantur fluctu maris
velut lintres circa fretum,
ut naviculae natantes.

205 Ventus fert in Aquilonem.
Serva parva Borealis
vittas suas abluebat,
linteamina lavabat
stans in saxo litorali,
210 in paeninsula perlonga.
Vidit assulam in undis;
eam intulit in peram,
pera domum deportavit,
in cohortem sua capsa,
215 unde magicae sagittae

fierent, mittenda tela.

Postquam quercus est confracta,
arbor atrox iam decisa,
libere sol resplendebat,
220 luna libere lucebat,
nubes passim percurrebant,
arcus caeli curvabatur
in opaca longa lingua,
insula sub nebulosa.
225 Saltus surgere coeperunt,
silvae sponte propagari,
frons et herba pullulare,
aves arborum cantare;
turdus coepit exsultare
230 et cuculus cuculare.
Terra fert bacarum caules,
campus flores florescentes,
omnimodae crescunt herbae,
omniformes oriuntur.
235 Solum hordeum non horret,
cara segete caretur.

Inde vetus Väinämöinen
ambulans res agitabat
caerulas ad maris undas,
240 apud aquam satis amplam.
Granum sexies invenit,
semina septena vidit
in litoribus marinis,
in subtili sabuleto;
245 condit pelle mustelina
sacculoque sciurino.
Exit agrum seminatum
semen hordei sparsurus
iuxta fontem Kalevensem,
250 in confiniis Osmonis.
Parus garrule cantabat:
''Neque hordeum horrebit
nec altabitur avena,
nisi solum sit subactum,
255 nisi silva sit excisa,
nisi denique combusta.''
Vetus vates Väinämöinen
acrem asciam paravit.
Inde caedit magnam silvam,
260 terram subigit ingentem.
Almas arbores abrupit,
sed betullulam reliquit,
avi sedem quae praeberet,
ubi caneret cuculus.

265 Volat aquila per caelum,
ales penetrat per auras.
Venit, illam ut videret:
''Quanam re sic est relicta
haec betullula non caesa,
270 arbor alma non abrupta?''
Ait vetus Väinämöinen:
''Ea re sic est relicta,
praebeat ut avi sedem,
ubi volucris quiescat.''
275 Ait aquila caelestis:
''Bene quidem tu fecisti,
cum betullam servavisti,
almam arborem liquisti,
praebeat ut avi sedem,
280 ubi volucris quiescam.''
Flammam fecit almus ales,
ignem sursus suscitavit.
Silvam boreas incendit,
acer aquilo cremavit:
285 caesas arbores accendit,
in carbunculos combussit.

Inde vetus Väinämöinen
sena granula resumpsit,
semina septena cepit
290 ex pellicula mustelae,
sacculo de sciurino,
de pellicea crumena.
Exit agrum seminatum

semen hordei sparsurus.
295 Verbis ita fere fatur:
''Ego sero, semen spargo
digitos per Creatoris,
manus per omnipotentis
fertilem in hanc tellurem,
300 in hunc agrum accrescentem.

Anus alma, subterrena,
soli coniux, era terrae!
Caespitem fac germinare,
terram pinguem fruges ferre!
305 Terra viribus non caret
usquam tempore vel ullo,
si dant gratiam datores,
veniam venustae nymphae.
Terra, surge de sopore,
310 caespes dive, de torpore!
Herbae facias herbescant
pullulique pullulascant!
Mille surculi fac surgant,
centum rami diramentur
315 ex arato, seminato,
opere hoc operato!

Ukko, deus o supreme,
tu qui pater es caelestis,
nubilorum dominator
320 aetherisque moderator!
Coetum colligas in nimbis,
agas nubium conventum!
Excites ex ortu nubem,
nimbum erigas ex cauro,
325 ex occasu quosdam mittas,
ex meridie matures!
Defer pluviam de caelo,
nectar nubium disperge
in sementem exsurgentem,
330 segetem in susurrantem!''

Ukko, deus ille summus,
pater, caeli dominator,
coetum colligit in nimbis,
agit nubium conventum.
335 Excitat ex ortu nubem,
nimbum erigit ex cauro,
ex occasu quendam mittit,
ex meridie maturat;
tum lateribus coniunctis
340 illos inter se collidit.
Dedit pluviam de caelo,
nectar nubium dispersit
in sementem exsurgentem,
segetem in susurrantem.
345 Surgit satio subtilis,
flavus culmus exaltatur
ex hac humo mollicella,
quam subegit Väinämöinen.

Iam subinde die quodam,
350 paucis noctibus peractis,
ante finem septimanae
vetus vates Väinämöinen
est profectus, ut videret,
quod aravit, seminavit,
355 opus suum operatum:
horret hordeum ex voto,
spicae partibus sunt senis,
culmi ter geniculati.

Ibi vetus Väinämöinen
360 prospectabat, se versabat.
Venit tum cuculus vernus,
vidit arborem vernantem:
''Quanam re sic est relicta
haec betullula non caesa?''
365 Ait vetus Väinämöinen:
''Ea re sic est relicta,
haec betullula, quae crescat,
ut in arbore cucules.
O cucule, cuculato,
370 avis cana, cantitato,

argutator, argentata,
avis garrula, garrito!
Cane mane vesperique
interim meridieque,
375 tepidas fac tempestates,
saltus meos fac serenos,
oras meas opulentas,
meos agros abundantes!"

CANTIO III

Vetus vates Väinämöinen
usque tempora degebat
Väinölensibus in agris,
campis in Kalevalanis.
5 Cantat suas cantiones,
cantat, cantu multum valet.
Totos dies cantitavit,
totas noctes dictitavit
res antiquas recordatus
10 et origines profundas,
quas non canit quivis heros
nec intellegunt infantes
hac aetate nimis aegra,
his temporibus extremis.
15 Procul nuntius profertur,
foras fama dilatatur
de cantatu Väinämöinis,
de scientia herois.
Fama fertur versus austrum,
20 serpit in septentrionem.

Iuvenis est Joukahainen,
corpore pusillus Lappo.
Vicum quondam visitavit;
res audivit inauditas,
25 cantiones decantari,
meliores memorari
Väinölensibus in agris,
campis in Kalevalanis,
quam quas ipsemet sciebat,
30 noverat a genitore.
Id is aegrius ferebat,
incessanter invidebat
Väinämöini cantatori
meliori semet ipso.
35 Iam ad almam matrem venit,
suam caram genetricem.
Se conferre cogitabat,
proficisci promittebat
versus vicum Väinämöinis,
40 ut cum eo decertaret.

Pater filium vetabat,
mater eum prohibebat
ad Väinönem proficisci,
ut cum eo decertaret.
45 "Ibi quidem te cantabunt,
verbis ita devovebunt,
ut in nives cadas praeceps,
meris manibus in frigus,
ne iam manus moveantur
50 neve pedes liberentur."

Iuvenis tum Joukahainen:
"Bene sapit meus pater,
mater melius quam ille,
ipse vero sum supremus.
55 Si voluntas fert conferri,
viros veros aemulari,
canto meum cantatorem,
dictis vinco dictatorem;
vatem optimum incanto,
60 pessimus ut vates fiat:
pedes saxis soleatus,

bracis ligneis bracatus,
petra pectora depressus,
saxo humeros gravatus,
65 saxo manus manicatus,
caput saxo galeatus."

Abiit, non oboedivit.
Tum cantherium eduxit,
cuius rostrum rutilabat,
70 crura cursu coruscabant;
iunxit celerem caballum
ante currum aureatum.
Ipse traham est ingressus,
in curriculum conscendit,
75 ferit ferula veredum,
stringit verbere stridente.
Coepit vehere veredus,
equus currere citatim.
Curru vehitur currente.
80 Vectus diem alterumque
vehitur vel tertiumque.
Iamque tertio dierum
in Väinönis venit agros,
campos in Kalevalanos.

85 Vetus vates Väinämöinen,
incantator sempiternus,
suis viis vehebatur,
iter ibi faciebat,
Väinölensibus in agris,
90 campis in Kalevalanis.
Obviam fit Joukahainen,
vectus est adversus illum:
temo iungitur temone,
implicatur lorum loro,
95 bina helcia haerescunt,
arcus inter se trahales.
Ibi stantes loco manent,
loco manent, meditantur;
aqua labitur per arcum,
100 vapor halat de temone.

Quaerit vetus Väinämöinen:
"Quonam genere sis natus,
tu, qui stultus occurristi,
imprudenter incurristi?
105 Curvum helcium confringis,
arcum arbore confectum,
currulum frustatim frangis,
traham meam minutatim!"
Iuvenis tum Joukahainen
110 verbum facit, ita fatur:
"Iuvenis sum Joukahainen.
At dic ipse tuum genus:
quonam genere sis natus,
quali, miser, ex caterva?"
115 Vetus vates Väinämöinen
ibi se iam nominavit.
Inde dixit illa verba:
"Iuvenis tu Joukahainen,
paululum de via cedas!
120 Iunior es tu quam ego."

Iuvenis tum Joukahainen
verbum facit, ita fatur:
"Parvi refert, iuvenilis
sis aetatis an senilis!
125 Uter melior est vates,
meminit res potiores,
ille maneat in via,
alter autem inde cedat.
Tu sis vetus Väinämöinen,
130 incantator sempiternus:
cantiones cantitemus,
dictitemus dictiones,
virum cantibus vir temptet,
alter alterum praecellat!"

135 Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Equidem quid ego possum
ut cantator sive vates!
Tempus meum semper degi

140 in his unis ustis agris,
in extremis meis pratis,
cum cuculum audiebam.
Verum tamen tu profecto
dic, ut auribus auscultem:
145 quas res maximas novisti,
quas prae ceteris crevisti?"

Iuvenis tum Joukahainen:
"Aliquid cognovi certe!
Id quidem perspexi perquam
150 assecutus accurate:
fumus foras it per tectum,
prope furnum fulget flamma.
Vivit vitulus marinus,
phoca, vertitur in aqua,
155 bene vescitur salmone
et coregonis propinquis.
Est coregono, quod colat,
lēve laquear salmoni.
Ludit lucius cum friget,
160 os mucosus malo caelo.
Piscis pavidus et pinguis
alte perca nat autumno,
aquis brevibus aestate
in litoribus colludit.

165 Si non suppetit, quod dixi,
artes alias cognovi
et rem aliam rescivi:
boreales cum tarandro,
at australes cum equabus,
170 arant alcibus Lappones.
Pisae collis pinos novi,
arbores in rupe Hornae:
longae sunt Pisanae pini,
arbores in rupe Hornae.
175 Amnes tres rapaciores,
tres sunt lacus grandiores
tresque montes altiores
sub caelorum firmamento:
Hälläpyörä Tavastorum,
180 Kaatra torrens Carelorum,
Vuoksi nulli viro victus,
Imatra non superatus.

Ait vetus Väinämöinen:
"Quae scit infans sive mulier,
185 iis non valet vir barbatus
nec vir usus iam uxore!
Dic origines profundas,
res, quae manent in aeternum!"
Iuvenilis Joukahainen
190 verbum facit, ita fatur:
"Scio, quo sit parus ortus:
parus avis mihi paret,
anguis vipera videtur,
aquae piscis acerina.
195 Ferrum flexile cognovi,
sŏlum atrum subamarum,
aquam calidam gravantem,
malum id, quod ignis ussit.
Aqua princeps ex unguentis,
200 amnis fervens ex venenis,
magus maximus Creator,
Deus medicus supremus.
Mons aquarum est origo,
ignis oritur de caelo,
205 ex ferrugine fit ferrum,
aes est saxo generatum.
Caespes madidus terrarum,
salix arborum est princeps,
radix pini prima domus,
210 saxum olim ollae loco."

Vetus vates Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
"Num quid magis meministi,
an sunt nugae nunc finitae?"
215 Iuvenis tum Joukahainen:
"Adhuc quasdam res recordor!
Memini vel tempus illud,

cum oceanum arabam,
partes eius pastinabam,
220 pisci fossas faciebam,
altos gurgites gignebam,
aquas stagnis infundebam,
omnes colles exaltabam,
lapides coacervabam.
225 Etiam eram heros sextus
sive septimus vir olim,
cum haec terra creabatur,
aër cum apparabatur,
postis caeli pangebatur,
230 arcus poli portabatur,
luna circumferebatur,
soli subveniebatur,
ursae sidus sistebatur,
caelum stellis spargebatur."

235 Ait vetus Väinämöinen:
"Ea prorsus es mentitus!
Nusquam tu tum videbaris,
dum oceanus aratur,
partes eius pastinantur,
240 fossae piscibus dum fiunt,
alti gurgites gignuntur,
aquae stagnis infunduntur,
omnes colles exaltantur,
lapides coacervantur.
245 Neque vero videbaris
neque tum audiebaris,
cum haec terra creabatur,
aër cum apparabatur,
postis caeli pangebatur,
250 arcus poli portabatur,
luna circumferebatur,
soli subveniebatur,
ursae sidus sistebatur,
caelum stellis spargebatur."

255 Iuvenilis Joukahainen
inde verbis ita fatur:
"Caream cum ratione,
ensis rogo rationem.
Vae, vetuste Väinämöinen,
260 vates nimis gloriose!
Ensem exi mensuratum,
gladiis digladiatum!"
Ait vetus Väinämöinen:
"Male metuo vix istas
265 tuas minas vel mucrones,
contos, cogitationes.
Verum tamen iam profecto
non mucronem mensurabo
socio te, vir vesane,
270 tecum, miser, homo nequam."

Iuvenis tum Joukahainen
torquet vultum, versat caput,
crines torvulos contorquet.
Verbis ita fere fatur:
275 "Qui mucronem non mensurat
neque mecum gladiatur,
incantatur is in porcum,
raptim redditur rostratus.
Istos viros devovebo,
280 illum illac, eum ea,
in fimetum inculcabo,
in porcilia portabo."

Est iratus Väinämöinen,
est iratus, indignatus.
285 Ipse coepit incantare
volens verba dictitare:
non est carmen puerile,
non muliebris est risus,
sed quod canit vir barbatus;
290 sic non canit quivis infans
nec plerique puerorum
nec pars tertia procorum
hac aetate nimis aegra,
his temporibus extremis.

295 Canit vetus Väinämöinen:
lacus labant, terra tremit,
montes maximi moventur
solidaque sonant saxa
ripae rupibus diruptis
300 et lapidibus laxatis.
Joukahainen sic sacratur:
arcus virgulis vincitur,
frutex helcio haerescit,
salicetum summis loris.
305 Traha, latus deaurata,
fit in lacu putre lignum
flagellumque fit nodosum
maris litoris arundo,
equus capite stellatus
310 lapis fluminis rapacis.

Ensis aureus fit cantu
fulgor fulminis caelestis,
arcus inde variatus
pluvius ad aquas arcus,
315 inde volucres sagittae
fiunt celeres falcones,
eius canis curvis mālis
cantu lapis fit terrestris.
Viri petasum incantat,
320 ut sit celsa caeli nubes;
manicam de manu cantat,
ut nymphaea sit in stagno;
caerula de veste fecit
nubes, quibus caelum sparsit;
325 zonam laneam laxavit,
cingeret qua totum caelum.
Incantavit virum ipsum
in paludem usque pectus,
tenus inguinum in pratum;
330 tesquis mersit alas usque.

Iuvenis tum Joukahainen
iam sciebat, sentiebat,
quod ingressus iter esset,
qualem viam suscepisset,
335 ad cantandum, decertandum
vetere cum Väinämöine.
Pedem solvere parabat:
at non potest pes levari;
alterum cum conabatur,
340 erat saxo soleatus.

Iuvenis tum Joukahainen,
animo iam angebatur
graviusque gravabatur.
Verbum facit, ita fatur:
345 "O vir prudens, Väinämöinen,
vates vere sempiterne!
Tolle tua verba sacra,
tuas voces revocato!
Me his malis liberato,
350 his de rebus reparato!
Bonum pretium rependam,
dabo maximam mercedem."
Ait vetus Väinämöinen:
"Ergo quidnam mihi dabis
355 verbis sacris his sublatis
vocibusque revocatis,
si te malis liberabo,
his de rebus reparabo?"

Iuvenis tum Joukahainen:
360 "Utor arcubus duobus,
bellulis et bene curvis,
agilis est alter arcus,
alter ferit accurate.
Sumas ex his alterutrum!"
365 Ait vetus Väinämöinen:
"Nihil curo, homo demens,
tuos arcus, vir vesane!
Eos habeo vel ipse,
per parietes qui pendent,
370 clavis omnibus inhaerent;
sine viro silvam petunt,
sponte foris operantur."

Eius cantu Joukahainen
adhuc altius est mersus.

375 Iuvenis tum Joukahainen:
"Utor navibus duabus,
bellulis et bonis scaphis,
una celeris est cursu,
altera fert onus magnum.
380 Sumas ex his alterutram!"
Ait vetus Väinämöinen:
"Nihil curo tuas naves
nec ex scaphis ullam sumo!
Eas habeo vel ipse
385 subter litora subductas,
omnes portus praetexentes,
vento prospero robustas
vel quae currant contra ventum."
Eius cantu Joukahainen
390 adhuc altius est mersus.

Iuvenis tum Joukahainen:
"Duos habeo caballos,
bellulos et bonos equos,
unus nobilis ad cursum,
395 alter velox ad vehendum.
Sumas ex his alterutrum!"
Ait vetus Väinämöinen:
"Nihil curo tuos equos,
albicrines non admiror!
400 Eos habeo vel ipse
loris omnibus ligatos,
ad praesaepia praesaeptos:
caro pinguis tegit tergum,
adeps lumbulos abundans."
405 Eius cantu Joukahainen
adhuc altius est mersus.

Iuvenis tum Joukahainen:
"O vetuste Väinämöinen!
Tolle tua verba sacra,
410 tuas voces revocato!
Aurum galea portabo,
plenum pileum argenti,
pater bello quae paravit,
reportavit rebus gestis."
415 Ait vetus Väinämöinen:
"Non argentum tuum curo,
aurum, amens, non requiro!
Ea habeo vel ipse
cunctis cellulis refertis,
420 cunctis cistulis completis:
aurum vetus est ut luna,
anni solis sunt argento."
Eius cantu Joukahainen
adhuc altius est mersus.

425 Iuvenis tum Joukahainen:
"O vetuste Väinämöinen,
me his malis liberato,
his de rebus reparato!
Meas mergites donabo,
430 agros meos arenosos,
vindicem ut mihi vitam,
memet ipsum ut resolvam."
Ait vetus Väinämöinen:
"Tuas mergites non opto,
435 agros, turpis, arenosos!
Eos habeo vel ipse,
agros angulis in cunctis,
mergites in cunctis agris.
Agri mei meliores
440 mergitesque cariores."
Eius cantu Joukahainen
adhuc altius est mersus.

Iuvenilis Joukahainen
certe denique desperat,
445 limo mersus usque mentum,
usque barbam malo loco,
in palude muscum mordens,
dente tenens truncum putrem.
Ait ibi Joukahainen:

450 "O vir prudens, Väinämöinen,
vates vere sempiterne!
Cantus tuos recantato,
vita reliqua relicta
me hoc limo liberato!
455 Flumen pedes iam deportat,
pulvis oculos offendit.
Verbis sacris his sublatis,
his loquelis revocatis
Ainonem sororem dabo,
460 matris filiam mandabo,
domum tibi quae detergat,
purget tibi pavimentum,
lavet lignea vel vasa,
abluat vel vestimenta,
465 texat tunicam auratam
et mellitum paret panem."

Inde vetus Väinämöinen
fuit demum delectatus,
470 virginem cum accepisset
ad solamen senectutis.
Sedit saxo gaudiorum,
petram carminum petivit.
Canit horam alteramque,
immo vero tertiamque:
475 verba sacra recantavit,
voces suas revocavit.
Iuvenis tum Joukahainen
mentum limo liberavit,
barbam solvit malo loco,
480 equus solvitur ex saxo,
traha litoris e ligno,
ex arundine flagellum.
In curriculum conscendit
seque rapuit in traham;
485 est profectus aegra mente,
corde male contristatus
ad ipsius almam matrem,
suam caram genetricem.
Curru vehitur veloci.
490 Miro modo domum venit:
ad fenile traham fregit,
ad ponticulum temonem.
Coepit mater admirari,
pater autem ita fatur:
495 "Traham frustra confregisti
rupto temere temone!
Curnam miro modo curris,
venis stulte domum tuam?"
Iuvenis tum Joukahainen
500 fundit lacrimas ubertim,
corde maestus, aeger mente,
male pileo pendente,
labro denique demisso,
naso versus os distorto.

505 Mater quaerere maturat,
procreatrix percontari:
"Quid, mi fili, fles ubertim,
tu quem pridem procreavi,
quidnam ita lamentaris
510 naso versus os distorto?"
Iuvenis tum Joukahainen:
"Genetrix, o mea mater!
Causa manet manifesta,
acciderunt res arcanae,
515 est plangendi plana causa,
sunt, quas querar, res arcanae!
Illud plangam per hanc vitam,
per aetatem aegre feram:
Ainonem sororem dedi,
520 matris filiam despondi
ad solamen Väinämöinis,
in coniugium cantoris,
in tutelam titubantis,
in subsidium inertis."

525 Mater laeta manus suas
ambas inter se terebat;
verbum facit, ita fatur:

"O mi fili, noli flere!
Non sunt nobis res deflendae
530 nec magnopere maerendae:
sic speravi totam vitam,
per aetatem exoptavi,
ut in genere gentilis
fortis foret vir praeclarus
535 et ut gener Väinämöinen
cantor fieret cognatus."

Aino, soror Joukahainis,
flere coepit contristata.
Diem flevit alterumque
540 in ponticulo porrecta;
flebat magnum ob maerorem,
propter animum amarum.
Mater dicere maturat:
"Quidnam, Aino mea, plangis,
545 tu, quae nubes viro magno
in praeclaram domum ducta,
ubi seras sub fenestra
in subsellio sermones?"

Filia his verbis fatur:
550 "Mater, quae me peperisti!
Est quidem quod ego plangam:
pulchritudinem capilli,
crinem spissum virginalem,
plango comas bene comptas,
555 si velantur mihi parvae,
mihi tenerae teguntur.
Id quidem per vitam plangam:
huius solis suavitatem,
lunae luminis splendorem,
560 aëris amoenitatem,
illa si relinquam infans,
perdam parvula puella,
quo locorum frater lusit,
sub fenestris genitoris."

565 Mater filiae respondet,
parens loquitur puellae:
"Vade, vecors, missis curis,
tuis fletibus, tu stulta!
Non est curis cur angaris
570 neque causa contristari.
Lucet enim lux divina
alibique hoc in mundo,
non sub solis his fenestris,
prope portam tui fratris.
575 Bacae sunt in arvis altis,
fraga lucis in frondosis,
quae decerpas, desperata,
divo sub longinquiore,
nec in solo patris solo,
580 agris, quos aravit frater."

CANTIO IV

Aino, virgo iuvenilis,
soror illa Joukahainis
fasces facere volebat,
virgas ferre de virgeto.
5 Patri primulas paravit,
matri maluit secundas,
tertiasque virgas demum
fratri florido collegit.
Domum versus iam profecta
10 alnos ambulans dimovit.
Venit vetus Väinämöinen,
vidit virginem in luco,
veste pulchram inter herbas.
Verbum facit, ita fatur:
15 "Noli cuiquam, virgo virens,
nisi mihi, virgo virens,
in monili margaritas,
crucem pectore portare,
nexos comere capillos,
20 crines serico ligare!"

Virgo verbis ita fatur:
"Neque tibi neque cuiquam
crucem pectore portabo,
crines serico ligabo.
25 Vestes laneas non curo
neque panem album amo;
vestior vestitu stricto,
fruor paucis panis frustis
apud almum genitorem,
30 iuxta caram genetricem."
Crucem pectore revellit
anulosque digitorum,
mox monilia decussit
criniumque rubra fila,
35 his ut humus uteretur
sive lucus laetaretur.
Domum repetit cum fletu,
cum ploratu suam sedem.

Pater sedet sub fenestra,
40 scapum decorat securis.
"Quidnam plangis, o misella,
o misella, virens virgo?"
"Adest causa deplangendi,
sunt labores, quos lamenter!
45 Illud plango, pater care,
illud plango lamentorque:
decidit crux pectoralis,
est decussum zonae decus,
pectoris crux argentata,
50 zonae fibula formosa."

Frater eius prope portam
arcum ligneum dolabat.
"Quidnam, o misella soror,
plangis, soror, virens virgo?"
55 "Adest causa deplangendi,
sunt labores, quos lamenter!
Illud plango, miser frater,
illud plango lamentorque:
est de digito detractus
60 anulus ex auro factus,
est decussum meo collo

argentatum et monile."

Soror eius extra limen
zonam auream texebat:
65 "Quidnam, o misella soror,
plangis, soror, virens virgo?"
"Adest causa deplangenti,
sunt labores lamentanti!
Illud, o misella, plango,
70 illud plango, mea soror:
aurum decidit de fronte,
est ablatum et argentum;
filum sericum amisi
et crinalem rubram vittam."

75 Genetrix in cellae scalis
lactis florem deflorabat:
"Quidnam plangis, o misella,
o misella, virens virgo?"
"Mater, quae me peperisti,
80 quae me nutrix nutrivisti!
Adsunt causae vel atroces,
res acerbae, male maestae.
Illud, o misella, plango,
illud plango, mea mater:
85 fasces facere volebam,
virgas ferre de virgeto.
Patri primulas paravi,
matri malui secundas,
tertiasque virgas demum
90 fratri florido collegi.
Domum versus revertebar,
ibam tum per nemus ipsum:
procus prodiens de luco
Kalevainen mihi fatur:
95 'Noli cuiquam, o misella,
nisi nobis, o misella,
in monili margaritas,
crucem pectore portare,
nexos comere capillos,
100 crines serico ligare!'

Crucem pectore revelli
et monilia de collo,
fila caerula de fronte
criniumque rubra fila,
105 his ut humus uteretur
sive lucus laetaretur.
Verbis fere his sum fata:
'Neque tibi neque cuiquam
crucem pectore portabo,
110 crines serico ligabo.
Vestes laneas non curo
neque panem album amo,
vestior vestitu stricto,
fruor paucis panis frustis
115 apud almum genitorem,
iuxta caram genetricem.' "

Mater facit illa verba,
parens filiae profatur:
"Noli flere, mea nata,
120 tu, quam pridem procreavi!
Annum vescere butyro,
vinces ceteras vigore;
alterum suina carne,
vinces ceteras candore;
125 tertium cremore lactis,
forma ceteras praecelles.
Pete cellulam collinam –,
cellam optimam reclude –!
Arcam ibi premit arca,
130 cistae cistis coniunguntur.
Arcam optimam reclude
et operculum laxato:
sex sunt zonae deauratae,
vestes caerulae septenae,
135 texuit quas virgo Lunae,
Solis filia finivit.

Olim eram cum innupta,
virginalis cum vivebam,
bacas carpere volebam,

140 rubros rubulos sub monte.
Lunam texere percepi,
Solis filiam filare
subter silva subobscura,
apud luculum amoris.
145 Ego propius processi,
illis ita propinquavi.
Coepi verbis invocare,
illas sic sum allocuta:
'Aurum dato, virgo Lunae,
150 Solis nympha, fer argentum
mihi pauperi puellae,
huic filiolae precanti!'
Aurum dedit virgo Lunae,
nympha Solis fert argentum.
155 Ego frontem inauravi,
caput meum argentavi!
Domum veni virgo florens,
laeta patrias in aulas.
Dona biduum portavi.
160 Tertioque iam dierum
aurum tempore detraxi,
crine capitis argentum;
haec in cellulam inlata
cista condidi contecta.
165 Ibi postea fuerunt,
iam non umquam ea vidi.

Cinge tempora nunc vitta,
auro frontem decorato,
collum meris margaritis,
170 pectus aureata cruce!
Sumas tunicam subtilem,
puro lino factam ferto!
Veste lanea vestitam
zona serica te cingas;
175 sericum sit tibiale,
calceus ex pelle pulchra!
Cŏmam cōmas bene nexam,
filo serico ligatam;
anulis ex auro factis
180 armillisque sis decora!
Ita cellula relicta
rursus atrium intrabis,
ut sis decus domus tuae,
omnis gentis ornamentum:
185 in his areis florebis,
velut rubulus rubebis
pulchrior quam umquam prius,
melior quam eras ante."

Mater fecit ea verba
190 ita filiae locuta.
Filia non oboedivit,
matris verba non audivit;
atrium cum fletu liquit,
maesta mente foras venit.
195 Verbis ita fere fata,
his loquelis est locuta:
"Qualis animus beatis,
quali mente vivit felix?
Talis animus beatis,
200 tali mente vivit felix,
ut scintillat maris unda
alveus vel aqua plenus.
At mens miserarum qualis,
quonam modo vivit fulca?
205 Talis mens est miserarum,
eo modo vivit fulca,
ut nix iuxta montis iugum,
aqua putei profundi.

Mihi maestae nunc persaepe,
210 saepe mihi mens puellae
vadit arida per arva,
in virgultis volutatur,
inter herbas permoratur,
in fruticibus versatur;
215 mens non melior est pice,
cor non candet plus carbone.
Mihi melius fuisset,
si non umquam essem nata,

neque nata nec creata,
220 nec crevissem educata
in haec tempora tam taetra,
sub hoc caelum nimis nigrum.
Post sex noctes si perissem
vel vixissem non plus octo,
225 multas res non voluissem:
panniculum dodrantalem,
locum parvulum in prato,
matris lacrimas non multas,
patris illis pauciores,
230 nullas vero mei fratris."

Diem flevit alterumque.
Mater quaerere maturat:
"Quid, misella virgo, plangis,
lacrimans quid lamentaris?"
235 "Id misella virgo plango,
omni tempore lamentor,
cum me miseram dedisti
filiamque despondisti
ad solamen senescentis,
240 qua iam languens laetaretur,
in tutelam titubantis,
in subsidium inertis.
O si potius iussisses
mergi me profundis undis,
245 ut coregonorum consors
essem, piscibus amica!
Melius in mari nare,
subter undis habitare
me coregonis consortem,
250 aquae piscibus amicam
quam solamen esse senis
columenque titubantis,
caligis qui praepeditur,
cadit pronus propter ramum."

255 Petit cellulam collinam,
introit in cellam ipsam.
Arcam optimam reclusit
et operculum laxavit:
vidit zonas sex auratas,
260 vestes caerulas septenas;
illis vestibus vestitur,
illas artubus adaptat.
Auro frontem adornavit,
comam capitis argento,
265 filis sericis ocellos,
vitta verticem crinali.
Inde coepit ambulare,
praeter nemora, per lucos;
it per terras, per paludes,
270 it per saltus subobscuros.
Iens ita sibi cantat,
verba facit, dum vagatur:

"Angor animi maerore,
vexor capitis dolore.
275 Non maerore magis angor
nec plus vexor dolorosa
quam si, misera, perirem
vel, infelix, interirem
his maeroribus tam magnis,
280 curis tristibus turbata.
Adsit iam nunc mihi tempus
linquere vitales auras,
tempus Inferos adire,
hac de vita demigrare:
285 non me plangit meus pater,
non fert aegre mea mater,
non germanae hument genae,
lacrimas non frater fundit,
licet volvar in liquorem
290 iens praeceps inter pisces,
sub profundas maris undas,
super fundum limo fuscum."

Iit diem alterumque,
tertioque iam dierum
295 mare habuit adversum,
litus obvium ulvosum:

illic nocte deprehensa
tenebris iam tenebatur.
Ibi virgo vespertinas
300 horas plorat et nocturnas
sedens litoris in saxo,
apud maris sinum amplum.
Prima luce, multo mane,
promunturium prospectat:
305 virgines tres procurrentes
maris aquis lavabantur!
Aino virgo, virga virens,
quartam se iam sentiebat!

Linquit tunicam in dumo,
310 vestem pōpulo supponit;
tibialia per terram,
soccos litoris in saxum,
gemmas iecit iuxta ripam,
in arenulam anellos.
315 Procul petra picturata,
rupes rutilans surgebat:
nititur in petram nare,
fugere vult versus rupem.
Eo cum iam pervenisset,
320 se levabat, ut sederet
super petra picturata,
rubicunda super rupe:
petra ruit cum fragore,
rupes fugit versus fundum,
325 virgo petram comitatur,
Aino mergitur cum rupe.

Ibi periit puella,
ibi moritur infelix.
Moribunda modo fatur,
330 dum delabitur, locuta:
''Mari volui mundari,
versus altum nare coepi;
ibi perii puella,
avis animam amisi:
335 utinam ne meus pater
umquam, tempore vel ullo,
pisces retibus subducat
ex hoc ponto tam profundo!

Sum profecta me lavatum,
340 mari volui mundari;
ibi perii puella,
avis animam amisi:
utinam ne mea mater
umquam, tempore vel ullo,
345 madefaciat farinas
aqua de hoc sinu sumpta!

Sum profecta me lavatum,
mari volui mundari;
ibi perii puella,
350 avis animam amisi:
utinam ne meus frater
umquam, tempore vel ullo,
aquam equo bellatori
det de litore marino!

355 Sum profecta me lavatum,
mari volui mundari;
ibi perii puella,
avis animam amisi:
utinam ne mea soror
360 umquam, tempore vel ullo,
oculos hoc loco lavet,
in ponticulo paterno!

Quantum maris est aquarum,
tantum sanguinum meorum;
365 quantum piscium in mari,
tantum carnium mearum;
quod ramorum est in ripa,
eae costulae misellae;
quod herbarum est in ripa,
370 ii crines mei triti.''
Sic finivit virgo virens,
pulchra periit puella.

Quis nunc nuntium portabit,
ibit hac de re narratum
375 in puellae domum pulchram,
virginis in villam claram?
Ursus nuntium portabit,
ibit hac de re narratum!
Nequit ursus nuntiare:
380 abit, ut armenta petat.

Quis nunc nuntium portabit,
ibit hac de re narratum
in puellae domum pulchram
virginis in villam claram?
385 Lupus nuntium portabit,
ibit hac de re narratum!
Nequit lupus nuntiare:
abit pecora petitum.

Quis nunc nuntium portabit,
390 ibit hac de re narratum
in puellae domum pulchram,
virginis in villam claram?
Vulpes nuntium portabit,
ibit hac de re narratum!
395 Nequit vulpes nuntiare:
abit anseres petitum.

Quis nunc nuntium portabit,
ibit hac de re narratum
in puellae domum pulchram,
400 virginis in villam claram?
Lepus nuntium portabit,
ibit hac de re narratum!
Lepus certe confirmavit:
"Vir fert nuntium fidelis!"

405 Lepus coepit cursitare,
auritulus ambulare,
coepit varipes vagari,
vultu pravus properare
in puellae domum pulchram,
410 virginis in villam claram.
Prope balneum procurrit
et sub limine subsidit:
erat plenum puellarum,
quae cum virgis foras currunt:
415 "Vis, strabone, te coquamus,
assum ex te faciamus,
ero cenam vespertinam,
erae cibum matutinum,
filio meridianum
420 sive filiae merendam?"

Lepus potuit profari,
oculosus ostentare:
"Malus daemon forsan venit,
quem in olla concoquatis!
425 Ego vero nuntiatum
venio, hanc rem narratum:
periit iam virgo pulchra,
pectus stagno decorata,
fibulis cum argentatis,
430 cincta cingulis aeratis:
maris aquis se mandavit
mersam pelago profundo,
ut coregonorum consors
esset, piscibus amica."

435 Mater incipit plorare,
ora lacrimis rigare.
Postea haec verba fatur,
lacrimosa lamentatur:
"Matres miserae, nolite
440 umquam, tempore vel ullo,
vestras natas sic nutrire,
filias sic educare,
ut invitae viro nubant,
sicut genetrix infelix
445 meas natas enutrivi,
caros pullulos curavi!"

Mater flebat lacrimosa:

largae lacrimae labuntur
ex caeruleis ocellis
450 in misellas eius genas.
Gutta manat alteraque:
largae lacrimae labuntur
ex misellis matris genis
super pectora superba.
455 Gutta manat alteraque:
largae lacrimae labuntur
de pectoribus superbis
super leves vestis limbos.
Gutta manat alteraque:
460 largae lacrimae labuntur
levibus ex vestis limbis
calcias in rubicundas.
Gutta manat alteraque:
largae lacrimae labuntur
465 calciis ex rubicundis
corium in calceorum.
Gutta manat alteraque:
largae lacrimae labuntur
corio de calceorum
470 super terram subter pedes,
ut his uteretur terra
atque liquor laetaretur.

Lacrimae per terram lapsae
modo fluminis fluebant:
475 tria flumina creverunt
ex his aquis sic effusis,
de luminibus demissis,
ex ocellis eius ortis.
Ita fluvii hi crescunt,
480 ut torrentes trini fiant;
in torrentibus his trinis
trinae cautes exaltantur,
apud unamquamque cautem
collis aureus consurgit;
485 culmine cuiusque collis
tres betullulae nascuntur,
in cacumine cuiusque
tres cuculi generantur.

Tum cuculi cuculabant.
490 Unus sonat: "amor, amor!"
Alter autem: "proce, proce!"
Tertiusque: "gaude, gaude!"
Qui cuculat: "amor, amor!"
per tres menses cuculavit
495 virgini, quae non amavit,
mari mersa quae iacebat.
Qui cuculat: "proce, proce!"
per sex menses cuculavit
proco, procul ab amore
500 qui degebat desolatus.
Qui cuculat: "gaude, gaude!"
cuculavit aevum omne
matri gaudio carenti,
dies omnes deploranti.

505 Mater verbis ita fatur,
cum cuculum audiebat:
"Mater misera nolito
avem nimis auscultare!
Nam cuculus cum cuculat,
510 pectus palpitat pavore,
fletus oritur ocellis,
manant lacrimae per genas,
volutantur velut fabae,
granis pisi grandiores:
515 vitae tempus cito currit,
forma pulchra deformatur,
totum corpus corrugatur,
veris cuculo cantante."

CANTIO V

Verbum erat iam vulgatum,
novus nuntius dilatus
vitam virginis finitam,
pulchram mortuam puellam.
5 Vetus vates Väinämöinen
inde maxime maestatur:
seras flet, flet matutinas,
magis horas flet nocturnas,
quod perierat puella,
10 obdormiverat decora
mersa pelago profundo,
maximis sub maris undis.
Curis gravis, cum singultu,
corde male contristatus
15 it in litora marina.
Verbum facit, ita fatur:

"Untamo, sopores tuos
dic, sub terra soporate,
ubi degat maris deus,
20 maris virgines versentur!"
Dixit Untamo sopores,
vir sub terra soporatus:
"Illic degit maris deus,
maris virgines versantur:
25 in opaca longa lingua,
insula sub nebulosa,
sub profundis maris undis,
super fundo limo fusco.
Ibi degit maris deus,
30 maris virgines versantur
in tugurio tenello,
suis atriis angustis,
apud petram picturatam,
magnae cautis in cavernis."

35 Inde vetus Väinämöinen
portum petiit barcarum.
Suas lineas scrutatur
hamulosque contemplatur;
hamum infert in crumenam,
40 uncum ferreum in peram.
Lente remigans procedit,
iam ad insulam propinquat,
in opacam longam linguam,
insulam sub nebulosam.
45 Ibi pisciceps piscatur,
linum semper moderatur,
pisci retia praetendit.
Uncum usque demittebat,
piscabatur, nitebatur:
50 tremit aerea harundo,
stridet linum argentatum,
filum aureum vibratur.

Aliquot diebus actis,
quodam die matutino
55 piscis hamulo haerebat,
escam demum devoravit.
Eum illicit in lintrem,
in carinam caute capit.
Quem spectabat et versabat.
60 Verbum facit, ita fatur:
"Ecce piscis, piscis mirus,

equidem quem nondum novi!
Est coregono plus planus,
pallet paulo plus quam tructa,
65 plus quam lucius dilucet,
pinnae non sunt magni piscis;
est venustior quam homo,
sine vitta, non est virgo,
sine zona, non puella,
70 orbus auribus, non nupta;
maxime videtur salmo
sive perca de profundis."

Cultrum gerit in cinctura,
argentatum, in vagina.
75 Strinxit cultrum, quem gerebat,
argentatum ex vagina,
ut hunc piscem partiretur
et salmonem dissecaret
vel in cibos matutinos,
80 primum pastum ut pararet,
vel salmonem ut cenaret
epulas in vespertinas.
Vult salmonem dissecare,
piscem caedere cultello:
85 salmo desilit in mare,
piscis varius se vibrans
linquit lintrem rubicundam,
vatis veteris carinam.

Brevi caput exaltabat,
90 dextrum umerum levabat
venti vertice iam quinto
sive sexto flatu flante;
extollebat manum dextram,
laevum pedem ostendebat
95 unda septima sequente,
nono fluctu iam fluente.
Inde verbis ita fata,
his loquelis est locuta:
"O vetuste Väinämöinen!
100 Ego non ventura fui,
salmo, quem tu dissecares,
piscis, quem tu partireris
vel in cibos matutinos,
primum pastum ut parares,
105 vel salmonem ut cenares
epulas in vespertinas."

Ait vetus Väinämöinen:
"Quid fuisti tu ventura?"
"Equidem ventura fui,
110 quam sub ala tu foveres,
semper tecum quae sederem,
vitam viverem ut uxor,
sternerem quae tibi lectum,
cervicalia pararem,
115 tergerem quae domum parvam,
pavimentum quae purgarem,
ignem intus quae portarem
et accenderem caminum,
coquerem quae panem pinguem,
120 panem facerem mellitum,
quae cervisiam portarem
epulasque compararem.

Non marinus eram salmo
neque perca de profundis,
125 eram virgo iuvenilla,
soror illa Joukahainis,
quam tu semper quaesivisti,
per aetatem exoptasti.
Vae te, vetule vesane,
130 vates vecors, Väinämöinen,
qui tenere non novisti
maris virginem puellam,
unicam Ahtonis natam!"

Ait vetus Väinämöinen
135 vultu maestus, aeger mente:
"O tu soror Joukahainis,
rursus, sodes, revertaris!"
At non rursus est reversa

umquam iterum in aevo:
140 se subduxit et subtraxit
et disparuit delapsa
intra petram picturatam,
fulvam lapidis cavernam.

Vetus vates Väinämöinen
145 ibi rem deliberabat,
quidnam esset faciendum.
Sericam sagenam nexit,
quam in aqua huc et illuc
traxit longe, traxit late;
150 aquas placidas verrebat
inter scopulos salmonum,
aquas illas Väinölenses
praeter isthmos Kalevenses
abyssosque tenebrosas,
155 maris aequora permagna,
Joukolenses prope rivos,
prope litora Lapponum.
Pisces alios permultos
omnis generis captavit,
160 non captavit eum piscem,
quem in animo habebat:
maris virginem puellam,
unicam Ahtonis natam.

Inde vetus Väinämöinen
165 corde maestus, aeger mente,
male pileo pendente
verbis ita fere fatur:
''Eheu stupidi stuporem,
viri fatui virtutem!
170 Eram quidem animosus,
compos cogitationis,
magnum animum habebam
olim, tempore priore.
At nunc ipsum, in praesenti,
175 hac aetate nimis aegra,
tempore deficiente,
procul animus aberrat,
cogitatio non currit,
absunt omnes actiones.

180 Quam optavi tempus omne,
semisaeculum speravi,
maris virginem puellam,
ultimam ex aqua natam,
fore meam in aeternum,
185 viveret ut uxor mecum,
illa hamo meo haesit,
in carinam est captata:
ego non tenere novi,
non deferre domum meam,
190 rursus inter fluctus misi,
sub profundas maris undas!''

Abit aliquantum viae,
curis gravis gradum refert
ambulatque domum versus.
195 Verbum facit, ita fatur:
''Quondam cuculus cantabat,
avis olim exsultabat,
mane, vesperi canebat
nec meridie mittebat:
200 quid nunc gravat grandem vocem,
dulcem vocem quid duravit?
Dolor gravat grandem vocem,
cura deprimit canoram;
nam iam avis non auditur,
205 quae cadente sole cantet,
seras faciat serenas,
mites horas matutinas.

Neque satis mihi constat,
quonam modo vitam vivam,
210 habitem sub isto caelo,
has per terras peregriner.
Viveret si mea mater,
parens si pervigilaret,
verbum facere valeret,
215 quo me possem confirmare,

ne decederem dolore
neu succumberem his curis
his diebus nimis diris,
malo mentis in maerore!''

220 Ex sepulcro suscitata
mater loquitur e mari:
''Adhuc vivit mater tua,
parens pergit vigilare,
verbum facere valebit,
225 quo te possis sustinere,
ne doloribus decedas
neve curis his succumbas
his diebus nimis diris,
malo mentis in maerore:
230 abeas in Aquilonem!
Nam puellae pulchriores,
virgines venustiores,
ibi sunt vegetiores;
non morosae sunt Joukonis,
235 vastae virgines Lapponum.
Duc uxorem inde, fili,
optimam ex Aquilone,
quae sit oculis decora,
virgo facie formosa
240 pedibusque semper pernix,
motu corporis citata!''

CANTIO VI

Vetus vates Väinämöinen
se conferre cogitabat
frigidum in vicum illum,
Boream in tenebrosum.
5 Capit equum albicantem,
suum candidum caballum:
equum optimum frenavit,
sibi carum capistravit;
insilit in dorsum ipse,
10 coxis comprimit caballum.
Iter ibi faciebat,
gradu lento ferebatur
regens equum albicantem,
suum candidum caballum.
15 It per Väinölenses agros,
campos per Kalevalanos;
iter carpitur currendo,
domo longius abitur.
Vehitur in altum mare,
20 ubi pontus est apertus,
ungulis non umefactis,
equi pede non submerso.

Iuvenis est Joukahainen,
corpore pusillus Lappo.
25 Longum odium gerebat
manens nimium malignus
in vetustum Väinämöinem,
vatem illum sempiternum.
Arcum apparat potentem,
30 excellenter exornatum:
arcum ferreum confecit,
dorsum eius aere duxit,
auro demum decoravit
argentoque variavit.
35 Unde fiat eius filum,
unde chorda comparetur?
Nervus fit ex Hiisis alce,
ex linteolis Lemponis!

Arcus erat iam ornatus,
40 totus denique paratus.
Pulcher arcus apparebat,
pretiosus videbatur:
equus est in dorso sculptus,
equulus per eius lignum;
45 ipsum arcum ornat virgo,
lepus nervi coniuncturam.
Parat struem sagittarum,
trinis pinnis ornatarum:
cuique corpus est ex quercu,
50 spiculum ex pino factum.
Quam perfecerat sagittam,
eam plumis exornabat,
plumulis hirundininis
passerisque pinnis passis.
55 Suas imbuit sagittas,
tela denique duravit
atris viperae venenis,
diro sanguine serpentis.

Iam paratae sunt sagittae,
60 arcus aptus, qui tendatur.
Inde vatem opperitur,

veniat ut Väinämöinen:
manet mane vesperumque,
manet medium diei.
65 Septimanam exspectavit,
exspectavit indefessus
ad fenestras assidendo,
sub tabernis subsidendo,
inter vicos vigilando,
70 apud agros speculando;
tergo pharetram ferebat,
arcum optimum sub ala.
Procul quoque prospectabat,
ultra villam vicinorum:
75 in paeninsula perlonga,
promunturio protectus,
prope rivulum rapacem,
apud amnem consecratum.

Aliquot diebus actis,
80 quodam mane, matutino,
oculos in caurum fixit
capite sub solem verso;
vidit atrum ponti punctum,
locum nigrum super undis:
85 "Num sit nubes orientis,
prima lux in aquilone?"
Non est nubes orientis
neque lux in aquilone:
est vetustus Väinämöinen,
90 vates ille sempiternus,
iens in Septentrionem,
tenebrosas versus terras
regens equum albicantem,
suum candidum caballum.

95 Iuvenis tum Joukahainen,
corpore pusillus Lappo,
validum aptavit arcum,
bellulum, in manus sumpsit,
vatis vitam ut finiret,
100 interficeret cantorem.

Mater quaerere maturat,
parens ita percontari:
"Cuinam arculum adaptas,
es sagittam emissurus?"
105 Iuvenis tum Joukahainen
verbum facit, ita fatur:
"Ita meum arcum apto,
sum sagittam emissurus,
finiam ut vatis vitam,
110 interficiam cantorem.
Caedam vatem Väinämöinem,
virum veterem transfigam,
cor iecurque perforabo,
scindam carnes lacertorum."

115 Mater caedere vetabat,
ne necaret, dissuadebat:
"Noli petere Väinönem,
cave caedas Kalevensem!
Est ex magna stirpe natus,
120 filius affinis meae.
Si cecideris Väinönem
ceperisque Kalevensem,
gaudium sub divo desit,
cantus cadat his in terris.
125 Melius in mundo carmen,
cantus dulcior sub divo
quam in terris Inferorum,
Mortis atriis in atris."

Iuvenis tum Joukahainen
130 iam paulisper cogitabat,
paululum se prohibebat:
manus suadet sagittare,
manus altera dissuadet,
duri digiti compellunt.
135 Demum ore sonos profert,
verbum facit, ita fatur:
"Pereant vel ter quaterque
cuncta gaudia sub divo,
cadant omnes cantiones!

140 Sagittabo, non timebo."

Arcum validum tetendit:
uncum aereum attraxit
ad sinistrum genu versus,
subter suum dextrum pedem.
145 Telum traxit de pharetra,
de pellicea, pinnatum,
celerem sagittam sumpsit,
lignum optimum elegit;
illud posuit in sulco,
150 ante filum adaptavit.
Arcum firmum lineavit
dextro humero levatum,
praeparabat sagittare,
sagittare Väinämöinem.
155 Verbis ita fere fatur:
"Caedito, betulla curva,
dorsum pineum, ferito,
filum linteum, librato!
Si quid manu demittatur,
160 id sagitta submittatur;
quodve manu submittatur,
id sagitta demittatur!"

Arcus clavulum laxavit,
primum spiculum emisit:
165 id volavit nimis alte,
super caput, caelum versus,
inter nimbos nebulosos,
usque nubila dispersa.
Pergit, nec parenti paret.
170 Misit spiculum secundum:
id inferius volavit,
infimam in terram matrem;
terra fuit peritura,
iugum voluit disiungi.
175 Telum misit tertiumque:
ter conatus iam contingit
cervi caeruli lacertum,
vehitur quo Väinämöinen;
equum album perforavit.
180 eius candidum caballum,
ferit carnes scapularum,
alam aperit sinistram.

Inde vetus Väinämöinen
pronus procidit in aquam,
185 versus undam manus vertit,
palmis passis spumas sparsit;
cadit caerulo de cervo,
de candidulo caballo.
Ventus vehemens est ortus,
190 fluctus maximus in mari;
vatem veterem vehebat,
procul terra deportabat
ampliores inter aquas,
ubi freta sunt aperta.

195 Iuvenis tum Joukahainen
suis vocibus superbit:
"Heu, vetuste Väinämöinen,
non plus vivus vel superstes
umquam, tempore vel ullo,
200 lunae lumine lucente
ibis per Väinönis agros,
campos per Kalevalanos!
Annos ibi sex bullito,
septem annos pernatato,
205 annos octo fluitato
amplioribus in aquis,
illis fluctibus immensis:
sex per annos abiegnus,
septem pineus ut stipes,
210 octo velut vetus truncus!"

Dein domum suam intrat.
Mater quaerere maturat:
"Cecidisti iam Väinönem,
stirpem Kalevae captasti?"
215 Iuvenis tum Joukahainen
verbis fere his respondit:

''Iam cecidi Väinämöinem,
Kalevensem sic captavi,
mare manibus ut verrat,
220 palmis perfricet ut undas.
Mersus pelago profundo,
inter ipsas illas undas
senex pronus est prolapsus,
versus mare manus vertit;
225 undis inde latus dedit
atque substitit supinus
maris fluctibus vehendus,
maris aquis agitandus.''
Mater verbis ita fatur:
230 ''Male, miser, tu fecisti,
cum Väinönem cecidisti,
Kalevensem captavisti;
Suvantolae fuit summus,
optimus vir Kalevensis!''

CANTIO VII

Vetus vates Väinämöinen
natat undis in profundis;
velut truncus abiegnus
sive pineus ut stipes
5 fertur dies sex aestivos,
sex continuas per noctes;
ante liquidus est liquor,
retro restat caelum clarum.
Natat adhuc duas noctes,
10 duos dies longiores.
Nocte denique iam nona,
octo tum diebus actis,
animo vir angebatur
graviterque gravabatur
15 pedum unguibus amissis,
manus digitis duratis.
Ibi vetus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:

"O me masculum misellum,
20 vae me virum infelicem,
qui reliqui mea rura,
domicilia priora,
ut sub divo sempiternus
pervagarer per aetatem
25 venti flatibus vehendus,
maris fluctibus mandatus,
amplioribus his aquis,
fretis altis et apertis!
Frigus fero hac in vita
30 dolens frigoris rigore,
semper incolens in undis,
natans aquas has apertas.
Neque habeo compertum,
quid sit mihi faciendum
35 hac aetate nimis aegra,
his temporibus extremis:
an aedificem in aestu,
domum dolem his in aquis?
Aedes in hoc aestu factae
40 non in vento stabunt firmae;
domum aquis indolatam
aqua demum deportabit."

Avis aquila de Lappis
advolat ab Aquilone.
45 Non est aquila permagna
neque prorsus nimis parva:
aquam ala tangit una,
polum altera perstringit,
cauda verrit vada ponti,
50 rostro scopuli raduntur.
Volitat, se librat vento,
speculatur et versatur.
Vidit vatem Väinämöinem
caerulis in maris aquis:
55 "Qua re, vir, in mari manes.
heros, fluctibus misceris?"

Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Hac re vir in mari versor,
60 heros fluctuo per undas:
sum profectus, ut procarer

virginem ab Aquilone.
Equo vectus sum veloci
liquidum per maris aequor.
65 Aliquot diebus actis,
quodam mane, matutino,
venimus in maris sinum,
prope rivum Joukolensem:
equus meus est occisus,
70 qua petitus sum sagitta.
Tum in aquam sum volutus,
inter undas rui pronus
venti flatibus vehendus,
maris fluctibus mandatus.

75 Est exortus ventus caurus,
flavit flatus orientis;
qui me longius levavit,
procul terra deportavit.
Multos dies dimicavi,
80 multas noctes fluitavi
ampliores inter aquas,
ubi freta sunt aperta;
neque possum praesentire,
praevidere vel praescire,
85 utrum sit futurum morti,
utrum prius appropinquet:
moriarne mox ex fame
an immergar maris aquis."

Avis aëris profatur:
90 "Tu nequaquam perturberis!
Sistas, sodes, inter alas,
hos in humeros ascendas!
Te de ponto deportabo,
quo te maxime iuvabit.
95 Memor adhuc sum diei,
tempus melius recordor,
Kalevae cum silva caesa,
Osmolanis arvis ustis,
betullam conservavisti,
100 almam arborem liquisti,
quae praestaret avi sedem,
mihi requiem praeberet."

Inde vetus Väinämöinen
caput sublevat sublime;
105 sic ex pelago vir surgit,
heros oritur ex unda,
sistit inter avis alas,
humeris in aquilinis.
Avis aëris tum illa
110 vatem veterem portavit,
venti tramite transvexit
semitam per zephyrorum
ultimum in Aquilonem,
Sariolam tenebrosam.
115 Ibi linquit Väinämöinem,
ipsa surgit in sublime.

Ibi plangit Väinämöinen,
ibi plangit, lamentatur
in litoribus marinis,
120 quorum nomina non novit,
centum plagis vulneratus,
mille flatibus ventorum;
erat barba male trita,
coma capitis hirsuta.
125 Flet per duas tresve noctes,
totidem per dies quoque;
neque novit iter ire,
peregrinus, proficisci,
peteret ut rursus domum,
130 terras proprias pernotas,
sedes ipsius natales,
domicilia priora.

Serva parva Borealis,
cute pallida puella,
135 foedus fecerat cum sole,
et cum sole cumque luna,
ut cum illis oreretur,
somno simul solveretur:

immo prius suscitari,
140 ante lunam, ante solem
properabat quam cantaret
gallus ex gallina natus.
Quinas oves tonsitavit,
senas lanas carminavit,
145 illas inde glomeravit,
in coactile coegit,
antequam sol oreretur
et lux prima promicaret.

Inde lavat longas mensas,
150 purgat ampla pavimenta
scopulis ex virgis factis,
ramis arboris frondosis.
Purgamenta, quae collegit,
in aëneum iniecit;
155 ea foras exportavit
et ex area per agrum
in postremam eius partem,
ad extremum saepimentum.
Ibi paululum morata
160 auscultabat, se versabat:
planctum audiit de ponto,
ultra fluvium lamenta.

Cursu retro se recepit,
mox in atrium intravit;
165 ait, eo cum venisset,
esset cum ingressa, dixit:
"Planctum audii de ponto,
ultra fluvium lamenta."
Anus Aquilonis Louhi,
170 raris dentibus matrona,
mox in aream egressa
prope portam cito cedit;
illic auribus auscultat.
Verbum facit, ita fatur:
175 "Non vagitus est infantis
neque feminarum fletus,
est barbigeri ploratus,
ut complorat vir hirsutus."

Agit lembulum in aquam,
180 trium laterum, in undas;
ipsa coepit remigare.
Remigabat, properabat
remigans ad Väinämöinem,
versus virum complorantem.
185 Ibi plangit Väinämöinen,
plorat procus Uvantonis
salices ad fluviales,
in pruneto prunis denso:
os movetur, barba tremit,
190 at non mentum agitatur.
Ait anus Aquilonis,
allocuta sic profatur:
"Heus tu, vetule miselle!
Es in terra peregrina."

195 Vetus vates Väinämöinen
caput leniter levavit.
Verbum facit, ita fatur:
"Id quidem vel ipse novi:
sum in terra peregrina,
200 mihi penitus ignota.
Melior in mea terra,
domi maior vir videbar."
Anus Aquilonis Louhi
verbum facit, ita fatur:
205 "Venia sit meo verbo
liceatque sciscitari,
quis tu, hospes, sis virorum,
quis et unde sis heroum?"

Vetus vates Väinämöinen
210 verbum facit, ita fatur:
"Ego quidem memorabar,
prisco tempore putabar
vir, qui vesperi gauderet,
caneret in omni valle
215 Väinölensibus in agris,

campis in Kalevalanis.
Quidnam sim iam vir misellus,
vix intellego vel ipse."
Anus Aquilonis Louhi
220 verbum facit, ita fatur:
"Surge, heros, de palude,
novam semitam iam sume,
referas ut res amaras,
vices varias evolvas!"

225 Virum flentem secum sumpsit,
hominem, qui complorabat;
ad naviculam deduxit
et in puppi collocavit.
Ipsa sedet inter remos,
230 ad remigium maturat.
Remigat in Aquilonem,
hospitem in domum ducit.
Cibo pavit famescentem,
virum madidum siccavit;
235 perfricat per septimanam,
perfricat, fomentis fovet:
vir est ita recreatus,
sanitati restitutus.
Sciscitatur, percontatur,
240 verbis ita fere fatur:
"Quid plangebas, Väinämöinen,
Uvantolane, quid plorabas
illo loco tam iniquo,
in litoribus marinis?"

245 Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Adest causa deplangendi,
sunt labores, quos lamenter!
Diu pelagus natabam,
250 undas manibus urgebam
amplioribus in aquis,
fretis altis et apertis.
Illud plangam per hanc vitam,
per aetatem aegre feram,
255 quod ex meis terris navi,
veni propriis ex terris
ad hoc ostium obscurum,
ad has portas peregrinas.
Omnes arbores arrodunt,
260 omnes ramuli hic radunt,
omnis obstitit betulla,
omnis alnulus allidit:
unus ventus est, quem novi,
solus sol, quem ante vidi,
265 in his terris peregrinis,
apud ostium obscurum."

Anus Aquilonis Louhi
inde facit illa verba:
"Noli flere, Väinämöinen,
270 Uvantolane, ne plorato!
Bene mecum hic moraris,
tempus dulciter hic ducis,
bene vesceris salmone
atque carnibus suinis."
275 Tum vetustus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
"Cibus peregrinus cassus,
hospes quamvis sit humanus;
melior in sua terra,
280 domi maior vir videtur.
Deus utinam benignus,
clemens faciat Creator,
ut ad propria revertar,
domicilia priora!
285 Praestat patriis in terris
aqua sumpta desub calce
quam in terra peregrina
mulsum calice fulgenti."

Anus Aquilonis Louhi
290 verbum facit, ita fatur:
"Ergo quidnam mihi dabis,
si te faciam reverti
proprias in regiones,

ad balneolum paternum?"
295 Ait vetus Väinämöinen:
"Ergo quid a me requires,
si me facies reverti
proprias in regiones,
ubi cuculus cuculat,
300 argutatur avis mea?
Auri galeam vis plenam,
plenum pileum argenti?"

Anus Aquilonis Louhi
verbum facit, ita fatur:
305 "O vir prudens, Väinämöinen,
vates vere sempiterne!
Non res aureas requiro
nec argentum tuum amo:
ludicra sunt liberorum
310 et equorum ornamenta.
Scis Samponem fabricari,
figurare firmamentum
pinnulis ex olorinis,
vaccae sterilis e lacte
315 hordeaceoque grano,
lanulis unius ovis?
Tibi filiam promittam,
dabo praemio puellam,
faciam, ut revertaris,
320 ubi canit avis tua,
ubi tuum gallum audis,
proprias in regiones."

Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
325 "Facere nescio Samponem,
firmamentum variare.
Fac ad propria revertar:
mittam fabrum Ilmarinem,
qui Samponem fabricetur,
330 qui figuret firmamenta,
tuam filiam qui placet,
satisfaciat puellae.
Talis artifex est ille,
faber admodum peritus,
335 caelum ipsum qui procudit,
arcem caeli malleavit:
signa mallei non vides
nec tenaculi retentum."

Anus Aquilonis Louhi
340 verbum facit, ita fatur:
"Illi natam despondebo,
meam filiam promittam,
qui Samponem fabricabit,
firmamentum variabit
345 pinnulis ex olorinis,
vaccae sterilis e lacte
hordeaceoque grano,
lanulis unius ovis."

Frenos inicit caballo
350 fulvo, curru quem subiungit;
vatem veterem deduxit
et in curru collocavit.
Inde verbis ita fata,
his loquelis est locuta:
355 "Noli caput exaltare,
summum verticem levare,
equus nisi sit defessus
sive venerit iam vesper:
si tu caput exaltabis,
360 prius verticem levabis,
erit tibi pereundum,
superveniet sors mala."
Inde vetus Väinämöinen
equum excitat flagello
365 iuba candida decorum.
Curru vehitur veloci
linquens terram tenebrosam,
Sariolam nebulosam.

CANTIO VIII

Illa pulchra Borealis
virgo nobilis, electa,
aëris in arcu sedet
par splendori firmamenti,
5 puris palliis induta,
veste candida vestita;
telam auream texebat,
argentatam adornabat;
radius ex auro factus,
10 pecten erat ex argento.
Cito radius ruebat,
glomus manu rotabatur,
firma stamina stridebant,
pecten fulgens personabat,
15 virgo telam cum texebat,
argentatam adornabat.

Vetus vates Väinämöinen
curru vehitur veloci
linquens terram tenebrosam,
20 Sariolam nebulosam.
Aliquantum est provectus,
paulum viae iam processit:
audit radii susurrum
de superno, super caput.
25 Ibi verticem levavit,
oculos in caelum vertit:
arcum aspicit caelestem,
virginem in eius ora;
telam auream texebat,
30 argentatam adaptabat.
Vetus vates Väinämöinen
statim sustinet caballum.
Verbis ita fere fatus,
his loquelis est locutus:
35 "Virgo, venias in traham,
in vehiculum descendas!"
Virgo verbis ita fata
loquitur et sciscitatur:
"Qua re virginem vocasti,
40 in vehiculum puellam?"
Vetus vates Väinämöinen
ita virgini respondit:
"Hac re virginem vocavi,
in vehiculum puellam:
45 coquat panem ut mellitum,
zythum faciat perite,
cantet ut in omni scamno,
gaudeat ut sub fenestris
Väinölensibus in fundis,
50 praediis Kalevalanis."

Virgo verbis ita fata,
his loquelis est locuta:
"Viserem cum galiorum
campum floribus decorum
55 sero vespere hesterno
inclinante se iam sole,
avis nemoris cantabat,
turdus rauculus crepabat;
virginum res referebat
60 et narravit res nuptarum.
Ego coepi sciscitari,

haec ab avi percontari:
'O tu turdule canore!
Dic, ut auribus auscultem:
65 utra melius moratur,
utra carior habetur,
apud genitorem virgo
an ad virum nurus nupta?'

Parus ita rem narravit,
70 turdus rauculus respondit:
'Dies candidus aestivus,
virgo candet plus innupta;
frigidum in gelu ferrum,
nurus magis friget nupta.
75 Ita virgo domi vivit,
ut in bona terra baca,
ita nurus viro nupta,
ut catenis canis vincta.
Raro servus fert amorem,
80 nurus numquam adamatur.' "

Vetus vates Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
"Cassae pari cantiones,
turduli crepationes!
85 Domi filia puella,
nupta demum fit adulta.
Virgo, venias in traham,
in vehiculum descendas!
Non sum ego homo nequam
90 nec pigerrimus virorum."
Virgo vafre dat responsum,
verbum facit, ita fatur:
"Tum te dicam meum marem,
putem esse virum verum,
95 dissecueris si saetam
cultro, caret qui mucrone,
ovum nexeris in nodum,
qui non manu sentiatur."

Vetus vates Väinämöinen
100 bene saetulam diffindit
cultro, caret qui mucrone,
tota cuspide privato;
ovum religat in nodum,
qui non manu sentiatur.
105 Vocat virginem in traham,
in vehiculum puellam.
Virgo vafre dat responsum:
"Forsan ego tibi nubam,
saxo corticem si tollas,
110 glaciem in ligna rumpas,
ut non ulla frusta fiant
nec fragmenta dispergantur."

Vetus vates Väinämöinen
non his verbis perturbatur:
115 tollit corticem de saxo,
rumpit glaciem in ligna,
ut non ulla frusta fiant
nec fragmenta dispergantur.
Vocat virginem in traham,
120 in vehiculum puellam.

Virgo vafre dat responsum,
verbis fere his profatur:
"Illi demum ego nubam,
fabricet qui nobis navem
125 ex fragmentis mei fusi,
pectinis ex parvis frustis,
ita navem qui deducat
nuper factam inter fluctus,
ut non illam genu premat
130 neque manibus attingat
nec lacertis illam levet
umerisque non propellat."

Inde vetus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
135 "Nec in terra nec in mundo
sub caelorum firmamento
faber navium sit talis,

ut appareat par nobis."
Fusi frusta secum sumit,
140 colos colligit rotales;
it, ut navem fabricetur,
centum axibus aptatam,
chalybeium in collem,
ferream in montis molem.
145 Ferox navem faciebat,
lintrem ligneam superbus.
Facit diem alterumque,
facit tertium dierum:
nec securis rupem stringit
150 neque ferrum ferit saxum.

Tertioque tum dierum
Hiisi summum scapum gyrat,
Lempo laminam contingit,
Malus ipse lignum movet.
155 Stringit rupem iam securis,
ferrum ferit contra saxum;
lamna, saxo repercussa,
lapsa contra corpus eius,
genu viri generosi,
160 pedis digitum percussit.
Quam in carnes infert Lempo,
Hiisi nervis adaptavit:
sanguis vulnere profluxit,
cruor largus est prolapsus.

165 Vetus vates Väinämöinen,
incantator sempiternus,
ibi verbis ita fatus,
his loquelis est locutus:
"O securis naso curvo,
170 ascia, tu planilamna!
Arborem te momordisse,
pinum putas percussisse,
lignum vetus vulnerasse,
bene betulam icisse,
175 cum es lapsa contra carnem
atque venas invenisti?"

Inde coepit incantare,
verba voluit dictare.
Ortus penitus perlegit,
180 omnes ordine loquelas,
at non recordatur quaedam
verba contra ferrum dicta,
quibus claustra comparentur,
sera solida struatur
185 illis venis ferro scissis,
lamna livida diruptis.

Sanguis fluit iam ut flumen,
cruor aestuat ut amnis:
obruit bacarum caules
190 et ericas locis tesquis.
Nec restabat ullus caespes,
qui non esset inundatus
his sanguinibus spumosis,
his cruoribus effusis
195 vatis veteris e genu,
digito de Väinämöinis.
Vetus vates Väinämöinen
vellus lapidi devellit,
sumit muscum de palude,
200 caespitem de terra caedit,
ut foramen foedum claudat,
sarciat ut saevam portam:
id ne paulum quidem prodest
neque comprimit cruorem.

205 Animo iam angebatur
graviusque gravabatur.
Vetus vates Väinämöinen
iam in lacrimas prorupit;
frenos inicit caballo
210 fulvo, curru quem subiungit,
seque rapuit in traham,
in curriculum conscendit.
Ferit ferula veredum,
stringit verbere stridente;
215 iter carpitur currendo

traha prorsus properante.
Brevi vehitur in vicum:
habet trivium adversum.

Vetus vates Väinämöinen
220 viam infimam secutus
infimam in domum venit.
A liminibus quaesivit:
''Estne quisquam in hac domo,
exigat qui ferri vulnus,
225 sciat malum mitigare,
placet hominis qui plagas?''
Parvulus in pavimento
puer stabat apud furnum.
Ad haec ita responsavit:
230 ''Non est quisquam in hac domo,
exigat qui ferri vulnus,
sciat malum mitigare,
comprehendat qui dolorem,
placet hominis qui plagas;
235 est in domo vicinorum:
ad vicinos adveharis!"

Vetus vates Väinämöinen
ferit ferula veredum,
curru vehitur currente.
240 Aliquantulum provectus,
viam mediam secutus
mediam in domum venit.
Extra limina quaesivit,
sub fenestra sciscitatur:
245 ''Estne quisquam in hac domo,
exigat qui ferri vulnus,
comprimat cruoris imbrem,
siccet sanguinis torrentem?''
Erat vetula sub veste,
250 anus loquax apud furnum.
Vere vetula respondit,
anus tridens crepitavit:
''Non est quisquam in hac domo,
exigat qui ferri vulnus,
255 sanguinis qui sciat ortum,
comprehendat qui dolorem;
est in domo vicinorum:
ad vicinos adveharis!"

Vetus vates Väinämöinen
260 ferit ferula veredum,
curru vehitur currente.
Aliquantulum provectus,
viam summam persecutus
in supremam domum venit.
265 A liminibus quaesivit
e vestibulo profatus:
''Estne quisquam in hac domo,
exigat qui ferri vulnus,
ortos fluvios obturet,
270 nigrum sanguinem qui sistat?''
Furno vetulus sedebat,
senex barbiger sub trabe.
Senex fremit super furno,
barbiger vociferatur:
275 ''Sunt sedata grandiora
vel repressa graviora
tribus verbis Creatoris,
nutu numinis divini:
ora fluviorum, lacus,
280 amnes acriter ruentes;
ponti sinus sunt praecisi,
isthmi bimares angusti.''

CANTIO IX

Inde vetus Väinämöinen
ex curriculo consurgit,
sponte sua traham linquit
suis viribus sublatus;
5 inde domum est ingressus,
sese contulit sub tecta.
Vas argenteum affertur,
fulgens poculum portatur:
ne pauxillum quidem capit
10 neque continet omnino
sanguinem vetusti vatis,
viri nobilis cruorem.

Senex fremit super furno,
barbiger vociferatur:
15 ''Quis tu, hospes, sis virorum,
quis et unde sis heroum?
Septem scaphas plent cruores,
orcas octo grandiores,
qui, vir miser, tuis venis
20 fusi sunt per pavimentum!
Verba cetera recordor,
sed non novi primos ortus,
unde ferri sint natales,
unde scoria confecta.''

25 Tum vetustus Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
''Ipse scio stirpem ferri,
novi chalybis natales:
aër fuit prima mater,
30 aqua fratrum maior natu,
ferrum fratrum minor natu,
ignis medius eorum.
Ukko, summus procreator,
ipse deus firmamenti,
35 aquam dividit ab auris,
separat ab aqua terram.
Ferrum vero non est natum,
neque natum nec creatum.

Ukko, deus firmamenti,
40 manus suas comprimebat,
ambas inter se terebat
super genu suo laevo.
Inde natae tres puellae,
tres sunt nymphulae creatae,
45 matres fierent quae ferri,
genetrices glaucae lamnae.
Ibant nymphulae nutantes,
nubis oras peragrabant
cum uberibus distentis,
50 ex papillis laborantes.
Lac mulserunt super terras,
ex mamillis emiserunt
super terras et paludes,
super limpidos liquores.

55 Una mulsit lac nigellum:
natu maxima nympharum;
altera lac album mulsit:
natu media nympharum;
rubrum tertia defudit:
60 natu minima nympharum.

Quae tum mulsit lac nigellum,
ferrum flexile creavit;
illa, quae lac album mulsit,
fecit chalybem candentem;
65 rubicundum quae defudit,
ferrum fragile produxit.

Brevi tempore peracto
ferrum visere volebat
fratrem ipsius maiorem,
70 ad videndum ignem ire.
Ignis mente fit malignus,
suscitatur supra modum:
paene miserum perussit,
infelicem fratrem ferrum.
75 Ferrum autem se tum abdit,
abdit atque sic servatur,
fratris manibus evasit,
ignis faucibus irati.
Inde ferrum latitabat,
80 latitabat et manebat
in uligine limosa,
fontibus in fluctuosis,
in paludibus permagnis,
in minacibus montanis,
85 ubi parit ovum olor,
anser pullulos excludit.

Ferrum linquitur in limo,
locis mollibus moratur;
latet annum alterumque,
90 latet tertium et annum
inter duos duros truncos
sive tribus sub betullis.
Neque tamen id effugit
manus igneas fraternas;
95 rursus debuit reverti,
ignis atrium intrare,
cum in ensem conflaretur,
gladius cum cuderetur.

Lupus currit per paludem,
100 ursus peragrat per tesqua;
palus passibus movetur,
tesqua pedibus depressis:
ibi ferri fit robigo,
vectis ferrea surrexit,
105 ubi lupus ungues pressit,
ursus calcibus cavavit.

Editus est Ilmarinen,
editus et educatus.
Natus in combusto colle
110 crevit torridis in tesquis,
malleum tenebat manu,
pugno forcipem portabat.
Nocte natus Ilmarinen
die fabricam iam fecit.
115 Locum fabricae quaerebat,
quo caminum collocaret.
Vidit parvulam paludem,
terram tenuem aquosam;
est profectus, ut videret,
120 ut spectaret ex propinquo:
ibi folles suos fixit,
ibi posuit incudem.
Invenit mox lupi signa,
notas ursus quas impressit,
125 videt ferrum pullulare,
glebulas, quas ferrum tinxit,
in vestigiis lupinis,
ursus ubi palmam pressit.

Dixit denique hoc verbum:
130 'Ferrum, sortis infelicis,
cum sis male constitutum,
habitu humiliatum,
lupi pedibus depressum,
ursi gradibus gravatum!'
135 Cogitat et meditatur:
'Quid ex illo quoque fiet,
inferam si ferrum foco,

in camino collocabo?'
Ferrum tremuit misellum,
140 tremuit et trepidatur,
cum audivit ignis nomen,
memorari feram flammam.

Fatur faber Ilmarinen:
'Tu nequaquam perturberis!
145 Ignis non comburit notum
nec familiam diffamat.
Cum intrabis ignis domum,
domicilium flammarum,
fies ferrum sic formosum,
150 ita solidum consurges,
enses praebeas ut viris,
fines feminis filorum.'
Die postero post illum
ferrum ex palude fertur,
155 exhumatur ex humore
et in fabricam portatur.

Igni faber illud infert,
locat imis in caminis.
Follibus flat semel bisve,
160 tertiamque vicem temptat:
ferrum fluit liquefactum,
suis scoriis scaturit,
ut frumenti fervet massa
vel silignea soluta,
165 maximis in fabri flammis,
eius ignibus subactum.
Ferrum miserum clamabat:
'Heus tu, faber Ilmarinen!
Solve, sodes, me hoc loco,
170 foci fervidi tormentis!'
Fatur faber Ilmarinen:
'Solvero si te hoc foco,
forsan fies furibundum,
voles esse nimis ferox,
175 ferias ut tuum fratrem,
matris filium transfigas.'

Ibi ferrum dat infelix
suum grave ius iurandum
in incude caminoque,
180 sub malleolo, sub marco;
verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
'Ligna licet morsicare
saxi nucleo nutriri,
185 feriam ne meum fratrem,
matris filium ne figam.
Ita melius manebo,
vitam ducam dulciorem,
ut sim socius vagantis,
190 viatoris instrumentum,
quam ut comedam cognatos
et familiam diffamem.'

Inde faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
195 ferrum abripit a flammis
et deponit in incude;
inde flexile redegit,
faceret ut ferramenta,
asciasque lanceasque
200 instrumenta vel diversa.
Adhuc aliquid requirit
ferrum indigens, infelix:
nondum fervet ferrum acre,
neque nascitur acumen,
205 ferrum non fit satis durum,
nisi tingitur in aqua.

Inde faber Ilmarinen
secum rem considerabat.
Paulum cineris paravit
210 et lixivum liquefecit,
chalybem ut temperaret,
ferrum aquis induraret.
Faber lingua praelibavit,
gustu bene degustavit;
215 verbis ita fere fatur:

'Non sunt aquae satis bonae,
quibus chalybem indurem,
quibus aquis ferrum firmem.'

Apis terra desurrexit
220 alis caerulis decora.
Volitat, se librat vento,
fabri fabricam perlustrat.
Faber verbis ita fatur:
'Apis, avicella levis!
225 Affer nectar tuis alis,
porta lingula liquorem
de calycibus sex florum,
de septenis summis fenis
chalybem ad confirmandum
230 et ad ferrum faciendum!'

Vespa, volucris Hittonis,
prospectabat, auscultabat,
de superno despectabat,
desub cortice cernebat
235 illa ferra facienda
chalybesque confirmandos.
Volitabat, susurrabat:
iecit horrida Hittonis,
tulit sanguines serpentis,
240 atra viperae venena,
quidquid minxerat formica,
toxica bufonis taetra
in liquoris plenam lintrem,
ubi ferrum firmaretur.

245 Ipse faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
cogitat et arbitratur
apem ipsam advenisse,
alis attulisse sucum,
250 nectar apum apportasse.
Verbum facit, ita fatur:
'Ecce, hae sunt aquae bonae,
quibus chalybem indurem,
quibus aquis ferrum firmem.'

255 Eo chalybem deiecit,
tinxit sic infelix ferrum,
cum ex igne sustulisset,
de camino desumpsisset.
Ita chalybs fit scelestus,
260 ferrum rapitur furore;
ius iurandum violavit,
fidem comedit ut canis,
fratrem feriit, infelix,
ore genus obtrectavit,
265 sic ut sanguis emanaret,
cruor venis funderetur."

Senex fremit super furno,
canit capite tremente:
"Iam nunc scio stirpem ferri,
270 mores chalybis cognovi.
O tu ferrum miserandum,
o tu ferrum, faex infelix,
chalybs vīro venenatus!
Hocne modo procreatum,
275 hoc es factum furibundum,
sicne magnum evasisti?
At non tu tum eras magnum,
neque magnum neque parvum,
neque vero decorosum
280 neque multum iracundum,
lactis loco cum iacebas,
humor lacteus languebas
in papilla puellari,
vivens virginis sub ala
285 in oblonga nubis ora,
sub sublimi firmamento.

Neque tu tum eras magnum,
neque magnum neque parvum,
cum iacebas lutulentum,
290 stabas locis in stagnosis,
in paludibus permagnis,

in minacibus montanis,
cum in glebam es mutatum,
in ferruginem redactum.
295 Neque tu tum eras magnum,
neque magnum neque parvum,
alces te cum atterebant,
cervi campi conculcabant,
lupus pedibus premebat,
300 ursus palmulis urgebat.

Neque tu tum eras magnum,
neque magnum neque parvum,
cum de limo levabaris
et de faece formabaris
305 et ad fabrum portabaris,
in caminum Ilmarinis.
Neque tu tum eras magnum,
neque magnum neque parvum,
cum ut scoria scatebas,
310 liquefactum cum fluebas
fervidissimis in focis,
cum dedisti ius iurandum
in incude caminoque,
sub malleolo, sub marco,
315 apud fabrum fabricantem,
cum in fabrica cudebat.

Iamne magnum evasisti,
es furore furiatum,
violasti ius iurandum,
320 fidem, canis, comedisti,
cum cognatos offendisti,
ore genus obtrectasti?
Quis ad scelus excitavit,
ad nequitiam abduxit?
325 Utrum pater, anne mater,
natu maximus an frater,
anne minima sororum,
an quis alius cognatus?
Non est pater neque mater,
330 natu maximus nec frater
neque minima sororum
nec quis alius cognatus:
sponte facinus fecisti,
pallida cum paravisti.
335 Veni facinus nunc visum,
malefactis medicatum,
antequam parenti dicam,
querar tuae genetrici!
Plus laboris est parenti,
340 magnus dolor genetrici,
filius quod facit male,
puer stulte res corrumpit.

Siste, sanguis, tuos lapsus,
cruor, cursum cohibeto,
345 ne per caput meum manes
neve pectora respergas!
Sanguis, mane sicut murus,
sicut saepes loco stato,
ut flos iridis in alga,
350 carex in muscoso campo,
petra pratis in extremis,
rupes rapidis in aquis!

At si tua fert voluntas
properanter promoveri,
355 in visceribus veharis,
ossa lubrica lavato!
Intus melius moveris,
pulchrius sub cute curris,
cum in venis velox fluis
360 lubricaque lavas ossa,
quam cum defluis in terram,
spargeris in purgamenta.
Insons, non deberis terrae
herbidae, tu lactis instar,
365 neque prato, praedilecte,
neque clivo, viris care!
Est in corde tua sedes,
cella tua sub pulmone;
eo cito te conferto,

370 eo flue festinanter!
Non es rivus ad ruendum
neque lacus ad labendum
neque gurges ad currendum
nec navicula rimosa.

375 Desine iam destillare,
rubicunde, demanare!
Si non desinis, sistaris!
Stetit olim Tyrjae torrens,
flumen Mortis loco mansit,
380 pontus, polus sunt siccati
anno magnae siccitatis,
ignis anno praepotenti.
Si tu non vis oboedire,
rationes recordamur,
385 novos modos invenimus:
ollam ab Infernis rogo,
in qua sanguines coquantur,
cruor ita calefiat,
ut non guttula destillet,
390 rubicunda non demanet,
nec in terram cadat sanguis
nec cruores effundantur.

Si non sim vir satis fortis,
heros, filius Ukkonis,
395 ortos rivos ut obturem,
siccem sanguinis torrentem,
pater exstitit caelestis,
deus aetheris excelsus,
praevalet qui viris cunctis,
400 prae heroibus praecellit,
ut os sanguinis occludat,
orientem ut obturet.
Ukko, deus o supreme,
qui caelestis es creator!
405 Defer te desideratus,
ambules huc advocatus!
Manum turgidam protendas,
pinguem pollicem deponas,
qui foramen foedum claudat
410 sarciatque saevam portam!
Bonum folium obducas,
nectas nitidam nymphaeam
ad cruorem praecludendum,
oriens ut obturetur,
415 ne conspergat meum mentum
nec in vestes meas manet!''

Os cruoris sic occlusit,
viam sanguinis praesaepsit.
Senex filium tum misit
420 ad unguenta facienda
ex vaginulis fenorum,
spicis millefoliorum,
quae de nectare destillant,
sucum super terram fundunt.
425 Puer it in officinam
ad unguenta facienda;
invenit in via quercum.
Arborem interrogavit:
''Est in tuis ramis nectar,
430 liquor inest tuis libris?''
Quercus bene responsavit:
''Ipso lumine hesterno
liquor decidit in ramos,
in cacumen pluit nectar
435 destillantibus ex nimbis
et ex nubilis aquosis.''

Sumpsit quercea ramenta,
ligni levia fragmenta;
sumpsit optima fenorum,
440 herbas varias et multas,
quae non crescunt his in terris
nec videntur omni loco.
Ollam posuit in igne,
coepit coquere liquamen
445 plenum cortice quercino
fenulisque speciosis.
Olla bullas ebullivit

tres continuas per noctes
tresque dies per vernales.
450 Dein inspicit unguenta,
an unguenta iam sint proba,
efficaces medicinae.

Non sunt proba iam unguenta,
efficaces medicinae.
455 Fenum aliud iniecit,
herbas varias et multas,
apportatas aliunde,
remotissimis ex locis
a veneficis novenis
460 sive magis ab octonis.
Coxit adhuc tres per noctes
et post has et noctes novem.
Tollit ollulam ab igne,
dein inspicit unguenta,
465 an unguenta iam sint proba,
efficaces medicinae.

Erat pōpulus ramosa,
crescens agris in extremis,
a maligno viro fracta,
470 tota denique discissa;
unxit arborem unguentis,
his remediis curavit.
Verbis ita fere fatur:
"Si his inest in unguentis,
475 vulneri quod obducatur,
quod in plagas perfundatur,
esto, pōpule, sanata,
fias fortior quam ante!"
Fuit pōpulus sanata,
480 facta fortior quam ante:
desuper fit decorosa,
infra penitus integra.
Unguina tum experitur,
medicinas vult probare
485 in cavernulis saxorum
et in rupium scissuris:
iam inhaesit saxum saxo,
rupes rupibus sunt iunctae.

Puer exit officina,
490 postquam unguina paravit,
bona balsama perfecit;
ea seni dat in manum:
"Ibi proba sunt unguenta,
efficaces medicinae,
495 licet omnes montes ungas,
rupes inter se coniungas."
Senex lingua praelibavit,
optimo gustavit ore:
bonas esse medicinas,
500 unguina probata sensit.

Unxit inde Väinämöinem,
male habitum curabat,
unxit subter, unxit supra,
corpus medium collevit.
505 Verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
"Me non movet mea caro,
movet caro Creatoris,
meae vires me non versant,
510 versat vis omnipotentis,
meis oribus non loquor,
loquor oribus Divinis.
Licet ōs sit mihi dulce,
dulcius est ōs Divinum,
515 si sit pulchra mea manus,
pulchrior est Creatoris."

Unguine cum esset unctus,
efficaci medicina,
semianimus collapsus
520 Väinämöinen torquebatur:
huc et illuc se versabat,
at non requiem invenit.
Senex expulit sic morbum,
trusit impetus doloris

525 medium in Morbi collem,
Morbi montis in cacumen,
lapides ut ibi laedant
contra saxa saevientes.

Telam sericam secando
530 in taeniolas divisit,
in particulas partivit,
in fasciolas facessit.
Illis sericis ligavit,
fasciavit pulchris pannis
535 genu viri generosi,
pedis digitos herois.
Verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
''Dei sericum ligato,
540 tectum tegito Divinum
huius viri bonum genu,
pedis digitos potentes!
Deus, provide, decore,
probe, protege, Creator,
545 ne peiores fiant plagae
nec in vitia vertantur!''

Inde vetus Väinämöinen
iam se sentit allevatum.
Brevi bene convalescit:
550 crescit caro decorosa,
infra penitus integra,
media dolore carens,
in extremis sine mendo,
supra vero sine limbo,
555 facta fortior quam ante,
melior quam fuit prius.
Iam valebat pes vagari,
genu poterat moveri;
nullo turget nunc dolore,
560 prorsus nihil afflictatur.

Inde vetus Väinämöinen
sua lumina levavit
contemplatus, ut decebat,
caelum super se sublime;
565 verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
''Illinc veniae venerunt,
almum adest adiuvamen,
de superno firmamento,
570 ab omnipotenti Deo.
Deus, esto nunc laudatus,
benedictus, o Creator,
quod auxilium dedisti,
in tutelam me cepisti
575 illis in tormentis duris
acri ferro laborantem!''

Inde vetus Väinämöinen
etiam his verbis fatur:
''Gentes posterae, nolite,
580 populi post orituri,
navem facere feroces,
costam navis gloriosi!
Finis cursus est in Deo,
exitus in Creatore,
585 non in facultate viri,
quamvis validus sit heros.''

CANTIO X

Vetus vates Väinämöinen
capit equum crine fulvo,
frenos inicit caballo,
quem vehiculo subiungit;
5 tum se rapuit in traham,
in curriculum conscendit.
Ferit ferula veredum,
stringit verbere stridente;
iter carpitur currendo
10 traha porro prolabente,
patinis cum betulinis
arcu sorbeo sonante.

Curru vehitur currente.
Per paludes perque terras,
15 per patentes pergit campos.
Pergit diem alterumque
tertioque demum die
advenit ad pontem longum,
finem campi Kalevensis,
20 in confinium Osmonis.
Ibi verbis ita fatus,
his loquelis est locutus:
"Lupus edat delirantem,
morbus morti det Lapponem!
25 Qui negavit reversurum
me superstitem et vivum
umquam, tempore vel ullo,
lunae lumine lucente
in hos Väinölenses agros,
30 campos in Kalevalanos."

Inde vetus Väinämöinen
cantat, cantu multum valet:
canit abietem florentem
ramis aureis decoram;
35 vertit verticem in caelum,
super nubes exaltavit,
ramos late dilatavit,
per immensum caelum sparsit.
Cantat, cantu multum valet:
40 lunam cecinit lucentem
in abietem auratam,
super ramulos triones.

Curru vehitur currente
in dilectam domum versus
45 corde maestus, aeger mente,
male pileo pendente,
quia fabrum Ilmarinem,
artificem sempiternum,
pro se pretium promisit,
50 suum caput ut salvaret,
tenebras in Boreales,
nebulas Sariolanas.
Iamque constitit caballus
ad Osmonis novum agrum.
55 Inde vetus Väinämöinen
caput elevat ex traha:
ictus intus audiuntur,
crepitus ex officina.

Vetus vates Väinämöinen
60 officinam est ingressus.

Ibi faber Ilmarinen
malleabat et cudebat.
Fatur faber Ilmarinen:
"O vetuste Väinämöinen,
65 ubi multum commoratus
tantum tempus habitasti?"
Vetus vates Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
"Illic multum commoratus
70 tantum tempus habitavi:
tenebris in Aquilonis,
nebulis Sariolanis,
loca peragrans Lapponum,
vatum semitas secutus."
75 Inde faber Ilmarinen
verbum facit, ita fatur:
"O vetuste Väinämöinen,
tu qui vates es aeternus!
Quid post iter vis narrare
80 domum denique reversus?"

Ait vetus Väinämöinen:
"Multa mihi sunt narranda:
est in Borea puella,
virgo frigidis in vicis,
85 quae non probat ullos procos
neque viros vult amare.
Quam plerique Boreales
laudant, cum sit tam decora:
lunae lux in fronte fulget,
90 sol in pectore resplendet;
umeros septentriones,
septem stellae decent tergum.
O tu faber Ilmarinen,
malleator sempiterne,
95 vade virginem petitum,
visum crinibus decoram!
Cum scis cudere Samponem,
firmamentum variare,
datur praemio puella,
100 virgo pulchra pro labore."

Fatur faber Ilmarinen:
"O vetuste Väinämöinen!
iamne tu me promisisti
Boream in tenebrosum,
105 tuum caput ut salvares,
te redimeres ut ipsum?
Numquam, tempore vel ullo,
lunae lumine lucente,
petam aulas Aquilonis
110 sedes seu Sariolanas,
ubi viri devorantur
heroesque demerguntur."

Inde vetus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
115 "Sunt et alia miranda:
abies est florulenta,
ramis aureis decora
in confiniis Osmonis;
in cacumine fert lunam,
120 ramulis septentrionem."
Fatur faber Ilmarinen:
"Equidem non illud credam,
nisi visere licebit,
oculis his observare."
125 Ait vetus Väinämöinen:
"Cum non credere vis verum,
exeamus, videamus,
utrum verum sit an falsum!"

Exierunt, ut viderent
130 illam arborem florentem,
unus vetus Väinämöinen,
alter faber Ilmarinen.
Dein, illuc cum venissent,
in confinium Osmonis,
135 faber stabat in propinquo,
arborem admirabatur,
ramis quae septentrionem,
lunam vertice ferebat.
Inde vetus Väinämöinen

140 verbis ita fere fatur:
"Nunc tu faber, frater care,
scande, lunam ut depromas,
ut septentrionem sumas
arbore de bratteata."

145 Inde faber Ilmarinen
altam arborem ascendit
in excelsum caelum versus,
scandit lunam ut depromat
et septentrionem sumat
150 arbore de bratteata.
Abies tum florulenta,
arbor patula profatur:
"Vae vecordi tibi viro,
inexperto vae heroi!
155 Amens, ramulos ascendis,
infans credule, cacumen,
ut depromas umbram lunae
et imagines stellarum!"

Tum vetustus Väinämöinen
160 coepit carmen cantillare:
venti verticem cantavit,
fecit flatum furibundum;
dixit denique hoc verbum,
his loquelis est locutus:
165 "Virum, vente, tecum sumas,
auster, capias in cymbam,
in verticibus ut vehas
Boream in tenebrosum!"
Venti vertex est exortus,
170 flatus factus furibundus,
sumpsit fabrum Ilmarinem,
festinanter quem deferret
Boream in tenebrosum,
Sariolam nebulosam.

175 Ibi faber Ilmarinen
properanter procedebat!
Venti semitam secutus,
austri cursum comitatus,
super lunam, infra solem,
180 secus it septentriones;
aream in Aquilonis,
prope balneum pervenit;
canes vigiles fefellit
latuitque latratores.

185 Anus Aquilonis Louhi,
raris dentibus matrona,
est in aream egressa.
Ita dicere maturat:
"Quis tu, hospes, sis virorum,
190 quis et unde sis heroum?
Venti semita venisti
austri cursum comitatus,
neque tibi canes baubant,
caudas lanei non latrant!"
195 Fatur faber Ilmarinen:
"Ego quidem non adveni,
ut me canes lacerarent
et illuderent villosi,
ad hoc ostium obscurum,
200 ad has portas peregrinas."

Aquilonis tum matrona
advenam est allocuta:
"Tibi cognitus est forsan,
nomine vel fama notus,
205 Ilmarinen ille faber
optimusque malleator?
Longum tempus exspectatus,
diu iam desideratus
est in agris his Arctois,
210 ut Samponem fabricetur."
Ille faber Ilmarinen
verbum facit, ita fatur:
"Mihi cognitus est forsan
ille faber Ilmarinen,
215 cum sim Ilmarinen ipse,
ipse bonus malleator."

Anus Aquilonis Louhi,
raris dentibus matrona,
mox in atrium intravit.
220 Verbis fere his profatur:
"Mea virgo iuvenilis,
fida filia dilecta!
Optimis te nunc ornato,
corpus candidis vestito,
225 limbus vestis sit venustus,
pectus bene decoratum,
collum pulchrius excultum,
florida frons decorosa;
genae rutilae rubento
230 faciesque videatur!
Venit faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
ut Samponem fabricetur
varietque firmamentum."

235 Illa pulchra Borealis
virgo nobilis, electa,
sumpsit habitum delectum,
pallas suas puriores;
tum vestitur, decoratur,
240 vitta capitis ornatur,
zonis aereis vincitur,
miris cingulis auratis.
Cella licta domum intrat,
saltabunda venit foris:
245 eius oculi splendebant,
aures erant altiores,
vultus pulcher videbatur,
genae rutilae rubebant;
aurum pendet super pectus,
250 splendet capitis argentum.

Anus autem Aquilonis
duxit fabrum Ilmarinem
atria per Aquilonis,
sedes per Sariolanas;
255 ibi virum cibo pavit,
potu largiter potavit
epulisque saturavit.
Inde coepit ita fari:
"O tu faber Ilmarinen,
260 malleator sempiterne!
Scis Samponem fabricari,
variare firmamentum
pinnulis ex olorinis,
vaccae sterilis e lacte
265 hordeaceoque grano,
ovis lanulis aestivis?
Datur praemio puella,
pro labore virgo pulchra.

Inde faber Ilmarinen
270 verbis ita fere fatur:
"Possum facere Samponem,
firmamentum figurare
pinnulis ex olorinis,
vaccae sterilis e lacte
275 hordeaceoque grano,
ovis lanulis aestivis,
caelum ipsum qui procudi,
arcem caeli malleavi,
cum nil esset incohatum,
280 prorsus nihil prius factum."

It Samponem fabricatum,
firmamentum variatum.
Ibi quaerit officinam,
vult et instrumenta fabri:
285 ibi non est officina,
non est fabrica, non follis,
non caminus, non est incus,
non malleolus, non scapus.
Inde faber Ilmarinen
290 verbum facit, ita fatur:
"Vetulae rem vereantur,
inconstantes intermittant,
at ne peior quidem homo
nec pigerrimus virorum!"

295 Quaerit sedem suo foco,
ubi follem collocaret
in his tractibus et terris,
agris ultimis Arctois.
Quaerit diem alterumque.
300 Iamque tertio dierum
petram videt picturatam,
incidit in magnam molem.
Ibi mansit malleator,
faber foculum paravit;
305 uno die fecit follem,
altero caminum struxit.

Inde faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
massam intulit in ignem,
310 fabricandas res in focum;
sumpsit servos, qui sufflarent,
vernas, premerent qui follem.
Servi strenui conflabant,
vernae follem comprimebant
315 tres per dies aestivales
tresque per aestivas noctes:
saxa calcibus haerebant,
pedis digitis lapilli.

Primo die iam peracto
320 ipse faber Ilmarinen
inclinatur ad videndam
partem infimam camini,
quid ex igne sit venturum,
quid ex flammis liberetur.
325 Arcus provenit ex igne,
aurum curvum ab ardore;
caput erat argentatum,
dorsum aere variatum.
Arcus optime formatus
330 erat pessime moratus:
vitam viri vult in die,
die festo duas vitas.
Ipse faber Ilmarinen
non est illo delectatus:
335 arcum denique dirupit,
partes intulit in ignem;
servis iussit, ut sufflarent,
vernis, premerent ut follem.

Iamque postero dierum
340 ipse faber Ilmarinen
inclinatur ad videndam
partem infimam camini:
navis provenit ex igne,
rubra ratis ab ardore,
345 cuius prora fulget auro,
scalmi sunt ex aere ducti.
Navis optime formata
erat pessime morata:
vult in bellum ire frustra,
350 proeliari sine causa.
Ipse faber Ilmarinen
non est illa delectatus:
navem fregit in fragmenta,
illam intulit in ignem;
355 servis iussit, ut sufflarent,
vernis, premerent ut follem,

Iamque tertio dierum
ipse faber Ilmarinen
inclinatur ad videndam
360 partem infimam camini:
vacca provenit ex igne,
auricornis ab ardore,
fronte gerit stellam ursae,
orbem capite solarem.
365 Erat optime formata
vacca pessime morata:
vult in silva remanere,
mulctrum male calcitrare.
Ipse faber Ilmarinen
370 non est illa delectatus:
vaccam secuit in partes,
illas intulit in ignem;

servis iussit, ut sufflarent,
vernis, premerent ut follem.

375 Iamque quarto tum dierum
ipse faber Ilmarinen
inclinatur ad videndam
partem infimam camini:
vomer provenit ex igne,
380 aureatus ab ardore;
est manubrium ex aere,
buris autem argentata.
Vomer optime formatus
erat pessime moratus:
385 arat agros vicinorum,
sulcat prata peregrina.
Ipse faber Ilmarinen
non est illo delectatus:
vomerem in partes rupit,
390 quas coniecit in caminum.

Ventis iussit, ut sufflarent,
premerent procellae follem.
Venti fortiter flaverunt:
flat favonius, flat eurus
395 auster acrius anhelat,
bene boreas conspirat.
Conflant diem alterumque
iamque tertium dierum:
flammae fulgent ex fenestra,
400 foras fugiunt scintillae,
pulvis surgit usque caelum,
fumus nubibus miscetur.

Ille faber Ilmarinen
die tertio peracto
405 inclinatur ad videndam
partem infimam camini:
orientem tum Samponem,
crescens videt firmamentum.
Inde faber Ilmarinen,
410 malleator sempiternus,
malleabat et cudebat
et pulsabat et tundebat.
Scite conficit Samponem:
molit una pars farinam,
415 salem altera pars parat,
nummos tertia producit.

Ita molit nova Sampo,
firmamentum perrotatur,
vespere fert cellam plenam:
420 cumeram plet ad edendum,
alteram dat ad vendendum,
domi tertiam tenendam.
Aquilonis anus laeta
magnam demovet Samponem
425 intra rupem Aquilonis,
in aëneas cavernas
novem seris obseratas.
Tum radices radicavit
novem passus in profundum:
430 unam fixit in tellure,
alteram ad ripam aquae,
tertiam sub celsum collem.

Inde faber Ilmarinen
sibi petiit puellam.
435 Verbum facit, ita fatur:
"Iamne virgo mihi datur
fabricata nunc Sampone,
firmamento variato?"
Virgo pulchra Borealis
440 ipsa verbis ita fatur:
"Quis post annum his in arvis,
quis aestate tertiaque
aves faciat cantare
cuculosque cuculare,
445 alio si proficiscar,
abeam hinc pulchra baca!

Si hic pullus hinc abisset,
anser hinc aberravisset,

matris proles non mansisset,
450 rubra baca recessisset,
cederent cuculi cuncti,
greges garruli volarent
ab his tumulis terrenis,
procul iugo huius collis.
455 Alioquin iam non vacat
dies virginis finire
prae his rebus properandis,
prae laboribus aestivis:
ruris bacas nondum legi,
460 non in litore cantavi,
non in agris ambulavi,
non in luco ludos lusi."

Inde faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
465 corde maestus, aeger mente,
male pileo pendente
ibi iam meditabatur,
reputabat iam rem secum,
quomodo reverteretur,
470 terras peteret pernotas,
tenebris ab Aquilonis,
nebulis Sariolanis.
Ait anus Aquilonis:
"O tu faber Ilmarinen!
475 Quam ob rem es aeger mente,
male pileo pendente?
An repetere vis rursus
domicilia priora?"
Fatur faber Ilmarinen:
480 "Eo placeat reverti,
moriar ut meae domi,
peream in mea terra."

Anus Aquilonis illum
cibo, potu satiatum
485 posuit in navis puppi,
cursum regeret ut remo;
ventum flare verbis iussit,
aquilonem anhelare.
Inde faber Ilmarinen,
490 malleator sempiternus,
suas terras repetivit,
mare caerulum traiecit.
Vectus diem alterumque
demum tertio dierum
495 faber domum suam venit,
in natales suas sedes.

Rogat vetus Väinämöinen
fabrum illum Ilmarinem:
"Frater, faber Ilmarinen,
500 malleator sempiterne!
Estne facta nova Sampo,
firmamentum variatum?"
Fatur faber Ilmarinen,
opifex respondet ita:
505 "Iam nunc molit nova Sampo,
firmamentum perrotatur,
vespere fert cellam plenam:
cumeram plet ad edendum,
alteram dat ad vendendum,
510 domi tertiam tenendam."

CANTIO XI

Tempus est, ut vir festivus
Ahti nomine narretur.
Ahti quidem Insulanus,
Lempis filius lascivus,
5 atriis in altis crevit
apud caram genetricem
in latissimo recessu,
promunturio sub longo.
Puer piscibus nutritus
10 Ahti percis bene crevit.
Vir egregius evasit,
rubicundulus colore,
ratione qui valebat,
rebus omnibus praestabat;
15 sed est paulum depravatus,
malis moribus corruptus:
semper feminas secutus,
in nocturnis ludis ludens
in choreis comatarum
20 exsultabat puellarum.

Kylli nomine puella,
Insulana virgo florens,
atriis in altis crevit,
adolevit satis amplis,
25 residens ad genitorem
in sedilibus posticis.
Fama crebruit crescentis:
proci procul advenerunt
in puellae domum pulchram,
30 virginis in villam claram.
Filio Sol illam petit:
noluit ad Solem ire,
ut cum Sole resplenderet
in laboribus aestivis.
35 Luna filio petivit:
noluit ad Lunam ire,
ut cum Luna colluceret,
circum caelum vagaretur.
Stella filio petivit:
40 noluit ad Stellam ire,
ut per noctes permicaret
hibernalibus in caelis.

Ex Esthonia venerunt
et ex Ingria procatum:
45 virgo noluit abire
et procantibus respondit:
"Aurum est expensum frustra,
pessum periit argentum!
In Esthoniam non ibo
50 nec ituram me promitto,
ut impellam remis aquam,
subigam vel conto cymbam,
comedam Esthonum pisces,
suppam sorbeam Esthonum.
55 Nec in Ingriam abibo
ad abruptas tristes ripas,
ubi fames est extrema:
fames ligni, fames tigni,
fames aquae, fames frugis,
60 fames panis et secalis."

Vir lascivus Lemminkäinen,

Kaukomieli, homo bellus,
proficisci profitetur
florem Insulae procatum,
65 illam virginem venustam,
plexis crinibus decoram.
Mater voluit vetare,
vetus mulier monebat:
''Noli petere, mi fili,
70 meliores quam es ipse!
Te non amant approbare
in familiam superbam.''
Vir lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
75 ''Si non'', inquit, ''sum superbus
neque magna stirpe natus,
procor forma mea fisus,
quia corpus me commendat.''

Mater pergit prohibere
80 Lemminkäinem proficisci
in familiam superbam,
amplam stirpem Insulanam:
''Illic virgines illudent,
feminaeque te ridebunt.''
85 Nihil curat Lemminkäinen!
Verbis ita fere fatur:
''Risus virginum compescam
cachinnosque feminarum:
cum compressu fecundatae
90 sinu filium fovebunt,
reprimetur omnis risus,
maledicta finientur.''

Mater verbis ita fatur:
''Vae me feminam misellam!
95 Mulieribus stupratis,
castis feminis compressis
rixa gravis oriatur,
magnum bellum exardescat!
Omnis Insulae iuventus,
100 centum ensibus praecincti,
irruant in te misellum,
te circumdent derelictum.''
Nihil curat Lemminkäinen
admonentem genetricem!
105 Capit optimum caballum,
equulum electum parat;
curru vehitur veloci
inclitum in illum vicum
florem Insulae procatum,
110 eius virginem venustam.

Eum feminae riserunt,
illuserunt virginesque,
quod per vicum modo miro
est in aream invectus:
115 traham veniens evertit,
contra portam eam egit.
Vir lascivus Lemminkäinen
torquet vultum, versat caput,
crines torvulos contorquet.
120 Inde verbis ita fatur:
''Antea non illud vidi
nec audivi nec permisi
me mulierem ridere
vel illudere puellam.''

125 Nihil curat Lemminkäinen!
Verbum facit, ita fatur:
''Estne locus in hac terra,
in hoc Insulano solo,
ubi ludam meos ludos;
130 estne campus, ut chorizem
in choreis comatarum
exsultando puellarum?''
Aiunt Insulae puellae,
ita virgines respondent:
135 ''Locus est in nostra terra,
in hoc Insulano solo,
ubi ludas tuos ludos;
est et campus, ut chorizes
cum pecudibus in pratis,

140 custos pecoris in arvis:
pueri sunt hic pusilli,
pingues pulli sunt equini."

Nihil curat Lemminkäinen!
Pastor pecoris conductus
145 dies pecora pascebat,
noctes virginum in ludis,
in choreis comatarum
exsultabat puellarum.
Vir lascivus Lemminkäinen,
150 Kaukomieli, homo bellus,
risus virginum compescit,
probra premit puellarum.
Femina non fuit talis
nec puella tam pudica,
155 quam non manu permulceret
et cum qua non concubaret.

Omnium est una virgo
in familia superba,
quae non probat ullos procos
160 neque viros vult amare:
erat Kyllikki decora,
Insulae flos florulenta.
Vir lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
165 centum caligas consumpsit
totidemque remos rupit
illam virginem sectando,
sibi Kyllikkim petendo.

Virgo, Kyllikki decora,
170 illa verbis ita fatur:
"Quid, vir miser, pervagaris,
veheris in ripis raucus,
petis tibi hinc puellas
zonis stagneis decoras?
175 Mihi non vacabit ante
quam pertrivero has molas,
quam perfregero pistillum,
pinsens rupero pistrinum.
Neque volo viros vanos,
180 viros vanos vagabundos;
volo corpore decorum
meo corpori decoro,
speciosa malo membra
meis speciosis membris
185 atque faciem formosam
meae faciei formae."

Breve tempus est peractum,
vix dimidia pars mensis.
Dies certus cum venisset,
190 quodam vespere iam facto
ludos virgines ludebant,
chorizabant decorosae,
ubi contra continentem
tesqua placida tendebant;
195 Kyllikki praecellit cunctis,
Insulae flos inter omnes.
Venit scurra rubicundus,
vir lascivus Lemminkäinen
suo proprio veredo,
200 vectus equulo delecto
medios in illos ludos,
inter bellas chorizantes;
rapit Kyllikkim in traham,
virginem in currum cepit,
205 illam posuit in pelle,
super assulas iniecit.

Equum virga verberavit,
repens scutica percussit,
inde coepit promoveri.
210 Abiens his verbis fatur:
"Palam ne cui faciatis
umquam, tempore vel ullo,
virgines, me huc venisse,
hinc puellam abstulisse!
215 Si non vultis oboedire,
malum vobis imminebit:

viros vestros inter arma,
iuvenes in bellum canam,
ut non umquam audiantur
220 neque videantur usquam
pervagantes per hos vicos,
his in finibus vehentes."

O quam Kyllikki gemebat,
virgo florida plorabat:
225 "Me hinc denique dimittas,
hanc puellam liberato,
ut revertar rursus domum,
ad plangentem meam matrem!
Si non vis me liberare,
230 ut revertar rursus domum,
mihi sunt germani quinque,
septem fratres patrueles,
leporem qui subsequantur,
sibi repetant puellam."

235 Cum non esset liberata,
iam in lacrimas prorupit.
Verbum facit, ita fatur:
"Frustra sum, misella, nata
et in vanum educata,
240 frustra meam vitam vixi;
nequam homini sum data,
vel vilissimo virorum,
in tutelam truculenti,
sempiterni bellatoris."

245 Vir lascivus Lemminkäinen
ait, Kaukomieli bellus:
"Corculum, Kyllikki, meum,
es quae mea bella baca!
Tu nequaquam perturberis!
250 Te non aspere tenebo:
meo gremio, cum edo,
meis manibus, dum eo,
stante me tu stabis iuxta,
me cubante concubabis.

255 Quam ob causam ita doles,
quam rem gemis curis gravis?
Hancne causam ita doles,
hanc rem gemis curis gravis:
panis, boum egestatem,
260 vilitatem omnis victus?
Tu nequaquam perturberis!
Vaccas habeo complures,
multas teneo mulgendas:
una pascitur palude,
265 collis culmine secunda,
tertia bos arvis ustis.
Et ieiunae sunt iucundae,
sine cura decorosae;
vespere non religandae
270 neque mane sunt solvendae,
non est opus fenum ferre,
salem, cibum cogitare.

An et illud quoque doles,
illud gemis curis gravis,
275 me non esse stirpe magna
neque nobili de domo?
Si non sum de stirpe magna
neque nobili de domo,
igneus est meus ensis,
280 ferrum fulgens velut flamma.
Id est magna stirpe natum,
amplo genere creatum:
exacutum est in Hiisi,
apud deos expolitum.
285 Ita stirpem reddam magnam,
totum genus dilatabo,
ensis igneo mucrone,
meo gladio nitenti."

Virgo misera suspirat,
290 inde verbis ita fatur:
"O tu fili Lempis, Ahti!
Si me virginem vis fore
tuam coniugem in aevum,

foveas ut me sub ala,
295 da iurandum ius in aevum
bella numquam te gesturum,
sit inopia vel auri
aut cupiditas argenti!"

Vir lascivus Lemminkäinen
300 ibi verbis ita fatur:
"Do iurandum ius in aevum
bella numquam me gesturum,
sit inopia vel auri
aut cupiditas argenti.
305 Ipsa tu da ius iurandum
te non vicum petituram,
sit cupido chorizandi
seu necessitas saltandi!"
Ibi iura dant iuranda,
310 in aeternum pollicentur
coram Deo Creatore,
apud os omnipotentis,
ille se non bellaturum,
illa vicum non visuram.

315 Vir lascivus Lemminkäinen
ferit ferula veredum,
equum excitat habenis.
Verbis ita fere fatur:
"Campi herbidi, valete,
320 ligna trunca resinosa,
vos aestatem pervagatus
totam brumam conculcavi
latens nocte nubilosa,
fugax mala tempestate,
325 hanc perdicem cum petebam,
pulchrum pullulum agebam!"

Cursu celeri feruntur;
iamque domus apparebat.
Virgo verbis ita fata,
330 his loquelis est locuta:
"Illic cernitur capanna,
pauper viculus videtur.
Cuius casula sit ista,
cuius miseri mapale?"
335 Vir lascivus Lemminkäinen
verbum facit, ita fatur:
"Ne dolueris de domo,
de conclavibus ne cures!
Domos novas faciemus,
340 meliores moliemur
trabibus ex truculentis,
procerissimis ex pinis."

Vir lascivus Lemminkäinen
mox reversus suam domum
345 advenit ad almam matrem,
suam caram genetricem.
Mater verbis ita fata,
his loquelis est locuta:
"Diu, fili, permansisti,
350 diu terris in externis."
Vir lascivus Lemminkäinen
verbum facit, ita fatur:
"Erant feminae stuprandae
et puellae puniendae,
355 quod me diu deriserunt,
longum tempus illuserunt.
Optimam in currum cepi,
illam stravi super pellem,
super assulas inieci,
360 veste stragula velavi.
Sic derisus vindicavi,
contumelias cunctarum.

Mater, quae me peperisti,
edidisti, procreatrix!
365 Quod quaesiveram, accepi,
quam petiveram, inveni.
Ponas optimos pulvinos
culcitasque molliores,
ut in patria quiescam
370 cum puellula tenella!"

Mater verbis ita fata,
his loquelis est locuta:
"Deus, esto nunc laudatus,
benedictus, o Creator,
375 quod dedisti mihi nurum,
quae scit ignem suscitare,
bene texere texturas,
fila ducere decore,
probe lintea lavare,
380 vestimenta candidare!

Fili, lauda tuam sortem!
Bonam virginem cepisti,
quam promiserat Creator,
Deus dederat clementer:
385 purus est in nive pullus,
purior puella tua;
candet spumans maris unda,
magis candet tua cara;
avis pulchra maris anas,
390 tua pupula plus pulchra;
splendidum est caeli sidus,
magis splendet tua sponsa.

Ampla para pavimenta,
fac fenestras grandiores,
395 duc parietes novellos,
refice iam domum totam,
in ingressu pone limen
ianuasque renovato
nanctus virginem tenellam,
400 pulchram pupulam delectam,
meliorem quam es ipse,
de maiore stirpe natam!"

CANTIO XII

Dein Ahti Lemminkäinen,
Kaukolainen, homo bellus,
sua tempora degebat
cum puellula tenella;
5 ipse bella non inibat,
neque Kyllikki choreas.
Ita tempore labente
quodam die matutino
Ahti Lemminkäinen ipse
10 abiit, ut piscaretur;
domum vesperi non venit,
ante noctem non revertit.
Kyllikki iam it in vicum,
in choreas puellarum.

15 Quisnam nuntium portabit,
ibit hac de re delatum?
Ainikki, quae soror Ahtis,
illa nuntium portavit,
iit hac de re delatum:
20 "Ahti frater, o mi care!
Kylli fuit iam in vico,
apud portas peregrinas,
in choreis comatarum
exsultavit puellarum."

25 Ahti, heros singularis,
vir lascivus Lemminkäinen,
irritatur, indignatur,
furens fit in longum tempus.
Inde verbis ita fatur:
30 "Mater, femina vetusta!
Vis camisiam lavare
nigrae viperae venenis
atque subito siccare,
ut in bella proficiscar
35 versus focos Boreales,
in Lapponum latos campos:
Kylli fuit iam in vico,
apud portas peregrinas,
in choreis comatarum
40 exsultavit puellarum."

Certe Kyllikki profatur,
coniux praevenit his verbis:
"Ahti care, mi marite!
Noli bellum incohare!
45 Dormiens sic somniavi,
somno graviter oppressa:
fornax ignis vagabatur,
fulgida fulguriebat
subter ipsa fenestella,
50 post parietem posticum;
dein intus est inlapsa,
aestuans ut flumen torrens
usque tectum est exorta,
per fenestram ad fenestram."

55 Vir lascivus Lemminkäinen
verbis fere his respondit;
"Somniis non ego credo
nec uxorum iuramentis.
Mater, quae me peperisti!
60 Affer cultum militarem,

vestes bellicas portato!
Avet animus iam meus
zythum bellicum potare,
nectar belli degustare."
65 Mater verbis ita fatur:
"Ahti, tu mi fili care!
Noli bellum incohare!
Zythum nos habemus domi
in doliolis ex alno,
70 tappis quernis obturatis;
tibi bibere portabo,
licet bibas diem totum."

Tum lascivus Lemminkäinen:
"Zythum domi factum nolo!
75 Malo fluvialem aquam
remo bibere picato:
sapit dulcius bibenti
quam cervisia materna.
Affer cultum militarem,
80 vestes bellicas portato!
Petam aulas Aquilonis
et Lapponum latos campos,
ut res aureas requiram
et argenteas apposcam."

85 Ait mater Lemminkäinis:
"Ahti, tu mi fili care!
Aurum nos habemus domi,
argentum in nostra cella.
Ipso lumine hesterno,
90 prima luce, multo mane,
servus viperis scatentem
agrum proscidit aratro;
vomer arcam exaltavit,
buris eruit thesaurum:
95 inerant sescenti nummi,
multa milia congesta.
Arcam properans in cellam,
super tabulas portavi."

Tum lascivus Lemminkäinen:
100 "Rem domesticam aspernor!
Marca bello comparata
mihi melior videtur
quam domesticum est aurum,
erutum argentum bure.
105 Affer cultum militarem,
vestes bellicas portato!
Petam bello Boreales,
pugna liberos Lapponum.
Avet animus iam meus
110 cogitatque cerebellum
auribus me his audire
oculisque his videre,
num in Borea puella,
virgo terris tenebrosis
115 sit, quae nullos probet procos
nec amare velit viros."

Ait mater Lemminkäinis:
"Ahti, tu mi fili care!
Habes Kyllikkim hic domi,
120 hic matronam meliorem!
Binas feminas est foedum
uni viro concubare."
Tum lascivus Lemminkäinen:
"Kylli visere vult vicum:
125 ludos omnium frequentet,
dormiat in omni domo,
in choreis comatarum
ludos ludat puellarum!"

Mater voluit vetare,
130 vetus mulier monebat:
"Minime, mi fili care,
petas aulas Aquilonis,
nisi scisti res arcanas,
nisi nosti magas artes;
135 cave focos Boreales
et Lapponum latos campos!
Ibi Lappo te cantabit,

Turjalanus totum trudet
in carbones et in caenum,
140 in favillas ulnas usque,
palmis tenus inter prunas,
inter lapides flagrantes."

Dein dicit Lemminkäinen:
"Iam me magi decantabant,
145 viperini devovebant;
tres Lappones conabantur
nocte quadam aestivali,
saxo cum sederent nudi,
sine zona, sine veste,
150 sine quoquam velamento:
tantum fructum pertulerunt,
infelices id ceperunt,
quod ex saxo fert securis,
terebra de dura petra,
155 quod de glacie fert fustis,
Mors de domo iam deserta.

Erant aliter minati,
aliter res evenerunt.
Me mutare cogitabant,
160 transformare minabantur
in ponticulum paludis,
truncum limo lutulentum,
caeno mersum usque mentum,
usque barbam malo loco.
165 Ego vero, vir non nequam,
non sum ibi perturbatus;
ipse factus incantator
coepi verba dictitare:
strigas cecini cum telis,
170 sagittarios cum armis,
cantatores cum cultellis
et veneficos cum ferris
Mortis in torrentem taetrum,
turbinem in tenebrosum,
175 sub altissimum deiectum,
verticem sub violentum.
Ibi maneant maligni,
invidi sic ibi sunto,
donec fenulum succrescat
180 caput, galeam penetrans
umerosque cantatoris,
tundens toros lacertorum
cantatoris dormientis,
invidentis recubantis!"

185 Adhuc mater Lemminkäinem
proficisci prohibebat;
mater filium vetabat,
uxor virum prohibebat:
"Noli tamen proficisci
190 frigidum in vicum illum,
Boream in tenebrosum!
Ibi quidem interibis,
interibis, generose,
vir lascive, Lemminkäinen.
195 Centum linguis licet dicas,
tibi credere non possum:
non es vates incantator
pueris par Aquilonis
nec scis linguam Turjanorum
200 nec Lapponicas loquelas."

Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
caput suum pectinabat,
comam pectine comebat.
205 Pectinem in murum misit,
contra columen iniecit;
inde verbis ita fatus,
his loquelis est locutus:
"Tum peribit Lemminkäinen,
210 interibit generosus,
cum cruoribus sudabit,
madet sanguine hic pecten."

Vir lascivus Lemminkäinen
it in terram tenebrosam,

215 quamquam mater dissuadebat,
procreator praemonebat.
Cingulo se bene cinxit
et lorica loricavit,
zonis ferreis munivit.
220 Verbis ita fere fatur:
"Tutior est in thorace,
melior vir loricatus,
zona ferrea firmatus
inter illos cantatores;
225 sic peiores nihil curat
ac ne bonos quidem pavet."
Suum gladium tum sumpsit,
ferrum igneum prehendit,
exacutum apud Hiisim,
230 apud deos expolitum;
id ad latus alligavit
et recondidit vagina.

Ubinam vir se praemunit,
heros fortis se tuetur?
235 Paululum iam se praemunit,
carmine se iam tuetur
apud ostium sub tigno,
ante ianuam conclavis,
primum viculum dum linquit,
240 dum postremam portam transit.
Ibi homo se praemunit
contra vires feminarum;
non sunt hae munitiones
nec subsidia secura;
245 praeterea praemuniri
contra vires vult heroum,
ubi via se diffindit,
caerulo stans super saxo,
in uligine limosa,
250 fontibus in fluctuosis,
in turbinibus torrentis,
in verticibus aquarum.

Vir lascivus Lemminkäinen
ibi verbis ita fatur:
255 "Surgite, vos pugnatores,
viri veteres ex terra,
gladiarii de lacu,
sagittarii de rivis!
Surge, silva, cum catervis,
260 saltus, populis cum cunctis,
senex montis, tuis turbis,
aquae Hiisi, malis monstris,
aquae domina, cum servis,
aquae senex, cum sequela,
265 virgines, ex omni valle
veste surgite decorae
virum bonum adiutatum,
notum natum comitatum,
ne praevaleant sagittae
270 nec veneficorum ferra
nec cultelli cantatoris
nec arcitenentis arma!

Si non suppetit, quod dixi,
alias et res recordor:
275 in sublime suspiramus,
ad Ukkonem, deum caeli,
nubila qui tenet nutu
aetheraque moderatur.
Ukko, deus o supreme,
280 pater vetus tu caelestis,
qui per nubila profaris,
loqueris per altas auras!
Ensem igneum afferto,
ignea vagina tectum,
285 quo dispergam detrimenta,
maleficiis resistam,
invidos terrestres caedam,
vincam magos vel marinos
ante pectus adversantes
290 vel instantes me post tergum,
super capite vel iuxta,
ad utrumque meum latus,
– caedam magos cum sagittis

cantatores cum cultellis
295 et veneficos cum ferris,
suis ensibus malignos!''

Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
equum vocat ex virgulto,
300 auricrinem ab agello;
frenos inicit caballo
rubro, curru quem subiungit.
Ipse traham est ingressus,
in curriculum conscendit;
305 ferit ferula veredum,
equum excitat flagello.
Iter carpitur currendo,
traha prodit properanter,
sonat sabulum subtile,
310 campus cantat coloratus.
Vectus diem alterumque
vehitur vel tertiumque.
Iamque tertio dierum
invenit in via vicum.

315 Tum lascivus Lemminkäinen
curru celeri provectus,
viam infimam secutus
infimam in domum venit.
Ab liminibus quaesivit,
320 e vestibulo profatur:
''Estne quisquam in hac domo,
lorum equi qui resolvat,
hunc temonem qui deponat,
qui detorqueat hunc arcum?''
325 Parvulus in pavimento
puer loquitur ad limen:
''Non est quisquam in hac domo,
lorum equi qui resolvat,
qui temonem iam deponat,
330 qui detorqueat nunc arcum.''

Nihil curat Lemminkäinen!
Ferit ferula veredum,
stringit verbere stridente;
curru celeri provectus,
335 viam mediam secutus
mediam in domum venit.
Ab liminibus quaesivit,
e vestibulo profatur:
''Estne quisquam in hac domo,
340 capiat qui has habenas,
lorum pectoris resolvat
et ductaria desumat?''

Crepat vetula de furno,
anus loquax apud focum:
345 ''Certe datur de hac domo,
qui recipiat habenas,
lorum pectoris resolvat,
qui temonem iam deponat:
dantur certe viri deni
350 aut, si velis, vel centeni,
qui provideant vecturam,
dent veredum ad vehendum,
ut, sceleste, tendas domum,
petas patriam, vir nequam,
355 ubi residet patronus,
anus ambulat matrona
prope portam tui fratris,
ad ponticulum sororis,
antequam aspiret dies,
360 in occasum inclinetur.''

Nihil curat Lemminkäinen!
Verbum facit, ita fatur:
"Vetula sit sagittanda,
anus fuste ferienda."
365 Sinit vehere veredum;
curru vectus procurrente,
viam summam persecutus
in supremam domum venit.
Vir lascivus Lemminkäinen,
370 domui dum appropinquat,

dixit denique hoc verbum,
hanc loquelam est locutus:
"Hiisi, claudas os latrantis,
Lempo, catuli maxillas,
375 os obicibus occludas
inter dentes sera serta,
ut non ante vocem mittat
quam transierit iam homo!"
Sic in aream ingressus
380 terram scutica cecidit:
surgit nebula de terra,
inter nebulam vir parvus;
is resolvit equi lora
et deposuit temonem.

385 Tum lascivus Lemminkäinen
suis auribus auscultat
illum nemine vidente,
nullo viro sentiente:
cantiones foris audit,
390 verba magica per muscum,
per parietem sonantes,
per fenestram cantatores.
Tum in domum introspexit,
clandestino circumspexit:
395 domus vatium est plena,
scamna plena cantatorum,
ad parietes periti,
apud postes sunt potentes,
retro sedent sapientes
400 et venefici post furnum;
cantus concinunt Lapponum,
strident carmina strigarum.

Tum lascivus Lemminkäinen
ausus formam transformare
405 se non timuit mutare;
est per angulum ingressus,
per compagines tignorum.
Inde verbis ita fatur:
"Bonus cantus, cum finitur,
410 carmen breve sonat bene;
sensus melior servatus
quam finitus praemature."

Anus Aquilonis ipsa
spatians in pavimento
415 solo medio movetur.
Verbum facit, ita fatur:
"Erat nobis olim canis,
pilo ferreo decorus,
carnem edit, ossa mandit
420 linxit sanguinem recentem.
Quis et unde sis virorum
quisve forsitan heroum,
cum ingressus sis hanc domum
per compagines tignorum
425 cane te non audiente,
non vidente latratore?"

Tum lascivus Lemminkäinen:
"Ego quidem non adveni
iners insciusve heros,
430 impotens vel imperitus,
sine viribus paternis,
carens armis genitoris,
ut me canes morsicarent
laederentve latratores.
435 Genetrix me mea lavit,
lavit parvum cicaronem,
trinis noctibus aestivis,
autumnalibus novenis,
ut ubique forem magus,
440 potens partibus in cunctis,
incantator meae domi
optimusque foris vates."

Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
445 iam incepit incantare
ad res magicas aggressus:
fulminat mastrucae limbus,

fundunt oculi fulgorem,
dum incantat Lemminkäinen,
450 dum incantat dumque dicit.
Cantat optimos cantores,
ut sint pessimi cantores;
lapides in os iniecit,
petras posuit transversas
455 optimo vel cantatori
peritissimoque vati.

Ita viros incantavit,
illum illac, eum ea:
aridos in agros ustos,
460 in terrena non arata,
in carentes pisce lacus,
percis omnibus orbatos,
in torrentem taetrum Rutjae,
verticem in aestuosum,
465 fierent ut aqua spumans,
saxa medii torrentis,
ut arderent sicut ignis
seu scintillae fulgurantes.

Sic lascivus Lemminkäinen
470 canit ensibus praecinctos,
mares milites armatos;
canit iuvenes et senes,
canit medios aetate;
unum solum non incantat:
475 armentarium misellum,
vetulum caecutientem.

Pastor, pileus cui madet,
his loquelis est locutus:
''Lempis fili, tu lascive!
480 Senes, iuvenes cantasti
atque medios aetate:
cur non me vis incantare?''

Tum lascivus Lemminkäinen:
''Ideo te non contingo,
485 visu quod es odiosus
et infelix iam illaesus.
Etiam vir iuvenilis,
armentarius misellus,
matris filiam foedasti,
490 cum sororem stupravisti;
omnes equas compressisti,
equulas supposuisti
in paludibus et terris,
in eluvie limosa.''

495 Pastor, pileus cui madet,
indignatur, stomachatur.
Foras ostiis egressus
it trans aream in agrum;
properat ad amnem Mortis,
500 ad torrentem consecratum.
In insidiis manebat,
Lemminkäinem exspectabat,
dum ex Borea veniret,
domum dum reverteretur.

CANTIO XIII

Vir lascivus Lemminkäinen
anui tum Aquilonis:
''Anus, praebe iam puellas,
tuas filias afferto,
5 optimam ex cunctis offer
mihi virginem proceram!''
Anus Aquilonis illa
verbum facit, ita fatur:
''Nullam praebeo puellam,
10 tibi filiam non fero,
neque bonam neque malam
nec proceram neque brevem:
habes enim iam uxorem,
sponsam prius domum ductam.''

15 Tum lascivus Lemminkäinen:
''Kyllim vinciam in vico
ad ponticulum et limen,
ante portas peregrinas;
hinc deduco meliorem.
20 Tuam filiam nunc ferto,
ex virginibus formosam,
venustissimam ex cunctis!''
Ait anus Aquilonis:
''Meam filiam uxorem
25 non hominibus do nequam,
vel vilissimis virorum.
Tu puellas pete demum,
quaere capite decoras,
ultimis in arvis Hiisis
30 eius alcem assecutus!''

Tum lascivus Lemminkäinen
suas lanceas paravit,
arcus nervis adornavit
et sagittas expedivit.
35 Inde verbis ita fatur:
''Lancea iam est parata,
cuncta spicula perfecta,
nervus nexus est ad arcum;
at non lubricum est lignum,
40 nulla nartula, qua nitar.''
Tum lascivus Lemminkäinen
cogitat et meditatur,
unde lubricos lucretur,
novas nartas sibi sumat.

45 Tendit tum in Kauppis sedem,
Lyylikkis in officinam:
''Sapiens o Vuojolane,
Kauppi, pulcher vir Lappone!
Mihi lubricos parato,
50 ligna curva levigato,
quibus nisus alcem Hiisis
petam ultimis ex arvis!''
Inde Lyylikki hoc verbum
Kauppi dicere maturat:
55 ''Frustra, Lemminkäinen, Hiisis
alcem assequi conaris:
feres fragmen putris ligni
idque magno cum maerore.''

Nihil curat Lemminkäinen!
60 Verbis ita fere fatur:

"Lignulum fac, quo prolabar,
nartulam, qua pes nitatur!
Ultimis in arvis Hiisis
alcem assequi temptabo."
65 Lyylikki, lignorum faber,
Kauppi factor nartularum,
per autumnum curvat lignum,
cavat axulam per brumam,
uno die facit fustem,
70 aptat altero circellum.
Est iam lignum incurvatum,
est axiculus aptatus,
fustes quoque sunt perfecti
et circelli circumfixi.
75 Fustis stat lutrina pelle,
vulpe fuscula circellus.

Ungit lubricos unguento,
sebo sebat tarandrino;
ibi secum rem revolvens
80 hanc loquelam est locutus:
"Estne hac in iuventute,
in hac gente germinante,
qui hoc ligno prolabatur,
hoc axiculo nitatur?"
85 Tum lascivus Lemminkäinen,
scurra fatur rubicundus:
"Exstitit in iuventute
in hac gente germinante,
isto ligno qui labatur
90 et axiculo nitatur."

Tergo pharetram suspendit,
arcum umero novellum,
festinanter fustem sumpsit;
it, ut ligno prolabatur
95 et axiculo nitatur.
Inde verbis ita fatur:
"Non sub divo hoc divino,
sub caelorum firmamento,
animans sit is silvester
100 currens pedibus quaternis,
qui his non deprehendatur
commodeque capiatur
nartulis Kalevalani,
curvis lignis Lemminkäinis."

105 Forte Hiises audiverunt,
eum Juutae spectaverunt.
Hiises alcem aptaverunt,
cervum Juutae confecerunt:
caput faciunt ex cippo,
110 cornu salice bifurca,
pedes litoris ex lignis,
ex paludis palis crura,
spinam lignis saepimenti,
venas aridis ex fenis,
115 oculos ex lotis lacus;
aures autem ex nymphaeis,
cutem cortice fecerunt,
carnes putribus ex lignis.
Alcem Hiisi hortabatur,
120 cervo suo sic suadebat:
"Alces Hiisium, nunc curre,
cerve celeber, festina
ad cubilia renonum,
in Lapponum latos campos!
125 Fac sudare te sequentem,
praesertimque Lemminkäinem!"

Tum cucurrit Hiisis alces,
cervus viam celeravit
subter cellas Boreales,
130 per Lapponum latos campos:
calce hydriam cecidit,
ollas fervidas evertit,
carnes cinere spurcavit,
super focum ius diffudit.
135 Magnus ortus est tumultus
in Lapponum latis campis:
canes Lappici latrare,
flere liberi Lapponum

et mulieres ridere,
140 *multitudo murmurare.*

Vir lascivus Lemminkäinen
alcem semper sequebatur
et per terras et paludes
et per silvae fruticeta:
145 ignis nartulis micabat,
fumum fustes evolvebant;
at non adhuc alcem vidit,
neque vidit nec audivit.
It per colles, it per valles,
150 it per terras transmarinas;
saltans it per Hiisis saltus,
Funeris per cunctos campos,
currit ante malas Mortis
atque Funeris post fundum.
155 Mors iam malas suas pandit,
Funus caput iam inclinat,
capiat ut virum fortem
devoretque Lemminkäinem:
at non incidit in illum
160 nec nanciscitur omnino.

Quaedam regio restabat,
saltus angulus intactus,
finibus in Aquilonis,
in Lapponum lata terra.
165 Iit eam peragratum,
tactum angulum intactum.
Eo cum sic pervenisset,
audiit tumultum magnum
finibus in Aquilonis,
170 in Lapponum latis campis:
canes Lappicos latrantes,
liberos Lapponum flentes
et mulieres ridentes,
multos vero murmurantes.
175 Tum lascivus Lemminkäinen
eo cito celerabat
versus canes allatrantes,
in Lapponum latos campos.

Ait, eo cum adisset,
180 percontatus, cum venisset:
''Quid hic feminae riserunt,
quidve liberi fleverunt,
vetuli quid gemuerunt,
canes cani latraverunt?''
185 ''Id hic feminae riserunt,
idque liberi fleverunt
vetulique gemuerunt,
canes cani latraverunt:
cervus Hiisium cucurrit,
190 levipes hac festinavit;
calce hydriam cecidit,
ollas fervidas evertit,
omnes suppas supinavit,
ius diffudit super focum.''

195 Tum a scurra rubicundo,
a lascivo Lemminkäine
est in nives narta trusa,
ut it coluber in fena,
pinus pulsa sic palustris,
200 ut it vipera sub herbas;
ipse loquitur prolabens,
fustem tenens ita fatur:
''Quot in Lappis sint virorum,
alcem veniant portatum;
205 quot in Lappis feminarum,
eant ollulas lavatum;
quot in Lappis liberorum,
eant assulas collectum;
quot in Lappis sint lebetes
210 illis alces concoquatur!''

Nitebatur, conabatur,
calcitrabat, contendebat.
Est elapsus primo nisu
oculorum ex conspectu,
215 propulit se tum secundo

procul aurium auditu,
demum tertio temptatu
alcem Hiisium ascendit.
Palum arripit acernum
220 laqueumque betullinum,
quo ligavit Hiisis cervum
in iliceum saepimen:
''Ibi sistas, Hiisis alces,
cerve, pedibus pulsato!''
225 Dorsum cervi permulcebat,
pellem manu palpabatur:
''Ibi placeat sedere,
deceat me concubare
cum puellula tenella,
230 pullulo cum meo pullo!''

Excitatus Hiisis cervus
alces coepit calcitrare,
verbum facit, ita fatur:
''Lempo capiat cubantem
235 te cum virgine tenella,
cum puella conviventem!''
Contendebat, conabatur:
laqueum iam laceravit,
palum rapuit acernum,
240 saepimentum dissipavit.
Inde coepit peragrare,
cervus viam celerare
trans paludes transque terras,
trans virgeta montuosa
245 oculorum ex conspectu,
procul aurium auditu.

Ibi scurra rubicundus
irritatur, indignatur,
furens fit et iracundus.
250 Alcem assequi temptabat;
primo statim pedis pulsu
laevum lignum est laxatum,
pedis pondere perruptum,
dextrum ruptum est sub calce;
255 lanceatus autem fustis
est perfractus sub circello.
Alces ipsa sic currebat,
ut non usquam videretur.

Tum lascivus Lemminkäinen
260 corde maestus, aeger mente
suas res respiciebat.
Verbis ita fere fatur:
''Numquam, tempore nec ullo,
alius ex viris nostris
265 ferox exeat venatum,
alcem Hiisis assecutum,
ut vir exii misellus!
Novas nartulas amisi,
fustem perdidi perpulchrum
270 optimamque lancearum!''

CANTIO XIV

Tum lascivus Lemminkäinen
cogitat et meditatur,
qualem sulcum sibi sumat,
quem in tramitem labatur:
5 abeat ab Hiisis alce
atque domum revertatur,
an rem etiam conetur,
lignis lente prolabatur,
placaturus eram silvae,
10 nymphas nemorum delectans.
Dixit denique hoc verbum,
hanc loquelam est locutus:

"Ukko, deus o supreme,
tu qui pater es caelestis!
15 Fac nunc mihi nartas rectas,
ligna levia parato,
quibus pertinax prolabar
per paludes perque terras,
Hiisium adversus arva,
20 Aquilonia trans tesqua,
ubi cedit cervus Hiisis,
alces ambulat tarandrus!

Abeo nunc vir venatum,
heros foras laboratum
25 sequens Tapiolae viam,
praeter domos Tapionis.
Salve, mons, salvete, colles,
saltus salveant sonantes
pallidaque populeta,
30 salveat, qui vos salutat!

Silva, mihi sis benigna,
fautor Tapio, faveto!
Induc virum intra saltum
et in collem comiteris,
35 unde praeda sit petenda,
fera silvae deferenda!

Nyyrikki, stirps Tapionis,
pulcher, pileo rubello!
Signa seca per has silvas,
40 infer indices in montes,
ut vir stultus ire possim,
inexpertus iter noscam,
dum requiro mihi praedam,
mihi munera dum precor!
45 Mielikki, matrona silvae,
pura mater, forma pulchra!
Fac, ut ambulet hic aurum
et argentum pervagetur
ante virum requirentem,
50 in vestigia precantis!

Sumas claves inauratas
circulo de femorali,
cellam Tapionis tange,
arcem aperi silvestrem
55 die praedae requirendae,
tempore venationis!
At si forte non vis ipsa,
tuas servulas iubeto,
mercennariis mandato,
60 imperandis imperato!

Dominam te non putarem,
servulas si non haberes,
centum servas non haberes,
mille, quibus imperares,
65 pascerent qui pecus omne,
omnes terras tuerentur.

Silvae servula pusilla,
virgo labiis mellitis!
Canas fistula mellita,
70 dulci pipies avena,
almis auribus matronae,
silvae dominae dilectae,
ut exaudiat extemplo,
surgat suo de sopore,
75 quia memet non exaudit
neque raro quidem sentit,
et perpetuo si precer,
linguis aureis lamenter!''

Sic lascivus Lemminkäinen
80 tempus totum sine praeda
per paludes perque terras,
pergit silvas per obscuras,
per combustos Dei colles,
Hiisis torrida per tesqua.
85 Pergit diem alterumque.
Iamque tertio dierum
advenit in magnum montem,
magnum lapidem ascendit,
oculos in caurum vertit
90 trans paludes Boreales:
vidit domos Tapionis
ianuis cum inauratis
trans paludes Boreales,
in virgeto submontano.

95 Vir lascivus Lemminkäinen
statim propius prolapsus
mox ad domos appropinquat,
sub fenestras Tapionis.
Tum subsedit, ut spectaret
100 per fenestram fere sextam:
erant ibi donatrices,
silvae dominae degebant
in cotidiano cultu,
in immundis vestimentis.
105 Tum lascivus Lemminkäinen:
''Qua re, domina silvarum,
in cotidiano cultu
sordes pannulis pertritis,
habes formam nimis furvam
110 et aspectum tam atrocem,
foeda facie videris,
toto corpore deformis?

Viserem cum olim silvam,
erant arces tres in silva:
115 arx ex lignis, arx ex tignis,
tertia de saxis structa;
sex fenestris bratteatis
erat quaeque decorata.
Intus per has introspexi,
120 ad parietem dum asto:
dominus Tapiolanus,
domina Tapiolana,
Tellervo puella silvae
populo cum Tapionis
125 omnes auro rutilabant,
ambulabant argentati.
Ipsa domina silvarum,
alma domina habebat
tum aureolas armillas
130 et aureolos anellos,
filum capitis auratum,
crines auro decoratos
et aureolas inaures,
in monili margaritas.

135 Dulcis domina silvarum,
mater Metsolae mellita!
Soccos fenulis refertos

calceosque corticatos
exuas cum veste foeda,
140 cum camisia contrita!
Induas te veste fausta,
fer camisiam felicem
die silvae peragrandae,
tempore venationis!
145 Mihi taedium id affert,
affert taedium paulatim,
quod sum semper tam inanis,
totum tempus sine dono,
cum non dones aliquando
150 nec me raro quidem cures.
Tristis citra carmen vesper,
longus dies sine praeda.

Senex barbiger silvester,
pelliger, o pileate!
155 Lucos linteis vestito,
silvas laneis lacernis,
pannis pōpulos ornato,
alnos almis vestimentis!
Pinulos inargentato
160 et abietes aurato!
Pinus veteres aeratas,
iuniores argentatas,
fac betullas bratteatas,
auro stipites decoros!
165 Fac, ut fuerat iam pridem,
melioribus diebus,
abies cum velut luna,
ut sol pinus resplendebat,
silva sucis redolebat,
170 nectare nigrescens nemus,
zytho limites lucorum,
lacus liquido butyro.

Silvae filia benigna,
Tuulikki tu Tapionis!
175 In declivia duc feram,
agros in apertiores!
Si non amat advolare
neque properat propensa,
sume virgam ex virgeto,
180 betullam ex ima valle,
qua palperis latus praedae
atque stimules axillas!
Fac, ut currat festinanter,
gradum celeret citatim
185 ante virum requirentem,
ad vestigia vagantis!

Cum in viam fera venit,
fac, ut semitam sequatur!
Ambas palmulas apponas
190 in lateribus ambobus,
ne de tramite declinet
neve fera devertatur!
Si de tramite declinet
atque fera devertatur,
195 eam auribus apprensis
cornibusque fac reverti!
Si sunt trunculi transversi,
hos de medio moveto;
si sunt arbores adversae,
200 has in duas partes frangas!
Obstans autem saepimentum
in obliquum inclinato
inter vimina vel quina
sive palos vel septenos!
205 Obstitit si praedae flumen,
si fit rivulus transversus,
seca sericum in pontem,
pannum sterne purpuratum!
Traduc feram et trans freta,
210 animal trans aquas transfer,
ultra flumen Aquilonis,
trans torrentem aestuantem!

Domine Tapiolane,
domina Tapiolana,
215 senex barbiger silvester,

tu rex aureus silvarum!
Mimerkki, matrona silvae,
alma domina donatrix,
anus caerula lacerna,
220 rubris calciis matrona!
Aurum veni iam mutatum
et argentum cambiatum!
Aurum meum est antiquum,
anni solis sunt argento,
225 sponte bello quae paravi,
ferox detuli de pugna;
in crumena conteruntur,
in marsupio nigrescunt,
cum non sit, qui mutet aurum,
230 meum cambiet argentum.''

Sic lascivus Lemminkäinen
diu lubricis prolabens
versus fecit in virgultis,
tres sub silva cantiones:
235 silvae dominam placavit
ipsum dominumque silvae,
verbis virgines permovit,
flexit nymphas Tapionis.
Incitantes impulerunt
240 Hiisis alcem latitantem
pone collem Tapionis,
apud Hiisis altam arcem,
ante virum requirentem,
capiendam cantatori.
245 Tum lascivus Lemminkäinen
suum laqueum iniecit
sic cervici cervi Hiisis,
collo pulli camelini,
ut non male calcitraret,
250 cum vir dorsum permulceret.

Tum lascivus Lemminkäinen
hanc loquelam est locutus:
''Rex silvarum, rector terrae,
pulcher incola tesquorum!
255 Mielikki, matrona silvae,
alma domina donatrix!
Aurum venias acceptum
et argentum iam electum!
Pone pannulum in terra,
260 leve linteum substerne
auro meo rutilanti
et argento resplendenti,
ne per terram dispergantur,
purgamentis polluantur!''

265 Dein it in Aquilonem;
ait, eo cum venisset:
''Iam sum alcem assecutus
ultimis in arvis Hiisis.
Anus, praebe nunc puellam,
270 mihi sponsulam tenellam!''
Anus Aquilonis Louhi
illa sic ad haec respondit:
''Tum puellam dabo demum
atque sponsulam tenellam,
275 cum frenaveris caballum,
Hiisis equum crine fusco,
ore spumeum veredum
ultimis in pratis Hiisis.''

Tum lascivus Lemminkäinen
280 capit aureas habenas,
capistellum argentatum;
exit ut caballum quaerat,
albicrinem ut auscultet
ultimis in pratis Hiisis.
285 Tendit pede properante,
passu celeri procedit
in herbosum Hiisis campum,
in confinium sacratum.
Equum ibi requirebat,
290 albicrinem auscultabat
cinctus equuli capistris,
ferens umeris habenas.

Quaerit diem alterumque,
tumque tertio dierum
295 collem arduum ascendit
saliitque super saxum;
oculos in orientem,
caput versus solem vertit:
vidit equum in arena,
300 ad abietes albentem;
crinis flammis refulgebat,
iuba fumum evolvebat.

Loquitur tum Lemminkäinen:
"Ukko, deus o supreme,
305 nubila qui tenes nutu
aetheraque moderaris!
Caeli portas aperito,
omnes aëris fenestras!
Imber ferreus fundatur,
310 grando cadat glacialis
in caballi boni crinem,
in lumbellos Hiisis equi!"

Ukko, summus tum creator,
deus aetheris, excelsus,
315 aëra dilaceravit
diffiditque firmamentum;
pluit nivem, pluit gelu,
pluit grandines pergrandes,
equi capite minores,
320 viri capite maiores,
in caballi boni crinem,
in lumbellos Hiisis equi.

Tum lascivus Lemminkäinen
adit equum, ut videret,
325 ut spectaret de propinquo.
Verbis ita fere fatur:
"Eque bone Hiitolensis,
spumans sonipes montane!
Induc rostrum aureatum,
330 argentatum caput infer
in hos circulos auratos,
in argenteas lamellas!
Te non aspere tenebo
nec te vehar vehementer:
335 viae paululum provectus
iter faciam pauxillum
versus aulas Aquilonis,
ante soceram severam.
Quantum feriam flagello
340 sive virga verberabo,
tantum serico te caedam,
limbo vestis verberabo."

Hiisis equus crine fusco,
ore spumeus veredus
345 rostrum aureum induxit,
caput tulit argentatum
circulos in aureatos,
in argenteas lamellas.
Sic lascivus Lemminkäinen
350 iam coërcuit caballum,
equum aureum frenavit,
argentatum capistravit;
insilit in dorsum eius,
in lumbellos Hiisis equi.

355 Ferit ferula veredum,
virga verberat saligna.
Viae paululum processit,
in montanis equitavit
versus collem Borealem,
360 verticem nivosi montis,
aulas ad Aquilonales.
Domum ipsam tum intravit,
ait atrium ingressus,
cum in Boream venisset:
365 "Iam coërcui caballum,
ferum equulum frenavi
in herboso Hiisis campo,
in confinio sacrato,
et sum alcem assecutus

370 ultimis in arvis Hiisis.
Anus, praebe nunc puellam,
mihi sponsulam tenellam!"

Anus Aquilonis Louhi
illa quidem ita fatur:
375 "Tum puellam dabo demum
atque sponsulam tenellam,
cum necaveris olorem,
avem fluminis argutam,
in opaco Mortis amne,
380 in torrente consecrato,
uno tuo temptamento,
uno spiculo directo."

Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
385 exit, ut audiret cygnum,
longicollum ut videret
in opaco Mortis amne,
in profundis Inferorum.
Ambulabat inclinatus,
390 cito pede procedebat
illuc, versus Mortis amnem,
ad torrentem consecratum;
umero fert amplum arcum,
pendet pharetra post tergum.

395 Pastor, pileus cui madet,
senex caecus Aquilonis,
is est apud amnem Mortis,
ad torrentem consecratum;
vertitur et circumspectat,
400 veniatne Lemminkäinen.
Aliquot diebus actis
vidit demum Lemminkäinem
propinquantem, venientem
illuc, versus Mortis amnem,
405 prope fluvium furentem,
ad torrentem consecratum.
Anguem sustulit ex aqua,
velut fistulam ex undis,
quam per viri pectus misit
410 et per iecur Lemminkäinis
alam perforans sinistram
umerum in dextrum usque.

Iam lascivus Lemminkäinen
angitur dolore diro.
415 Verbum facit, ita fatur:
"Equidem id male feci,
quod oblitus sum rogare
matrem, meam genetricem,
ut doceret duo verba
420 aut ad summum tres sermones,
quidnam esset faciendum
in his pessimis diebus:
vulnus viperae non novi
nec serpentium dolores.
425 Mater, quae me portavisti,
peperisti, curavisti!
Si tu scires et sentires,
ubi filius misellus,
certe celeris venires,
430 opem ferres properanter;
liberares me misellum,
per hanc viam ne perirem,
iuvenis ne iam obirem,
fortis vitam ne finirem."

435 Senex Aquilonis caecus,
pastor, pileus cui madet,
tum lascivum Lemminkäinem,
prolem Kalevae, protrusit
in opacum Mortis amnem,
440 verticem in violentum.
It lascivus Lemminkäinen
per torrentem cum fragore,
raptim flumine secundo
atrium in Mortis atrum.

445 Mortis filius cruentus

ille virum ferit ferro,
stricto gladio concidit.
Ictu percutit corusco
hominem in partes quinque
450 vel in octo fractiones;
quas iniecit Mortis amni,
aquis imis Inferorum:
"Ibi iugiter iaceto
cum sagittis et cum arcu!
455 Cygnos fluminis ferito,
aves alias riparum!"
Fuit finis Lemminkäinis,
obitus praestantis proci
in opaco Mortis amne,
460 in profundis Inferorum.

CANTIO XV

Mater Lemminkäinis domi
semper secum reputabat:
''Quo recessit Lemminkäinen,
Kauko quonam se subtraxit,
5 quem non audio reverti
ex peregrinatione?''
Mater misera non novit,
illa genetrix infelix,
ubi proles prolabatur,
10 suus sanguis moveatur,
utrum peragret per clivos,
ericaceos per campos,
an in alto mari currat
spumis candidas per undas,
15 an intersit magno bello
et tumultui tremendo,
ubi cruor lavat crura,
genua rubellus liquor.

Kyllikki, decora coniux,
20 circumspectat vertiturque
degens domi Lemminkäinis,
ubi campi sunt Kaukonis.
Spectat spatulam sub noctem,
pectinem et prima luce;
25 aliquot diebus actis,
quodam mane, matutino,
iam cruoribus sudabat
pecten, sanguine madebat.
Kyllikki, decora coniux,
30 verbum facit, ita fatur:
''Periit maritus meus,
Kauko dulcis iam decessit
in inhospitales vias,
in itinera non nota:
35 sudat sanguine iam pecten,
madet spatula cruore!''

Inde mater Lemminkäinis
ipsa spatulam spectabat;
flere coepit contristata:
40 ''Vae diebus infelicis,
his angustiis acerbis!
Iam nunc meus miser natus,
filius infortunatus,
incidit in dies duros!
45 Est peremptus generosus,
vir lascivus Lemminkäinen:
pecten sanguine iam sudat,
madet spatula cruore!''

Limbo manibus levato
50 vestem bracchiis tenebat,
cum cucurrit iter longum,
properanter properavit:
clivi consonant cum currit,
valles surgunt, colles cadunt,
55 terrae superae descendunt,
terrae humiles ascendunt.
It in aulas Aquilonis.
Suum filium requirit,
sciscitatur, percontatur:
60 ''O matrona Borealis,
Lemminkäinem quo duxisti,

meum filium misisti?"

Anus Aquilonis Louhi
ad haec ita responsavit:
65 "Nescio de tuo nato,
quo vanuerit profectus.
Quem in traha collocavi,
curru celeris caballi;
sitne nivibus submersus,
70 maris glacie gelatus,
an lupinis laceratus
faucibus vel ursi feri?"
Ait mater Lemminkäinis:
"Id quidem iam es mentita!
75 Lupus non ēst meam prolem,
ursus non sternit Lemminkäinem:
lupos digitis decidit,
manibus prosternit ursos.
Nisi dixeris iam verum,
80 Lemminkäinen quo sit ductus,
cellae ianuis perruptis
frangam cardines Samponis."

Ait anus Aquilonis:
"Virum cibo bene pavi,
85 potum largiter paravi
epulisque fatigavi;
tum in puppi collocavi,
curreret ut per torrentes.
Neque quidem illud scio,
90 quo devenerit misellus,
num ferventes in torrentes,
vagos fluminum delapsus."
Ait mater Lemminkäinis:
"Id quidem iam es mentita!
95 Dic exactas veritates
falsis denique dimissis:
Lemminkäinem quo duxisti,
Kalevensem amisisti?
Aut adveniet mors tibi,
100 vitae finis imminebit!"

Ait anus Aquilonis:
"Dicam denique vel verum:
alces assecutum misi,
captum maximos cervorum,
105 ferum equum ut frenaret
caballosque coërceret,
cygnum peteret ut nobis,
sacrum alitem afferret.
Illud autem non cognovi
110 qua perierit iam causa
vel quid sit impedimenti,
quod redire non videtur,
sibi sponsam ut procetur,
ut puellam a me petat."

115 Parens perditum petebat,
devium desiderabat.
Per paludes it ut lupa,
per deserta sicut ursa,
aquas ambit velut lutra,
120 transit terras ut formica,
velut vespa litus lustrat,
ripas lacuum ut lepus.
Saxa semitae summovit,
truncos torsit in obliquum,
125 virgas veteres demovit
et ponticulos paravit.

Diu perditum petivit,
diu petīt nec invenit.
Ab arboribus quaesivit,
130 devium desideravit.
Ait arbor, pinus spirat,
quercus vafre dat responsum:
"De me debeo curare
tuo filio neglecto,
135 cum sim nancta duram sortem
nata dies in iniquos:
fiam strues ut lignorum
aut securibus ut scindar,
corruam ut comburenda

140 concidamque concidenda."

Diu perditum petivit,
diu petit nec invenit.
Dein incidit in viam;
viam prona veneratur:
145 "Via, Dei creatura!
Num vidisti meum natum,
meum mālum aureatum,
baculum inargentatum?"
Via vafre dat responsum,
150 loquitur et ita fatur:
"De me debeo curare
tuo filio neglecto,
cum sim nancta duram sortem
nata dies in iniquos:
155 omni cani percurrenda,
equiti perequitanda,
duro calceo calcanda,
calcibusve concrepanda."

Diu perditum petivit,
160 diu petīt nec invenit.
Dein incidit in lunam;
lunam prona veneratur:
"Luna, Dei creatura!
Num vidisti meum natum,
165 meum mālum aureatum,
baculum inargentatum?"
Luna, Dei creatura,
satis vafre dat responsum:
"De me debeo curare
170 tuo filio neglecto,
cum sim nancta duram sortem
nata dies in iniquos:
sola pervager ut nocte
in frigoribus resplendens,
175 ut evigilem per brumas,
evanescam ut aestate."

Diu perditum petivit,
diu petīt nec invenit.
Dein incidit in solem;
180 solem prona veneratur:
"Sol, tu Dei creatura!
Num vidisti meum natum,
meum mālum aureatum,
baculum inargentatum?"
185 Sol iam aliquid cognovit,
cum rem ita commentatur:
"Tuus filius misellus
est iam perditus, occisus
in opaco Mortis amne,
190 in aeternis Mortis aquis:
per torrentes cum fragore,
raptim flumine secundo
lapsus est in imos fines,
Inferorum in profunda."

195 Inde mater Lemminkäinis
iam in lacrimas prorupit.
It in officinam fabri:
"O tu faber Ilmarinen!
Olim operatus bene
200 hodieque laborato!
Aereum excudas rastrum
spiculis ex ferro factis;
spicula sint centum passus,
lignum longum vel quingentos!"
205 Ille faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
aereum excudit rastrum
spiculis ex ferro factis;
spicula sunt centum passus,
210 lignum longum vel quingentos.

Ipsa mater Lemminkäinis
rastro ferreo recepto
advolat ad Mortis amnem.
Ita solem invocavit:
215 "Sol, tu Dei creatura,
lux a Creatore facta!

Horam fervide refulge,
alteram ardore multo,
toto tertiam calore:
220 somno sopias languentes,
Mortis populum fatiges,
vincas vires Inferorum!"

Alma Dei creatura,
sol, a Creatore factus,
225 volat in betullam truncam,
currit aridam in alnum.
Horam fervide refulsit,
alteram ardore multo,
toto tertiam calore:
230 somno sopiit languentes
Mortis populum fatigans,
iuvenes cum suis spathis,
senes fustibus suffultos,
viros lanceis adultos.
235 Evolavit inde lente
super caelum coaequale
solitas in suas sedes,
domicilia priora.

Inde mater Lemminkäinis
240 sumpto rastro ferreato
suum filium quaerebat
ex torrentibus fragosis
raptim flumine ruente.
Conquirebat nec invenit.
245 Tum inferius descendit,
vadit iam in ipsam aquam,
super calcias surgentem
vel cincturam superantem.
Rastro filium quaerebat
250 secus amnem Inferorum
trahens rastrum contra flumen.
Traxit semel iterumque:
nati tunicam invenit,
tunicam cum mente maesta;
255 adhuc semel rastrum traxit:
cepit calcias et mitram,
calcias maerore magno,
mitram mentis cum dolore.

Et inferius descendit
260 in profundum Inferorum.
Semel traxit amne recto,
traxit iterum transverse
tertiumque per obliquum.
Tertioque iam temptatu
265 fascis viscerum inhaesit
eius rastro ferro facto.
Fascis viscerum non fuit,
sed lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
270 rastri spiculo haerebat
anulari digitillo,
pedis pollice sinistro.
Vir lascivus Lemminkäinen,
proles Kalevae levatur
275 haerens in aerato rastro
super limpidos liquores;
erat paululo defectus:
manu, capitisque parte,
multis aliisque frustis,
280 adhuc anima vitali.

Mater reputat rem secum
loquiturque lacrimosa:
"Etiamne vir exsistat,
ex his novus heros fiat?"
285 Casu corvus exaudivit.
Ille sic ad haec respondet:
"Vita functus non exsistit
nec qui periit vir pessum:
piscis oculos iam edit,
290 laesit lucius lacertos.
Mitte hominem in mare,
moveas in Mortis amnem!
Forsan fiat ibi cetus,
roboretur in ballaenam."

295 Mater autem Lemminkäinis
filium non vult movere.
Adhuc trahere vult rastrum,
rastrum suum aere factum,
secus amnem Inferorum
300 cum transverse tum oblique:
capit caput, capit manum,
capit spinae bonam partem
atque plurimas costarum
aliaque multa frusta.
305 Ex his natum faciebat,
laborabat Lemminkäinem.
Carnes carnibus coniunxit,
ossibus adiecit ossa,
membra corporis ad membra,
310 venas venulis diruptis.

Illa venas vinciebat,
nodis inter se ligabat,
venas singulas cantabat,
loquitur dum has loquelas:
315 "Pulchra femina venarum,
virgo Suonetar decora,
quae, venusta, filas venas
tuo fusulo formoso,
torquens colum aere factam
320 rota ferrea rotante.
Adveni desiderata,
ambules huc advocata
portans globulum venarum,
fascem ferens membranarum,
325 ut has venulas coniungas,
nodis inter se conectas
in vulneribus illatis,
in his plagis laceratis!

Si non suppetit, quod dixi,
330 est in aëre puella
nave navigans aerata
puppi navis purpurante.
Ades, aëris puella,
veni, virgo firmamenti!
335 Ratem remiga per venas,
agita per omnes artus,
inter ossa remigato
et in rimulis membrorum!
Venas siste suis locis,
340 suis sedibus locato:
magnam venam iunge magnae,
principalem principali,
greges ponito gregatim,
parvas vero iuxta parvas!
345 Sumas aculam subtilem
filo serico coniecto!
Suas acula subtili,
acu stagnea sarcito,
nodis venulas vincito,
350 filis sericis ligato!

Si non suppetit, quod dixi,
o caelestis Deus ipse,
tuos equulos frenato,
iunge currui caballos!
355 Curru vario veharis
per ossicula, per membra
perque musculos moventes
et per venas vibrabundas!
Ossa carnibus coniungas,
360 venas venulis conectas,
ossa glutines argento,
auro venulas diruptas!
Ubi sit membrana rupta,
ibi medices membranam,
365 ubi vena sit dirupta,
ibi venulam vincito,
unde sanguis sit effusus,
eo sanguinem infundas;
ubi sit os interruptum,
370 ibi novum os ornato,
unde carnes sint commotae,
eo carnes fac coniungas,
suis sedibus sacrato,

suis locis collocato:
375 os ad os, ad carnem caro,
membra corporis ad membra!"

Ita mater Lemminkäinis
fecit hominem, heroem,
in priorem vitam verti
380 atque pristinam in formam.
Venis singulis cantatis
atque nodo colligatis
nondum facit fabulari,
natum verba profiteri.
385 Inde dicit illa verba
mater ipsa sic profata:
"Unde detur nobis unguen,
gutta nectaris geratur,
quo perungam fatigatum
390 et calamitosum curem,
ut vir fiat iam facundus,
in versificum vertatur?

Apis, avicella nostra,
tu quae regis silvae flores!
395 Ito nectar nunc petitum,
suavem sucum apportatum
Metsola de silva miti,
de Tapiola tranquilla,
de calycibus permultis
400 et vaginulis fenorum,
delinam ut dolorosa
medearque malis plagis!"
Apis, velox avicella,
alis levibus volavit
405 Metsolam in silvam mitem,
in Tapiolam tranquillam.
Flores colligit campestres,
coquit lingula liquorem
de calycibus sex florum,
410 de vaginulis centenis.
Ita venit festinanter,
vagabunda volitavit
alis nectare perfusis,
pinnis liquido liquore.
415 Mater autem Lemminkäinis
illud balsamum accepit,
quo perunxit fatigatum,
male habitum curabat:
at id virum non adiuvit
420 neque fecit fabulari.

Inde verbis his profatur:
"Apis, avicella mea!
Alteram in partem vola,
novem maria transgressa
425 petens insulam marinam,
terram nectare madentem,
tugurium novum Tuuris,
amplum atrium Palvoinis!
Ibi fluit sucus suavis,
430 ibi balsamum benignum,
quod ad venas est aptatum
et idoneum in membra.
Illud balsamum portato,
medicinam mihi ferto,
435 ut in plagis eam ponam
et vulneribus infundam!"

Apis, avicella levis,
rursus leviter volavit
novem maria transgressa
440 et dimidium sequentis.
Volat diem alterumque,
pergit volans tertiumque,
ut non sideret in herba
nec quiesceret in fronde,
445 petens insulam marinam,
terram nectare madentem,
prope fluvium ferventem
torrentemque consecratum.
Ibi nectar coquebatur,
450 balsamum apparabatur
in patellulis pauxillis

et in vasculis venustis,
satis pollici profundis,
summo digito haud latis.

455 Apis, avicella levis,
illa balsama paravit.
Transit temporis momentum,
interest haud longa mora:
iam revertit cum susurro,
460 alas volvens advolavit
scyphulos in sinu senos,
tergo baiulans septenos;
erant unguentorum pleni
et bonorum balsamorum.
465 Mater autem Lemminkäinem
his unguinibus perunxit,
his unguinibus novenis,
medicinis vel octonis:
at non adhuc est adiuta
470 nec remedium recepit.

Dixit denique hoc verbum,
his loquelis est locuta:
''Apis, volucris aurarum!
Tertiumque volitato
475 in caelorum firmamentum
surgens super novem caelos!
Ibi satis est sucorum,
ibi fluit liquor largus,
quibus usus incantavit
480 olim optimus Creator,
Deus liberos illevit
malis opibus offensos.
Alas nectare submerge,
pinnas liquido liquore,
485 affer nectar tuis alis,
porta pallio liquorem,
delinam ut dolorosa
et vulneribus infundam!''

Apis, volucris amata,
490 verbis ita fere fatur:
''Eo qui volare possim,
ego, viribus infirmis!''
''Eo bene pervolabis,
modo venies venusto:
495 super lunam, infra solem,
inter sidera caelorum.
Uno die levi lapsu
venies in vultum lunae,
inde pernix tum secundo
500 Ursae scapulas ascendes,
die tertio tolleris
in septentrionis tergum;
inde restat iter breve,
tramitis haud longus tractus
505 sancti numinis in sedem,
domicilium beati.''

Apis tollit se de terra,
alis melleis de gleba;
iam celeriter volavit,
510 parvis pinnis properavit.
Observavit orbem lunae
solis marginem secuta,
Ursae scapulas ascendit,
in septentrionis tergum:
515 petit cellam Creatoris,
cameram omnipotentis.
Ibi balsamum paratur,
linimenta concoquuntur
ollulis in argentatis,
520 in lebetibus auratis:
mel in medio lebete,
circa coquitur butyrum,
nectar in australi parte,
balsamum in boreali.

525 Apis, volucris aurarum,
cepit affatim sucorum,
nectaris satis superque.
Temporis momentum transit:

iam revertit festinanter,
530 vagabunda volitavit
ferens cornula centena
cum manticulis millenis
plena nectaris, liquoris,
optimorum balsamorum.
535 Inde mater Lemminkäinis
balsamum in os iniectum
lingua sua praelibavit,
gustu bene degustavit:
''Balsama sunt haec ex illis
540 pharmacis omnipotentis,
quibus Deus olim unxit,
quae vulneribus infudit.''

Unxit inde fatigatum,
male habitum sanavit.
545 Unxit ossium iuncturas
atque rimulas membrorum,
unxit subter, unxit supra,
corpus medium collevit.
Inde verbis ita fata
550 mater filium hortatur:
''Surge, vir, ex tuo somno,
eleva te de lethargo,
de his sedibus sinistris,
infelicibus his lectis!''

555 Vir surrexit ex sopore
excitatus e lethargo.
Iamque poterat profari
sua lingua haec locutus:
''Diu miser vir dormivi,
560 longum somnum deses duxi.
Duxi quidem somnum dulcem,
somno fructus sum profundo.''
Ait mater Lemminkäinis,
verbis ita fere fatur:
565 ''Longius et dormivisses
et diutius cubasses
sine tua mala matre,
infelici genetrice.
Narra nunc, mi miser nate,
570 dic, ut auribus auscultem:
quis ad Inferos te trusit
et iniecit Mortis amni?''

Tum lascivus Lemminkäinen
ita matri responsavit:
575 ''Pastor, pileus cui madet,
caeculus Untamolensis,
is ad Inferos me trusit
et iniecit Mortis amni.
Anguem sustulit ex aqua,
580 feram viperam ex unda
in adversum me misellum;
illud quidem nesciebam,
nesciebam vulnus vermis
nec serpentium dolores.''

585 Ait mater Lemminkäinis:
''*Vae vecordi tibi viro!*
Cantatores cantaturus,
Lappos carmine vincturus
non novisti vulnus vermis
590 nec serpentium dolores!
Anguis oritur ex aqua,
ferus coluber ex undis,
clangulae de cerebello,
capite hirundinino.
595 Spuit Syöjätär in aquam,
sputum edidit in undas;
aqua longius produxit,
sol salivam mitigavit.
Eam ventus cunulavit,
600 flatus lenis agitavit,
unda movit usque litus,
aestus appulit in terram.''

Inde mater Lemminkäinis
natum blandum blandiendo
605 recreavit in priora

atque pristinam in formam;
quin et paulo meliorem,
virum fortiorem fecit.
Inde filium rogavit,
610 si requireret quid adhuc.
Tum lascivus Lemminkäinen:
''Multas'', inquit, ''res requiro:
illic meum cor remansit,
illic cogitationes,
615 in puellis Aquilonis,
pulchris, crinibus decoris.
Anus, cuius aures mucent,
mihi filiam non spondet,
nisi clangulis necatis
620 et oloribus occisis
apud istum Mortis amnem,
in torrente consecrato.''

Ait mater Lemminkäinis,
verbis ita fere fatur:
625 ''Linque cygnos sceleratos,
sine clangulas restare
in opaco Mortis amne,
in verticibus ignitis!
Ipse domum remeato
630 misera cum tua matre!
Quin et lauda tuam sortem,
manifestum tuum Deum,
cum adiuverit te vere,
suscitaverit in vitam
635 semitis ex illis Mortis,
Inferorum ima domo!
Nihil facere valerem,
prorsus nihil ipsa possem
sine gratia divina,
640 ope veri Creatoris.''

Iam lascivus Lemminkäinen
domum inde remeavit
cum ipsius alma matre,
sua cara genetrice.
645 Ibi desero Kaukonem,
nunc relinquo Lemminkäinem
interim ex meo versu.
Cito versus meos verto,
carmen alio declino,
650 novum sulcum illi sumo.

CANTIO XVI

Vetus vates Väinämöinen,
incantator sempiternus,
sibi scapham exsculpebat,
novam lintrem laborabat
5 in opaca longa lingua,
insula sub nebulosa.
Ligna fabrum defecerunt,
axes navis exsculptorem.
Quisnam lignum it petitum,
10 axes querceos quaesitum
ad barcellam Väinämöinis
et carinam cantatoris?
Pellervoinen, agro natus,
Sampsa, parvulus pusillus,
15 ille lignum it petitum,
axes querceos quaesitum
ad barcellam Väinämöinis
et carinam cantatoris!
It per viam, spatiatur
20 versus orbem orientis.
Transit collem alterumque,
transmeat mox tertiumque
portans auream securim
aereo manubriatam.

25 Ibi pōpulum invenit,
arborem tres passus altam.
Vult iam pōpulum ferire,
lignum caedere securi.
Pōpulus his verbis fata
30 sponte dicere maturat:
''Quid est quod de me vis, homo,
id quidem quid est, quod cupis?''
Sampsa, puer Pellervoinen,
ille verbis ita fatur:
35 ''Illud quidem de te volo,
illud quaero cupioque:
Väinämöini novam navem
et carinam cantatori.''
Pergit pōpulus profari,
40 centiramula respondet:
''Fieret ex me rimosa
navis, quae submergeretur!
Meus truncus est cavatus:
ter est factum hac aestate,
45 ut cor ederet teredo,
vermis in me versaretur.''

Sampsa puer Pellervoinen
inde protinus processit;
cogitabat se conferre
50 versus plagam aquilonis.
Dein incidit in pinum,
arborem sex passus altam.
Ferit arborem securi,
pinum percutit ligone,
55 sciscitatur, percontatur:
''Fiat forsan ex te, pinus,
Väinämöini nova navis
et carina cantatori?''
Pinus repens dat responsum,
60 ita fremit irritata:
''Non fit ex me nova navis
costulis sex exornata!

Ego pinus sum sulcosa:
nempe ter in hac aestate
65 corvus in me crocitavit,
cornix cecinit in ramis."

Sampsa puer Pellervoinen
porro longius processit;
cogitabat se conferre
70 versus plagam aestivalem.
Dein incidit in quercum,
truncum novem passus crassum.
Sciscitatur, percontatur:
"Fiat forsan ex te, quercus,
75 trabs barcellae piscatoris
vel carina navis longae?"
Quercus bene responsavit,
sic glandifera sciebat:
"Inest quidem in me lignum
80 ad naviculae carinam;
non sum gracilis nec rosa
nec intrinsecus cavata.
Nempe ter in hac aestate,
his temporibus amoenis,
85 circum truncum sol gyravit,
luna verticem lustravit,
cecinit in me cuculus,
in me volucres quierunt."

Sampsa puer Pellervoinen
90 manibus securim sumit,
ferit arborem securi,
plana lamina quercinam;
quercum denique decidit,
pulchram arborem abrumpit.
95 Primo verticem defregit,
stirpem penitus diffindit.
Sculpsit axulas ad fundum
et innumeras tabellas
ad carinam cantatoris,
100 Väinämöinis ad barcellam.

Inde vetus Väinämöinen,
incantator sempiternus,
facit barcam arte maga,
novam navem incantando
105 frustulis unius quercus,
arboris fragmentis fractis.
Canit versum, facit fundum,
latus altero coniungit;
tertium mox versum canit,
110 cum caedebat navis scalmos,
costulas conficiebat
et compages coniungebat.
Ita costulis confectis
et compagibus coniunctis
115 tria verba defuerunt,
margines ut ponerentur,
prora navis pararetur,
puppis et perficeretur.

Vetus vates Väinämöinen,
120 incantator sempiternus,
verbum facit, ita fatur:
"Vae diebus infelicis!
Non in aquam est deducta
nova navis, inter undas!"
125 Cogitat et meditatur,
unde sumeret sermones,
faustas faceret loquelas:
testa de hirundinina,
primo cuneo cygnorum,
130 an ab armis anserinis?
Exit verba requisitum.
Occidit olorum gregem,
turbam anserum delevit,
infinitas hirundinas:
135 nec invenit ullum verbum,
nec dimidium nec totum.

Cogitat et meditatur:
"Centum verba sunt sumenda
condita sub lingua cervi

140 et in ore sciurino."
Exit verba requisitum,
res arcanas arcessitum.
Campi cervos interfecit,
magnum sciurorum gregem:
145 multas voces sic invenit,
sed inefficaces omnes.

Cogitat et meditatur:
"Illinc sumam centum verba,
illinc, Inferorum domo,
150 sedibus de sempiternis."
Exit verba requisitum
voces volens Inferorum.
Cito passu spatiatur;
septimanam per virgulta,
155 alteram it per pruneta,
dein per iunipereta:
iam apparet lucus Mortis,
eminet mons Inferorum.

Vetus vates Väinämöinen
160 invocans vociferatur
apud illum Mortis amnem,
in profundis Inferorum:
"Adduc cymbam, Mortis virgo,
ratem, infans Inferorum,
165 ut traiciam trans fretum,
veniam ut ultra flumen!"
Brevicula Mortis virgo,
parvula puella Leti,
linteamina lavabat,
170 clava vestes tum tundebat
in opaco Mortis amne,
aquis imis Inferorum.
Verbum facit, ita fatur
advenam sic allocuta:
175 "Adducatur tibi cymba,
si sit dicta causa iusta,
qua deductus es ad Mortem,
cum non mortuus sis morbo
neque morte naturali
180 aliterve vita functus."

Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Mors ad manes me deduxit,
Nex abripuit ab agris."
185 Brevicula Mortis virgo,
parvula puella Leti,
verbis ita fere fatur:
"Te mendacem iam inveni!
Si te Mors huc deduxisset,
190 Nex ab agris rapuisset,
Mors deduceret te secum,
Inferus comitaretur
more Mortis pileatum
manicisque manicatum.
195 Verum dicas, Väinämöinen:
qua deductus es ad Mortem?"

Vetus vates Väinämöinen
ibi iam his verbis fatur:
"Ferrum Morti me mandavit,
200 chalybs abstulit ad Letum."
Brevicula Mortis virgo,
parvula puella Leti,
verbum facit, ita fatur:
"Te mendacem iam cognovi!
205 Si te chalybs cecidisset,
ferrum Morti mandavisset,
vestes sanguine stillarent
et cruores funderentur.
Verum dicas, Väinämöinen,
210 dicas denuo, nunc verum!"

Vetus vates Väinämöinen
ille vero sic profatur:
"Aqua ductus sum ad Mortem,
undis Inferis mandatus."
215 Brevicula Mortis virgo,
parvula puella Leti,

verbum facit, ita fatur:
"Te mendacem intellexi!
Aquis si deductus esses,
220 undis Inferis mandatus,
aqua flueret de veste,
sinus maxime maderet.
Dic exactas veritates:
qua deductus es ad Mortem?"

225 Ibi vetus Väinämöinen
adhuc semel est mentitus:
"Ignis Inferis mandavit,
flamma detulit ad Letum."
Brevicula Mortis virgo,
230 parvula puella Leti,
illa verbis ita fatur:
"Te reperio mendacem!
Igne si deductus esses,
flammis Inferis mandatus,
235 esset cirrus concrematus,
barba quoque conflagrata.
O vetuste Väinämöinen!
Si vis cymbam hic habere,
dic exactas veritates
240 falsis denique dimissis:
quonam modo huc venisti,
cum non mortuus sis morbo
neque morte naturali
aliterve vita functus?"

245 Ait vetus Väinämöinen:
"Etsi paulum sum mentitus,
semel bisve falsa fatus,
certe dicam et res certas.
Barcam arte faciebam,
250 novam navem incantando.
Cantavi diem alterumque,
tumque tertio dierum
currus carminum est fractus,
ruptus patinus verborum:
255 terebram petitum veni,
furfuraculum a Morte,
tragulam ad faciendam,
novum currum cantionum.
Adduc mihi nunc barcellam,
260 ratem tuam huc appelle,
ut traiciam trans fretum,
veniam ut ultra flumen!"

Vituperat Mortis virgo,
sic puella reprehendit:
265 "Eheu stupidi stuporem,
vir, vecordiam vae tuam!
Sine causa Mortis casas,
Mortem petis sine morbo!
Multo melius sit tibi,
270 ut ad propria recurras:
multi sunt, qui huc venerunt,
pauci vero reverterunt."
Ait vetus Väinämöinen:
"Vetula se domum vertat,
275 at ne peior quidem homo
nec pigerrimus virorum!
Adduc cymbam, Mortis virgo,
ratem, infans Inferorum!"
Duxit cymbam Mortis virgo,
280 qua vetustum Väinämöinem
transportavit ultra fretum,
Mortis fluvium traiecit.
Dein dictis ita fatur:
"Vae tibimet, Väinämöinen!
285 Petis Mortem, non necatus,
Inferos non vita functus!"

Mortis optima matrona,
vetus mulier Inferna,
zythum poculo portavit,
290 tulit amphora diota;
verbis ita fere fatur:
"Bibe, vetus Väinämöinen!"
Vetus vates Väinämöinen
intra poculum inspexit:

295 ibi ranulae coibant,
latere repebant vermes.
Inde dictis ita fatur:
"Ego quidem non adveni
Leti poculum potatum,
300 ut sorberem scyphos Mortis:
zythi potor ebriatur,
perit avidus bibendi."

Ait tum matrona Mortis:
"O vetuste Väinämöinen!
305 Cur ad Inferos venisti,
Mortis atrium in atrum,
antequam Mors voluisset,
te de terra vocavisset?"
Ait vetus Väinämöinen:
310 "Sculperem cum mihi scapham
faceremque novam navem,
tria verba defuerunt
ad perficiendam puppim,
ad levandam navis proram.
315 Quae cum nusquam repperissem,
nec in terra nec in caelo,
debui huc devenire,
Mortis atrium in atrum
illa verba requisitum,
320 res arcanas arcessitum."

Illa tum matrona Mortis
verbum facit, ita fatur:
"Letum nulli dat loquelas,
neque verba Mors dispertit.
325 Nec hinc poteris reverti
umquam, tempore vel ullo,
repetas ut tuam domum
ambulans in tuos agros."
Virum somno soporavit,
330 stravit vatem viatorem
Mortis in pellito lecto.
Ibi homo requiescit,
heros ducit dulcem somnum:
vestis vigilat, vir dormit.

335 Apud Inferos est anus,
vetula maxillis curvis,
ferreum quae filum filat
aereumque ducit stamen.
Nevit stamina centena
340 ad sagenam, vel millena,
nocte quadam aestivali
sedens litoris in saxo.
Apud Inferos est senex;
digitis est tribus senex,
345 ferreum qui rete nectit,
parat aereas sagenas.
Is centiplicem sagenam
vel milliplicem confecit
eadem aestiva nocte
350 sedens in eodem saxo.
Puer erat Inferorum
duris digitis aduncis,
qui centiplicem sagenam
in opaco Mortis amne
355 duxit longe, duxit late,
duxit adhuc ex obliquo,
fugeret ne Väinämöinen
nec evaderet elapsus
umquam, tempore vel ullo,
360 lunae lumine lucente,
illinc, ex Inferna domo,
sedibus de sempiternis.

Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
365 "Iam sum forsan periturus
imminente die diro
atriis in Mortis atris,
in his sedibus Infernis?"
Mox mutavit suam formam
370 cito facie conversa:
factus furvus it in mare,
inter carices ut lutra;

ferreus ut serpens serpit,
velut vipera vagatur
375 ultra flumen Inferorum,
Mortis tranatans sagenas.
Puer autem Inferorum
duris digitis aduncis
est profectus multo mane,
380 ut reticula spectaret:
tructas cepit fere centum,
pisciunculos ad mille,
at non cepit Väinämöinem,
vetulum Uvantolanum.

385 Inde vetus Väinämöinen,
ut ab Inferis revertit,
verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
''Utinam ne bonus Deus
390 talem virum procrearet,
Mortem peteret qui sponte,
Inferos ingrederetur!
Illuc multi descenderunt,
illinc pauci reverterunt,
395 illinc, ex Inferna domo,
sedibus de sempiternis.''

Adhuc fecit ea verba
addiditque sic locutus
iuventuti iuvenili,
400 populo, qui creber crescit:
''Gentes hominum, nolite
umquam, tempore vel ullo,
culpa vacuos culpare,
innocentibus nocere!
405 Merces pessime praestatur
illic, in Inferna domo:
ibi sontium est sedes,
lectuli reorum strati:
torus fervidis ex saxis,
410 ex lapidibus ignitis,
tegimen est viperinum
textum vermibus Infernis.''

CANTIO XVII

Vetus vates Väinämöinen,
postquam verba non invenit
illinc, ex Inferna domo,
sedibus de sempiternis,
5 semper secum cogitabat,
animo rem reputabat,
unde sumeret sermones,
faustas faceret loquelas.
Armentarium convenit;
10 ille verbis ita fatur:
"Centum capies sermones,
versus magicos vel mille,
vatis Vipunis ex ore,
ventre fortis Anteronis.
15 Via vero facienda
atque semita carpenda
non est bona permeanti
neque pessima cunctarum:
primo tramite currendum
20 est per acus feminarum,
altero tum ambulandum
est per militum mucrones,
demum tertio cedendum
est per ascias heroum."

25 Vetus vates Väinämöinen
tamen ire cogitabat.
Fabri fabricam ingressus
verbis fere his profatur:
"Heus tu, faber Ilmarinen!
30 Cude calceos ferratos,
chirothecas fac ferratas,
fac camisiam ex ferro!
Perticam de ferro ducas,
chalybeiam mercede:
35 chalybeia medulla
flexili sit ferro tecta!
Eo verba requisitum,
res arcanas arcessitum
ex visceribus potentis,
40 vatis Vipunis ex ore."
Ille faber Ilmarinen
verbum facit, ita fatur:
"Vipunen est vita functus,
pridem Antero decessit
45 nec tendiculas iam tendit
nec laqueolos disponit;
nihil capies ab illo,
nec dimidium loquelae."

Vetus vates Väinämöinen
50 abiit, non oboedivit.
Primo die cito cessit
acubus in feminarum,
altero tum ambulavit
in mucronibus virorum,
55 porro tertio processit
in securibus heroum.
Vipunen, versificator,
vir vetustus, potens vates,
ibi iacet incantator
60 cum carminibus supinus.
Populus in armis alta,
in temporibus betulla,

alnus surgit in maxilla,
salicetum super barba,
65 arbor abies in fronte
et in dentibus pinetum.

Iam assistit Väinämöinen.
Strinxit ensem, duxit ferrum
e pellicea vagina,
70 balteo de bubulino;
stravit pōpulum de tergo,
de temporibus betullas,
alnos latas de maxillis,
saliceta super barba
75 et abietes de fronte
et de dentibus pineta.
Perticam ferratam ponit
vatis Vipunis in ore,
in gingivulis distortis,
80 eius mucidis maxillis.
Verbum facit, ita fatur:
''Serve hominis, exsurgas
subterraneo de somno,
de sopore diuturno!''

85 Vipunen versificator
somno statim est solutus.
Sensit subitum dolorem,
se vexari vehementer:
mordet perticam ferratam,
90 ferrum flexile demordet:
chalybeiam non valet
ferri rodere medullam.
Vetere tum Väinämöine
ori Vipunis astante
95 unus pes illapsat intus,
pes illabitur sinister
ori vatis Anteronis,
inter Vipunis maxillas.

Vipunen versificator
100 os iam latius diduxit,
malas magis dilatavit,
– gluttit virum gladiumque
et ingurgitat per gulam
veterem sic Väinämöinem.
105 Vipunen versificator
ibi verbis ita fatur:
''Adhuc aliquid comedi,
oves edi, capras edi,
vaccam sterilem comedi,
110 etiam comedi verrem:
at non ante talem edi,
bucceam saporis huius!''

Vetus vates Väinämöinen
ille verbis ita fatur:
115 ''Videor iam vir perire
incidente die diro
huius Hiisis in caverna,
huius Funeris in fundo.''
Cogitat et meditatur,
120 quid sit sibi faciendum.
Gerit cingulo cultellum
capulo cum betullino;
scaphulam ex eo fecit,
navicellam arte maga.
125 Remigabat, navigabat
singulis in intestinis,
omnes angulos ambivit,
circumivit sinus cunctos.

Vipunen versificator
130 nondum voluit parere.
Tum vetustus Väinämöinen
factus ferri fabricator,
faber orsus operari
fecit fabricam ex veste,
135 manicisque fabri follem,
sufflatorium ex pelle,
tubum aëris ex bracis,
tibialibus canalem;
et incudem suo genu,

140 cubito martellum fecit.
Incudebat in incude,
malleabat et tundebat;
cudit noctem incessanter
et indesinenter diem
145 in visceribus potentis
vatis, Vipunis in ventre.

Vipunen versificator
ibi verbis ita fatur:
''Quisnam, o tu, sis virorum,
150 quis et unde sis heroum?
Iam comedi viros centum,
mille milites delevi,
tibi parem vix comedi:
veniunt in os carbones,
155 torres surgunt super linguam,
ferri scoriae per gulam!
Moveas te, monstrum mirum,
pestis terrae, te subducas,
antequam parentem petam,
160 genetricem tuam quaeram!
Si rem refero parenti,
queror apud genetricem,
plus laboris est parenti,
magnus dolor genetrici,
165 filius quod facit male,
puer pessime se gerit.

Illud quidem nunc ignoro,
ab origine non novi,
unde, Hiisi, sis transgressus,
170 unde veneris, venenum,
ut me mordeas et teras,
comedas et circumrodas.
Morbus es a Deo missus,
nex a Creatore data,
175 an es facinus humanum,
et commissum et adductum
et mercede huc conductum,
cum pecunia corruptum?
Morbus sis a Deo missus,
180 nex a Creatore data,
tum confugimus ad Deum
confidentes Creatori:
Dominus non deest iusto,
Deus bonum non dat pessum.
185 Cum sis facinus humanum,
maleficium commissum,
certe sciam tuum genus
et inveniam natales!

Illinc ante mala missa,
190 veneficia venerunt:
sapientium de sede,
pascuis de peritorum,
mansione malignorum,
campis et incantatorum;
195 illinc, Funeris de fundo,
imis terris Inferorum,
domo hominis defuncti,
viri perditi de villa,
de pulveribus pusillis,
200 terris teneris iniectis,
de glareolis globosis,
argutantibus arenis;
de convallibus caenosis,
de palude musci priva,
205 de scaturiente stagno,
fontibus de fluctuosis;
Hiisis de silvestri specu,
quinque rupium recessu,
metallifero de monte
210 et cacumine cuprino;
sibilantibus de silvis,
de spirantibus pinetis,
pini putrido de trunco
et cacumine corrupto;
215 deversorio de vulpis,
campo alcis assequendae,
ursi lustro lapidoso,
eius saxea spelunca;

finibus ex Aquilonis,
220 de Lapponum lata terra,
de virgetis virgae privis
et ab agris non aratis;
Martiis de magnis pratis
et de campis cruentatis,
225 graminum de raucis sonis
et cruoribus effusis;
ex extenso maris aestu,
fretis altis et apertis,
maris limis lutulentis,
230 mille passuum profundo;
de fluentis fluviorum,
aestuantibus ex aquis,
Rutjae de torrente taetro,
fortis fluminis prolapsu;
235 polo de posteriore
deque nubibus dispersis,
vehitur quo veris aura,
domicilio ventorum.

Indene tu quoque missum,
240 veneficium, venisti
intra pectus innocentis,
ventrem vitio carentis,
morsicatum, manducatum,
rosum atque devoratum?
245 Ater, desinas, alane,
canis cerbere, languescas,
venefice, linque ventrem,
malefice, meum iecur,
ne corrodas viri corda
250 neu ligurrias lienem,
vellices ne meum ventrem
neu perambules pulmones
urgens meum umbilicum,
mea tempora ne temptes
255 neve terebres a tergo
laceresve meum latus!

Si non sim vir satis fortis,
invoco me meliores,
qui hoc malum medicentur,
260 veneficium devertant.
Voco feminas telluris,
agri dominos ex agro,
omnes milites ex terra,
equites ex sabuleto,
265 ut me copiis confirment,
suis viribus defendant
in hoc opere molesto,
hoc durissimo dolore.

Cum non pareat his dictis
270 neque minimum decedat,
surge, silva, cum catervis,
fruticetum, tuis turbis,
cum propinquis, o pinetum,
tuis liberis, o lacus,
275 centum viri gladiati,
mille milites ferrati
surgant, daemonem ut doment,
comprimant ut hunc malignum!

Cum non pareat his dictis
280 neque minimum decedat,
aquae domina, desurge,
linque fluctus, o mitrata,
et paludes, veste pulchra,
o formosa, linque limum,
285 adiuves ut virum parvum
desque debili virtutem,
ne corrodar citra causam
neve necer sine morbo!

Cum non pareat his dictis
290 neque minimum decedat,
diva, nata de natura,
nympha, nitida decora,
natu maxima cunctarum,
prima mater creatorum,
295 veni visum hos dolores,

ut depellas dies diros,
exuas ut exuenda
destruasque malum morbum!

Cum non pareat iam dictis
300 neque minimum recedat,
Ukko, deus firmamenti,
insidens in nubis limbo,
deveni desideratus,
adveni cum advocaris,
305 ut dissolvas dira facta
detrahasque detrimenta
ensis igneo mucrone,
tuo gladio nitenti.

Moveas te, monstrum mirum,
310 pestis terrae, te subducas!
Hic non datur tibi sedes,
etiamsi sedis eges.
Aliorsum hinc abito,
locum longius moveto,
315 ubi permanet patronus,
et patrona spatiatur!
Tum itinere confecto
cum perveneris ad illos
agros tui genitoris,
320 pascua parentis tui,
des indicium ingressus,
signum facias secretum:
instar tonitrus tonato,
fulgurato velut fulmen!

325 Porta pedibus perfracta
et fenestrula deiecta
domum ipsam iam intrato,
velut vertex involato!
Manu poplites prehendas
330 aut ipsorum imos talos,
domini sedentis retro
dominaeque prope limen!
Dominum exoculato,
caput dominae confringas,
335 dein digitos distorque,
verte caput in transversum!

Si sint adhuc parum ista,
vola foras velut gallus,
in cohortem velut pullus,
340 pronus prope purgamenta!
Equum caede de praesaepe,
bovem stabulis cornutum,
misce cornua cum fimo,
caudam super solum sterne,
345 oculos oblique verte,
rumpe protinus cervices.

Si sis morbus vento vectus,
vento vectus, actus amne,
veris aëre donatus,
350 auris frigidis allatus,
abeas per vias venti
austri cursum comitatus,
ut in arbore non sidas
nec in alno requiescas,
355 metalliferum in montem
et cacumina cuprina,
ut veharis ibi vento,
vernis auris arcearis!

Si de caelo sis delatus
360 deque nubibus dispersis,
rursus redeas in caelum,
surgas in supernas auras,
versus nimbos destillantes,
stellas lumine micantes,
365 ardeas ut instar ignis,
in scintillis ut scintilles,
solis viis in vehendis,
lunae circulis currendis!

Si sis, mollis, undis motus,
370 maris aquis agitatus,

mollis, undis usque motus
subter aquas agiteris,
prope loca lutulenta,
super umeros undarum,
375 fluites ut ibi fluctu,
aquis atris movearis!

Si sis Funeris de fundo,
domicilio defuncti,
demum domum revertaris,
380 Funeris in vilem villam,
intra pulveres pusillos,
terras teneras iniectas,
quo catervae ceciderunt,
vires firmae perierunt!

385 Illinc, vecors, si sis vectus,
Hiisis de silvestri specu,
eius ligneis de lustris,
aedibus ex pino structis,
illuc ire te nunc canto,
390 Hiisis in silvestrem specum
et in aedes pino structas,
eius ligneum in lustrum,
tam ut ibi diu degas,
dum putrescat pavimentum,
395 tigna fungis obducantur,
tectum desuper descendat.

Illuc carmine te canto,
illuc improbum impello,
ursi veteris in villam,
400 ursae veteris in vicum,
in uvidulas convalles,
in paludes spatiosas,
gurgites scaturientes,
fontes aquae prorumpentes,
405 in carentes pisce lacus,
percis omnibus orbatos.

Si non ibi sedes datur,
te carminibus incanto
agros in Aquilonales,
410 in Lapponum latam terram,
in virgeta virgae priva
et in arva non arata,
ubi sol et luna desunt
neque dies dilucescit.
415 Ibi bonum est versari,
est amoenum agitari:
alces arbore suspensae,
magni cervi sunt captati,
comedat quos vir ieiunus,
420 gustet cupidus ciborum.

Illuc carmine te canto,
iubeo te hinc abire
in torrentem taetrum Rutjae,
inter aquas aestuantes,
425 arbores quo cadunt pronae
stipitesque devolvuntur,
pini patulae cum truncis
et praecipites procerae.
Ibi nates, infidelis,
430 fluctus rapidos, spumantes,
torquearis aquis amplis
incolas vel in angustis!

Si non ibi sedes datur,
te carminibus incanto
435 in opacum Mortis amnem,
rivum Leti sempiternum,
unde numquam reverteris,
nullo tempore tolleris,
nisi properem solutum
440 veniamque vindicatum
cum vervecibus novenis,
natis ex eadem ove
cumque taurulis novenis,
vitulis eiusdem vaccae
445 et cum equulis novenis,
natis ex eadem equa.

Si vecturam tibi velis
equum expetens veredum,
certe datur et vectura
450 et veredus apparatur:
est in Hiisi bonus equus
rufis crinibus, in monte,
rutilat cui rostrum flammis,
nares ignibus coruscant;
455 habet ungulas ex ferro
chalybeiosque calces,
quibus currit contra collem,
clivos arduos ascendit
viro forti frenatore,
460 domitore satis docto.

Si non suppetit, quod dixi,
nanciscaris Hiisis nartas,
axes alneos Lemponis,
fustem daemonis robustum,
465 quibus usus prolabaris,
lucos peragres Lemponis,
Hiisis campos levi cursu,
pernix per maligni prata!
Si sunt lapides adversi,
470 hi rumpantur cum fragore;
si sunt trunculi transversi,
illi statim infringantur;
homines si sunt obversi,
fac, de via devertantur.

475 Moveas te iam, moleste,
vir maligne, iam decedas,
antequam sol oriatur
et appareat aurora,
quam diluceat iam dies,
480 galli cantus audiatur!
Tempus est, ut hinc decedas
et, moleste, movearis,
lunae lumine dum ductus
tenebris non tenearis.

485 Nisi repens iam recedas
nec, molosse, movearis,
uncos ungues aquilinos,
sanguinis potoris pedes,
avis forcipes ferocis,
490 falces capiam falconis,
quibus comprimam scelestos,
malos sedem sempiterne,
ut non caput contremescat
neque spiritus anhelet.

495 Cessit olim malus natus,
fugit filius creatus
hora Dei veniente,
Creatore succurrente:
nonne fugis, tu, non natus,
500 nonne cedis, increatus,
canis orbe, non ordiris,
vidue, non vis abire
ante finem huius horae,
luna hac circumvagante?''

505 Vetus vates Väinämöinen
inde dictis ita fatur:
''Optime hic ego dego,
tempus dulciter hic duco:
iecora sunt loco panis,
510 adipes pro condimento,
pultem facio pulmone,
cibos bonos crassamentis.
Figam firmius incudem
cordis carnibus in imis,
515 magis malleo pulsabo
quaedam molliora quoque,
ne, dum vivas, dimittaris
nec quo tempore te salves,
nisi verbis mihi datis,
520 faustis vocibus paratis,
verbis affatim auditis,
multis milibus sermonum.
Verba ne sint in secreto

nec in latebris loquelae;
525 ars ne pereat sub terra
artificibus peremptis!"

Vipunen versificator,
is vetustus, potens vates,
tenens ore magnam artem,
530 sinu magicos sermones,
reserat verborum arcam,
cistam carminum recludit,
cantus bonos ut cantaret
verbis optimis oblatis,
535 originibus profundis,
rerum primis fundamentis,
quae non canit quivis heros
nec intellegunt infantes
hac aetate nimis aegra,
540 his temporibus extremis.

Ortus penitus perlegit,
omnes ordine loquelas,
ut promissu Creatoris,
opibus omnipotentis
545 aër ex se natus esset,
liquor aëre divisus,
e liquore terra facta
et in terram omnes herbae.
Canit de creanda luna,
550 ordinando solis orbe,
pilis aëris ponendis,
caelo stellis decorando.

Vipunen versificator
cum cantabat tum sciebat!
555 Non est visus nec auditus
umquam, tempore vel ullo,
illo melior cantator,
vates arte magis valens:
os loquelas effundebat,
560 lingua voces emittebat,
ut caballus movet crura
vel veredus bonos pedes.
Totos dies cantitavit,
totas noctes dictitavit:
565 advenit sol id auditum,
luna lucida spectatum;
aequoris subsidit aestus,
unda litore recumbit;
rivi desinunt delabi,
570 Rutja fervida fervere,
flumen Vuoksi fluctuare,
amnis constitit Iordanes.

Inde vetus Väinämöinen,
cum loquelas audivisset,
575 satis carminum cepisset,
faustas voces paravisset,
coepit velle proficisci
vatis Vipunis ex ore,
ventre fortis Anteronis,
580 ex pectoribus potentis.
Ait vetus Väinämöinen:
"Antero Vipunen, audi!
Ore latius diducto
malas magis dilatato,
585 ut ex ventre mox elapsus
meam domum proficiscar!"
Vipunen versificator
ibi verbis ita fatur:
"Multos edi, multos bibi,
590 multa milia delevi;
at non umquam talem edi
quam vetustum Väinämöinem!
Bene veniens fecisti,
melius, cum reverteris."

595 Antero Vipunen inde
iam gingivulis distortis,
ore latius diducto
malas magis dilatavit.
Vetus vero Väinämöinen
600 os reliquit magni magi,

ventrem vatis Anteronis,
viscera Vipunis fortis;
labitur ex eius ore,
desilit in loca tesqua
605 velut aureus sciurus
aut aurata pectus martes.

Inde coepit ambulare,
fabri fabricam petivit.
Ait faber Ilmarinen:
610 "Iamne voces audivisti,
didicisti verba fausta
de marginibus ponendis,
de perficienda puppi,
de paranda navis prora?"

615 Vetus vates Väinämöinen
ibi verbis ita fatur:
"Iam accepi centum voces,
multa milia verborum,
voces ex secreto sumpsi
620 et e latebris loquelas."

Ad naviculam accessit,
in mirificum navale.
Est navigium nunc factum
marginis iuncturis iunctis,
625 puppis partibus perfectis,
prora quoque comparata:
navis nascitur non sculpta,
scapha nemine scalptore.

CANTIO XVIII

Vetus vates Väinämöinen
cogitat et meditatur,
ut puellam procaretur,
crine peteret decoram
5 tenebris ab Aquilonis,
nebulis Sariolanis,
virginem Aquilonalem,
sponsam pulchram Borealem.
Lintrem illinit rubore,
10 ratem rutilo colore,
proram auro deauravit
et argento variavit.

Aliquot diebus actis,
prima luce, multo mane,
15 navem denique deduxit
centum axibus aptatam
levigatis de cylindris,
pineis robustis truncis.
Mālum arborem attollit
20 et in malum vela pandit:
unum pandit purpuratum,
glaucum alterum colore;
ipse ratem est ingressus,
in navigium inscendit.
25 Navis velis vento datis
coepit caerulum sulcare.

Ibi verbis ita fatus,
his loquelis est locutus:
"Veni, Numen, nunc in navem,
30 in carinam, Deus clemens,
adiuves ut virum parvum
desque debili virtutem
amplioribus in aquis,
in his fluctibus immensis!
35 Vente, cunula carinam,
unda, puppim propulsato
sine remo remigantis,
superficie non rupta,
inter aquas ampliores,
40 ubi pontus est apertus!"

Annikki, puella noctis,
casta virgo tenebrarum,
iam diluculo laborans
vigilabat multo mane:
45 linteamina lavabat,
casu vestes abluebat
in extremo rubro gradu
pontis longi litoralis
in opaca longa lingua,
50 insula sub nebulosa.
Se versabat et spectabat
caelum circa se serenum,
super caput in sublime,
litora secundum mare:
55 sol superne resplendebat,
infra fluctus refulgebant.
Oculos in fretum fixit
capite sub solem verso
praeter fauces Suomelenses,
60 versus Väinölenses aquas:
vidit atrum ponti punctum,

locum lividum in undis.

Verbum facit, ita fatur,
ita secum fabulatur:
65 "Quid es, atrum ponti punctum,
locus lividus in undis?
Si sis pecus anserinum
sive chorus clangularum,
alis nisus avolato
70 in sublime caelum versus!
Si sis scopulus salmonum
aut grex alius piscosus,
immergaris nataturus,
temet subtrahas sub aquam!
75 Esses cautes scrupulosa
sive trunculus aquosus,
tunderet te maris unda,
fluctus in te volverentur."

Scapha propius procedit,
80 nova navis appropinquat
ad opacam longam linguam,
insulam sub nebulosam.
Annikki, puella casta,
iam venire novit navem
85 centum axibus aptatam.
Verbum facit, ita fatur:
"Si sis scapha mei fratris
sive nostri patris navis,
tene cursum tuam domum
90 proprias in terras versus,
proram in paternos portus,
puppim vertens peregrinis!
Si sis navis nulli nota,
navigato procul nobis
95 proram vertens peregrinis,
puppim portibus his nostris!"
Non est ratis propinquorum
neque navis nulli nota:
est carina cantatoris,
100 scapha vatis Väinämöinis.

Prope ripam navigavit
volens verbis fabulari,
verbum ferre vel referre
colloquique voce viva.

105 Annikki, puella noctis,
casta virgo tenebrarum,
navigantem percontatur:
"Quo profectus, Väinämöinen,
expeditus, bone sponse,
110 es evectus, vir electe?"
Ille vetus Väinämöinen
loquitur de sua scapha:
"Sum profectus ut salmones,
tructas peterem ludentes
115 ab opaco Mortis amne,
alto flumine iuncoso."
Annikki, puella casta,
illa dictis ita fatur:
"Noli frustra sic mentiri,
120 ludos piscium cognovi!
Aliter nam pater ante,
aliter dilectus parens
est profectus, ut salmones,
tructas peteret piscatu.
125 Erat retibus referta
navis, nassis onerata,
ibi restes, ibi rete,
ibi conti capitati,
erant fuscinae sub transtro,
130 longae perticae per puppim.
Quo profectus, Väinämöinen,
Uvantolane, sic existi?"

Ait vetus Väinämöinen:
"Anseres assecuturus,
135 volucrum in vernos ludos,
aves captum salivosas
Saxonum ab altis aquis
et aequoribus apertis."
Annikki, puella casta,

140 verbum facit, ita fatur:
"Veridicum virum novi
et reperio mendacem!
Aliter nam pater ante,
aliter dilectus parens
145 anseres est assecutus,
rostro roseos venatus:
magnus arcus erat tensus,
expeditus, decorosus,
canis niger catenatus,
150 vinculo cum arcu vinctus;
caniculus propter ripas
catulique cucurrerunt.
Dicas verum, Väinämöinen:
quonam es navigaturus?"

155 Ait vetus Väinämöinen:
"Quid si profecturus essem,
magnum bellum suscepturus,
in certamina cernenda,
ubi cruor lavat crura,
160 genua rubellus liquor?"
Ait Annikki respondens,
pectus stagno decorata:
"Et bellorum sum experta!
Pater cum profectus esset
165 magnum bellum suscepturus
in certamina cernenda,
viri centum remigabant,
mille desides sedebant,
arcus apparebant ante,
170 enses transtris eminebant.
Dic iam certam veritatem,
res veraces, haud mendaces:
quo profectus, Väinämöinen,
Suvantolane, sic existi?"

175 Tum vetustus Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Virgo, venias in navem,
meam puppim, o puella,
dicam certam veritatem,
180 res veraces, haud mendaces!"
Ait Annikki hoc verbum,
pectus stagno decorata:
"Ventus veniat in navem,
in carinam vernus caurus!
185 Navem tuam vel evertam,
proram faciam delabi,
nisi dixeris res veras,
quonam domo sis profectus,
exactissimas res veras
190 falsis denique dimissis."

Tum vetustus Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Certe dicam et res certas,
licet paulum sim mentitus:
195 eo feminam procatum,
mihi virginem petitum
tenebris ab Aquilonis,
Sariolae nebulosae,
ubi viri devorantur
200 heroesque demerguntur."

Annikki, puella noctis,
casta virgo tenebrarum,
cognita iam veritate,
re veraci, haud mendaci,
205 liquit vittas abluendas,
linteamina lavanda
pontis longi litoralis
in extremo rubro gradu.
Vestem altius succinxit
210 limbo manibus levato,
cito coepit ambulare
confestimque festinare;
advenit in fabri domum,
est in fabricam ingressa.

215 Ille faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,

scamnum ferreum cudebat,
argentatum laborabat
caput cinere contectus,
220 alas cumulis carbonum.
Annikki stans apud fores
verbis ita fere fatur:
''Frater, faber Ilmarinen,
malleator sempiterne!
225 Mihi radium incude
anulosque duc decoros,
binas, trinas vel inaures
zonulasque sex vel quinque,
tum res certas tibi dicam,
230 res veraces, haud mendaces!''
Ait faber Ilmarinen:
''Faustis rebus mihi dictis
tibi radium incudam,
ducam anulos decoros,
235 tibi crucem pectoralem
et inaures meliores;
malis vero rebus dictis
ornamenta veteraque
rumpam, ignibus intrudam,
240 inferam in meum focum.''

Annikki, puella casta,
illa verbis ita fatur:
''Heus tu, faber Ilmarinen!
Num ducendam recordaris,
245 quam tibimet despondisti,
sponsam pridem petivisti?
Malleas, incudis usque,
omne tempus tundis ferrum;
equos calceas aestate,
250 bruma facis ferramenta,
nocte currus fabricaris,
die trahas tabulatas,
tu, procatum profecturus,
Aquilonem petiturus:
255 viri nunc versutiores,
meliores maturantes
domum ducunt tibi datam,
potiuntur tua sponsa,
quam biennium spectasti,
260 tres per annos petivisti.
Navigat iam Väinämöinen
caerulum per ponti fretum
in aurata navis puppi
tenens aereum temonem
265 Boream in tenebrosum,
Sariolam nebulosam.''

Faber premitur dolore,
artifex angore gravi:
decidit de vola forceps,
270 marcus labitur de manu.
Ait faber Ilmarinen:
''Annikki, germana mea!
Tibi radium incudam,
ducam anulos decoros,
275 binas, trinas vel inaures
zonulasque sex vel quinque:
blandum balneum calfiat,
mihi melleum lavacrum,
tepidum tenellis lignis,
280 lignis parvulis pauxillis!
Fac et paululum saponis
liquefaciens lixivum,
abluam quo mihi caput
corporisque membra mundem
285 autumnali de squalore,
post labores hiemales!''

Annikki, puella casta,
furtim balneum paravit
ramulis defractis vento
290 sive fulmine deiectis.
Tulit lapides de ripa
ad fornacem balnearem,
aquas fonte de fecundo,
gurgite de scatebroso.
295 Fregit frondes de virgulto,

fascem veneris formavit,
virgas melleas mollivit
super mellea fornace.
Fecit liquidum lixivum
300 et saponem de medulla,
spumidum saponem fecit,
spumescentem, scintillantem,
sponsus caput quo lavaret,
membra corporis mundaret.

305 Ipse faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
virgini res exoptatas,
novas efficit inaures,
balneum cum calfiebat
310 lavacrumque parabatur;
porgit virgini, quod fecit.
Virgo verbis ita fatur:
"Iam lavacrum est paratum,
bonum balneum calfactum,
315 fasces fovi super furno,
virgas veneris mollivi.
Frater, bene balneato
aquis usus abundanter,
caput candeat ut linum,
320 vultus ut nivalis nitor!"

Inde faber Ilmarinen
ipse balneum intravit
atque bene balneavit
aquis artubus ablutis;
325 lavit oculos lucenter,
frontem autem florulente,
collum canduit ut ovum
membris omnibus mundatis.
Post lavacrum domum intrat
330 – intrat velut vir ignotus,
tota facie formosus,
genis geminis rubellus.
Inde verbis ita fatur:
"Annikki, germana mea!
335 Affer tunicam de lino,
vestes mihi meliores,
quibus corpus meum ornem
sponsam sponsus petiturus!"

Annikki, puella casta,
340 tulit tunicam de lino
ad tegendam nudam cutem
iam sudoribus sublatis;
attulit et strictas bracas,
quas consuerat creatrix,
345 ad mundata viri membra
mollia, nec ossuosa.
Fert et calcias decoras,
quas, dum virgo, mater fecit,
ad velanda viri crura,
350 suras admodum subtiles;
calceos fert bene factos,
bonas caligas externas
super calcias decoras,
mater nexit quas innupta.

355 Vestem caerulam apportat,
panno subrubro subsuto,
super tunicam subtilem,
illam puro lino factam;
inde laneam lacernam,
360 quadruplo munitam limbo,
super caerulum vestitum,
illum novum, nuper factum;
mille globulis mastrucam,
modis centum decoratam,
365 super laneam lacernam,
illam limbulo munitam;
adhuc cingulam apportat,
zonam auro variatam,
quam, innupta, mater nexit,
370 texuit comata virgo;
varias tum chirothecas,
digitalia decora,
apud Lappos laborata,

pulchris palmulis utenda;
375 inde galeam erectam
infert aureis cincinnis,
emerat quam pater olim,
virginem cum procaretur.

Ibi faber Ilmarinen
380 est vestitus, expeditus,
cinctus atque decoratus.
Suo famulo tum fatur:
''Iunge celerem caballum
ad variegatam traham,
385 ut ad iter proficiscar,
abeam in Aquilonem!''
Famulus his verbis fatur:
''Nos habemus sex caballos,
sex avenae comesores.
390 Quem ex eis equis iungam?''
Ait faber Ilmarinen:
''Sumas optimum equorum:
frenos inice caballo
fulvo, curru quem subiungas!
395 Tintinnabula sex ponas
velut caerulos cuculos,
concinant qui super arcu,
sonent rauce super loris,
videant ut me venustae,
400 virgines ut me mirentur!
Affer pellem huc ursinam,
in qua sedeam supinus,
affer alteram phocinam,
qua tegatur currus cultus!''

405 Ille servus sempiternus,
mercennarius conductus,
frenos inicit caballo
fulvo, curru quem subiungit.
Tintinnabula sex ponit
410 velut caerulos cuculos,
concinant qui super arcu,
sonent rauce super loris.
Affert pellem et ursinam,
in qua sedeat patronus,
415 affert alteram phocinam,
qua tegatur currus cultus.

Ipse faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
sic Ukkonem apprecatur,
420 venerandum veneratur:
''Mittas, Ukko, novam nivem,
vellus spargito subtile,
nivem, traha qua labatur,
vellus ad velocem cursum!''
425 Ukko novam nivem misit,
fecit vellera delabi;
nix ericas terrae texit,
caules obruit bacarum.
Inde faber Ilmarinen
430 in ferrata traha sedit;
dixit denique hoc verbum,
hanc loquelam est locutus:
''Fer, Fortuna, has habenas,
Deus traheam intrato!
435 Sic habenae non rumpentur
neque trahea frangetur.''

Manu corripit habenas,
altera flagellum sumit;
quo cum equum excitavit,
440 verbum facit, ita fatur:
''Curre, capite stellate,
iuba candide, citatim!''
Vehitur veloci cursu
per marina sabuleta
445 freta transiens mellita,
colles consitos alnetis.
Ripas praeterit fragore
sabuleto consonante:
pulvis oculos opplevit,
450 pontus pectora respersit.

Vectus diem alterumque
tertiumque mox est vectus;
iamque tertio dierum
incidit in Väinämöinem.
455 Verbum facit, ita fatur,
loquitur et fabulatur:
''O vetuste Väinämöinen!
Rite reconciliemur,
si de femina certemus,
460 unam virginem procemur:
virgo vi non potest duci,
ut invita viro nubat.''
Ait vetus Väinämöinen:
''Reconcilior nunc tecum:
465 virgo vi non potest duci,
ut invita viro nubat.
Illi virgo debet dari,
nubere cui velit ipsa,
aegritudine dimissa,
470 sine longa simultate.''

Inde perrexerunt ire,
via sua vir uterque:
navis it sonante ripa,
equus it tremente terra.
475 Transit temporis momentum,
interest haud longa mora.
Iam latrabat canis canus,
custos catulus castelli,
tenebris in Aquilonis,
480 nebulis Sariolanis;
primo languide latrabat,
aliquando murmurabat
sedens in extremo prato,
caudam atterens ad terram.

485 Ait erus Aquilonis:
''I, puella, prospectatum,
quidnam baubet canis canus,
aures pendulus allatret!''
Virgo vafre responsavit:
490 ''Pater care, nunc non vaco:
magnum stabulum mundandum,
pecus magnum est tuendum,
magnis molis est molendum,
far subtile subcernendum,
495 molis magnis far subtile,
parvis viribus molentis.''

Lente latrat canis custos,
tarde murmurat canutus.
Ait erus Aquilonis:
500 ''Vade, vetula, spectatum,
quidnam allatret alanus,
quid castelli flaccus custos!''
Anus verbis ita fatur:
''Neque vaco neque volo:
505 est familia cibanda,
prandium est praeparandum,
panis crassus percoquendus,
massa manibus fingenda;
panis crassus farre trito
510 parvis viribus pistricis.''

Ait erus Aquilonis:
''Semper feminae festinant,
semper properant puellae,
– et cum sedent apud furnum
515 vel in lecto sunt supinae.
Ito, puer, prospectatum!''
Puer verbis ita fatur:
''Nunc non vaco prospectare:
est securis acuenda,
520 truncus crassus est caedendus,
strues magna minuenda,
parva ligna sunt struenda;
strues magna, ligna parva,
parvis viribus structoris.''

525 Usque latrat canus canis,
fremit catulus castelli,
male murmurat molossus,

ululat lucorum custos
nisus natibus in prato,
530 cauda sua sursum torta.
Ait erus Aquilonis:
"Non in cassum latrat canis,
vetulus non fremit frustra
nec vociferatur vana."
535 Iit ipse prospectatum.
Aream transgressus pergit
in confinium agrorum,
angiportum in extremum.

Spectat, canis os quo monstrat,
540 nasum sequitur sagacem
ultra verticem ventosum,
collem consitum alnetis.
Vidit certam veritatem,
quid creparet canis canus,
545 quid electus elatraret,
vigil fremeret villosus:
ratis rubra navigabat
citra Sinum Amatorum,
traha varia currebat
550 ultra Nemora Mellita.

Erus Aquilonis ipse
mox in atrium intravit,
sese contulit sub tecta;
verbum facit, ita fatur:
555 "Hospites iam sunt venturi
caeruli per freta ponti:
traha varia movetur
ultra Nemora Mellita,
navi magna navigatur
560 citra Sinum Amatorum."

Ait anus Aquilonis:
"Unde sortes sunt ducendae
de hospitibus venturis?
Mea servula pusilla!
565 Pone sorbum super foco,
lignum optimum in igne!
Si manaverit cruore,
bellum nobis imminebit;
si manaverit liquore,
570 semper erimus in pace."

Serva parva Borealis,
virgo humilis, ancilla,
sorbum posuit in foco,
lignum optimum in igne;
575 neque sanguine manavit,
neque sanguine nec aqua:
coepit sucus demanare,
nectar dulce destillare.
Ait quaedam in recessu
580 vetus femina sub veste:
"Cum de ligno sucus manat,
nectar dulce cum destillat,
quotquot hospites adventant,
tot sunt viri procaturi."

585 Dein era Borealis,
anus, nata comitante,
iam ex aedibus egressa
foras venit festinanter
oculis in fretum flexis,
590 capite sub solem verso.
Vidit ibi venientem,
novam navem navigantem,
centum axibus aptatam
citra Sinum Amatorum;
595 ratis rubra videbatur
russo rutilans colore;
purus erat vir in puppi
tenens aereum temonem.
Vidit equum procurrentem,
600 traham rubram prolabentem,
variatam provolantem
ultra Nemora Mellita
cum sex aureis cuculis
cuculantibus in arcu,

605 avibus septenis glaucis
cantitantibus in loris;
vir superbus, resupinus
frenos manibus regebat.

Ait anus Aquilonis,
610 verbum facit, ita fatur:
''Utrum praeferes eorum,
cum te venient petitum,
ut amica sis aeterna
et sub ala fovearis?
615 Is, qui venit nave vectus,
navigat rubella rate
citra Sinum Amatorum,
est vetustus Väinämöinen,
qui res bonas rate portat,
620 suis trabibus thesauros.
At qui venit traha tractus,
curru vario procurrit
ultra Nemora Mellita,
is est faber Ilmarinen:
625 vanas portat res mendaces,
traham plenam loquelarum.
Cum in atrium est ventum,
sucum poculo portato,
affer amphora diota;
630 porge potum ei viro,
nubere cui vis eorum!
Väinölensi seni dato,
qui fert bonas res in rate,
suis trabibus thesauros!''

635 Pulchra virgo Borealis
ita dicere sciebat:
''Mater, quae me peperisti,
edidisti, procreatrix!
Non requiro bonam sortem
640 nec astutiam mariti,
sed requiro bonam frontem,
pulchritudinem staturae.
Neque virgines solebant
olim opibus vēnire;
645 virgo debet dari gratis
Ilmarini, viro fabro,
qui Samponem fabricavit,
variavit firmamentum.''

Ait anus Aquilonis:
650 ''O puellulam pusillam!
Sumis fabrum Ilmarinem,
ut succurras sudabundo,
abluas ut atras vestes,
laves caput carbonari!''
655 Ad haec filia respondet,
verbum facit, ita fatur:
''Senem Väinölae non sumo,
ut seniculo succurram:
vetus fieret molestus,
660 vir grandaevus taediosus.''

Tum vetustus Väinämöinen,
primus procus, iam pervenit.
Nave rubra navigavit,
ratem appulit rubentem
665 in cylindros chalybeios,
stabilem in stationem;
dein atrium ingressus
sese contulit sub tecta.
Ibi stans in pavimento,
670 apud ostium, sub tigno,
verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
''Fisne, virgo, mihi nupta
et amica sempiterna,
675 coniux mihi semper iuncta,
ut sub ala fovearis?''

Virgo pulchra Borealis
ipsa dicere maturat:
''Iamne scapham exsculpsisti,
680 magnam navem fabricasti
ex fragmentis mei fusi,

pectinis ex parvis frustis?"
Ait vetus Väinämöinen,
loquitur et ita fatur:
685 "Bonam navem fabricavi,
sculpsi scaphulam tenacem,
vento prospero robustam
et adverso vento tutam
ad sulcandas maris undas,
690 naviganda magna freta:
elevat se sicut bulla,
natat veluti nymphaea
aquas trans Aquilonales,
per spumantes maris undas."

695 Pulchra virgo Borealis
verbum facit, ita fatur:
"Virum navitam non laudo,
hominem, qui sulcat undas:
aura maris aufert mentem,
700 flatus cerebrum corrumpit.
Equidem venire nolo,
mihi displicet venire,
ut amica sim aeterna,
fovear ut tuis alis,
705 lectulum ut tibi sternam
cervicaliaque ponam."

CANTIO XIX

Inde faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
iam in atrium ingressus
subiit sublime tectum.
5 Est portatus suci potus,
scyphus nectaris allatus
Ilmarini, viro fabro.
Ille verbis ita fatur:
"Numquam, tempore nec ullo,
10 lunae lumine lucente,
ante bibam haec bibenda,
viderim quam meam caram,
an dilecta sit parata,
iam parata diligenda."

15 Anus autem Aquilonis
verbum facit, ita fatur:
"Multum restat et laboris
in dilecta diligenda:
unus pes excalceatus,
20 alter quoque calceandus.
Erit tum dilecta prompta,
quam uxorem rite ducas,
cum araveris sic agrum
feris viperis scatentem,
25 ut aratrum non exsurgat
neque vomer contremiscat.
Quem aravit quondam Hiisi,
Lempo scilicet sulcavit
cum vomeribus aeratis
30 et ardentibus aratris;
meus filius misellus
intermisit perarare."

Inde faber Ilmarinen
it in virginis conclave.
35 Ibi verbis ita fatur:
"Virgo noctis tenebrarum!
Recordaris illud tempus,
cum Samponem variavi,
firmamentum figuravi?
40 Ius iurandum iuravisti
coram Deo Creatore,
apud os omnipotentis,
te pollicita futuram
esse mihi, viro bono,
45 in perpetuum amicam,
pullum, alis quem foverem:
mater nunc non vult te dare,
mihi filiam non tradit,
nisi sit aratus ager,
50 scatens colubris conversus."

Fert auxilium amica,
cum consilium dat viro:
"Heus tu, faber Ilmarinen,
malleator sempiterne!
55 Fac aratrum deauratum,
argentatum adornato!
Eo colubris scatentem
agrum vertes viperinum."
Ille faber Ilmarinen
60 aurum intulit in ignem,
in caminum et argentum,

unde fabricat aratrum.
Cudit calceos ferratos
ocreasque chalybeias,
65 quibus bene calceatur,
ambit apte sua crura;
se lorica loricavit,
zonis ferreis munivit,
sumpsit manicas ferratas
70 saxeasque chirothecas.
Equo fervido parato,
optimo caballo capto,
exit agrum exaratum,
solum vomere sulcatum.

75 Vidit capita scatere,
calvas sensit sibilare.
Has loquelas est locutus:
"Serpens, Dei creatura!
Quis erexit tuum rostrum,
80 quis mandavit monuitque,
ut teneres caput tentum,
collum rigidum sublatum?
Nunc decedito de via,
serpe siccas inter herbas,
85 inter frutices intrato,
gradiaris inter gramen!
Unde caput elevatum
utinam confringat Ukko
suis acribus sagittis,
90 imbre ferreo suffuso!"

Arat agrum viperinum,
terram colubris scatentem,
viperas e sulcis sumit,
vermes vertit super terram.
95 Ait, inde cum venisset:
"Iam aravi dirum arvum,
terram colubris scatentem,
agrum verti viperinum.
Iam promittitur puella,
100 datur unica dilecta?"

Aquilonis anus illa
verbum facit, ita fatur:
"Virgo dabitur tum demum,
hinc puella promittetur
105 apportato Mortis urso
domitoque lupo Leti
illinc, ex Inferna silva,
Mortis sedibus ex imis.
Multi domitum ierunt,
110 nemo rursus est reversus."

Inde faber Ilmarinen
it in virginis conclave.
Verbum facit, ita fatur:
"Mihi hoc est imperatum:
115 ut domarem lupos Leti,
apportarem ursos Mortis
illinc, ex Inferna silva,
Mortis sedibus ex imis."
Fert auxilium amica,
120 cum consilium dat viro:
"Heus tu, faber Ilmarinen,
malleator sempiterne!
Frenos facias ex ferro
et capistrum chalybeium
125 super saxo litorali,
apud amnes tres torrentes!
Illis duces ursos Mortis
et domabis lupos Leti."

Inde faber Ilmarinen,
130 malleator sempiternus,
frenos efficit ex ferro
et capistrum chalybeium
super saxo litorali,
apud amnes tres torrentes.
135 Exit, feras ut domaret;
verbis fere his profatur:
"Virgo, nympha nebulosa!
Cribro nebulam cribrato,
ventilabro fer vaporem

140 sic in semitas ferarum,
ut non possint me sentire
neque fugiant venturum!"

Lupum frenis temperavit,
ursum ferrea catena
145 in desertis Inferorum
silva caerula vestitis.
Ait, inde cum venisset:
"Anus, filiam afferto!
Iam portavi Mortis ursum
150 domuique lupum Leti."
Anus autem Aquilonis
verbum facit, ita fatur:
"Avis dabitur tum demum,
tibi fulica feretur
155 capto lucio squamoso,
magno mobilique pisce
ex opaco Mortis amne,
de profundis Inferorum,
nullis tragulis extractis,
160 nullis retibus praetentis.
Multi captum exierunt,
nemo rursus est reversus."

Animo iam angebatur
graviusque gravabatur.
165 It in virginis conclave,
ubi verbis ita fatur:
"Mihi hoc est imperatum,
difficilius priore,
piscem capere squamosum,
170 magnum mobilem esocem
ex opaco Mortis amne,
Leti rivo sempiterno,
sine reti vel sagena,
nullis prorsus instrumentis."
175 Fert auxilium amica,
cum consilium dat viro:
"Heus tu, faber Ilmarinen!
Tu nequaquam perturberis!
Aquilam ardentem cude,
180 fac falconem flammigantem!
Ita capies squamosum,
magnum mobilemque piscem
ex opaco Mortis amne,
de profundis Inferorum."

185 Ille faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
cudit aquilam ardentem,
facit flammeum falconem;
ungues ferreos formavit,
190 pedes ponit chalybeios,
navis latera pro pinnis.
Surgit ipse super alas,
super dorso sedem sumit,
umeris in aquilinis.
195 Dein aquilae suadebat,
sic hortatus est falconem:
"Ales, aquila dilecta!
Quo te iubeo, volato:
ad opacum Mortis amnem,
200 Inferorum in profunda!
Feri lucium squamosum,
magnum mobilemque piscem!"

Ales, aquila decora,
pinnis nisa pervagatur;
205 volat lucium captatum,
dentes dirum appetitum
ad opacum Mortis amnem,
Inferorum in profunda.
Aquam ala tangit una,
210 polum altera praestringit,
ungues findunt freta ponti,
rostro scopuli raduntur.
Inde faber Ilmarinen
est profectus exploratum
215 amnem illum Inferorum
aquila custodiente.
Monstrum maris est emersum,

Ilmarinem apprehendit.
Irruens in collum monstri
220 ales eius caput torquet
idque calcat contra fundum,
versus limum lutulentum.

Mortis lucius iam venit,
aquae canis, se contorquens.
225 Non est ille nimis parvus
neque lucius permagnus:
asciis par binis lingua,
dentes sunt ut rastri lignum,
rictus aequat tres torrentes,
230 dorsum vero septem scaphas.
Fabrum voluit ferire,
Ilmarinem devorare.
Aquila tum venit volans,
alas movens ales alta.
235 Non est aquila perparva
neque prorsus nimis magna:
os est latum centum passus,
rictus aequat sex torrentes,
lingua longa par sex hastis,
240 ungues sunt ut quinque falces.
Vidit lucium squamosum,
magnum mobilemque piscem;
facit impetum in piscem,
ferit contra squamas eius.

245 Ille lucius squamosus,
magnus mobilisque piscis,
pedem alitis depressit
subter limpidos liquores.
Aquila sed se levavit
250 et in aëra surrexit:
traxit limum lutulentum
super limpidos liquores.
Huc et illuc volitabat;
denuoque vult temptare.
255 Unum unguium infixit
in immanis piscis armos,
scapulas aquarum canis;
unguem alterum infixit
chalybeium in collem,
260 ferream in montis molem.
Unguis petra repercussus
resilit ab illa rupe:
lucius iam subit aquam,
esox effugit aqualis
265 unguibus ex aquilinis,
pedis digitis falconis,
– signa unguis sunt in costis
et in scapulis scissurae.

Ales unguibus ferratis
270 vires denuo tetendit;
alae fulgent velut flammae,
oculi sunt sicut ignes:
ungue lucium captavit,
pedibus aquarum canem.
275 Prompsit lucium squamosum,
piscis magnam molem traxit
amnis undis ex profundis
super limpidos liquores.
Ales unguibus ferratis
280 ita tertio temptatu
Mortis lucium captavit,
magnum mobilemque piscem
ex opaco Mortis amne,
de profundis Inferorum:
285 aqua non videtur aqua
propter squamas magni piscis,
aër aëre non olet
propter pinnas aquilinas.

Ales unguibus ferratis
290 inde lucium squamosum
in glandiferam fert quercum,
arboris in altum ramum.
Ibi viscera gustavit
ventre lucii dissecto
295 et praecordiis discerptis,

piscis capite conciso.
Ait faber Ilmarinen:
"Ales misera, vae tibi!
Quisnam tu sis aquilarum,
300 qualis denique ferarum,
cum abdomen gustavisti
ventre lucii dissecto
et praecordiis discerptis,
piscis capite deciso!"
305 Ales unguibus ferratis
aegre tulit ea verba.
Surgit in supernas auras,
in extremam nubis oram:
nubes nutant, caelum gemit
310 vacillatque firmamentum,
arcus rumpitur Ukkonis
lunae cornibus confractis.

Inde faber Ilmarinen
caput piscis deportavit,
315 socrui quod daret dono.
Verbum facit, ita fatur:
"Ecce sella sempiterna
atrium in Aquilonis!"
Inde facit illa verba,
320 ita fatus fabulatur:
"Iam aravi dirum arvum,
terras viperinas verti
domuique lupos Leti,
ursos vinculis constrinxi;
325 cepi lucium squamosum,
magnum mobilemque piscem
ex opaco Mortis amne,
Inferorum de profundis.
Iamne datur mihi virgo,
330 iam promittitur puella?"

Ait anus Aquilonis:
"Male quidem id fecisti,
cum sic capite deciso,
ventre lucii dissecto
335 et praecordiis discerptis
piscis viscera gustasti."
Faber autem Ilmarinen
inde verbis ita fatur:
"Numquam datur sine damno
340 optimis de locis praeda,
nedum ex opaca Morte,
de profundis Inferorum.
Iam dilecta sit parata,
iam parata diligenda?"

345 Ait anus Aquilonis,
verba facit ita fata:
"Est dilecta nunc parata,
iam parata diligenda!
Avis mea nunc est danda,
350 tibi fulica ferenda,
Ilmarini, viro fabro,
sedeat quae semper tecum,
vitam vivat tibi iuncta,
foveas quam tuis alis."

355 Parvulus in pavimento
puer cecinit his verbis:
"Iam advenit ad has sedes,
ales in hanc arcem nostram.
Venit avis aquilonis
360 falco findens firmamentum;
ala ferit altas auras,
undas altera perstringit,
cauda verrit vada ponti,
caput fertur usque caelum.
365 Speculatur et versatur,
volitat, se librat vento.
Volat ad virorum arcem,
pulsat tectum suo rostro;
arx virorum ferro tecta –
370 eam nequiit intrare.

Speculatur et versatur,
volitat, se librat vento.

Petit arcem feminarum,
pulsat tectum suo rostro;
375 arx earum aere tecta –
eam nequiit intrare.
Speculatur et versatur,
volitat, se librat vento.
Volat virginum ad arcem,
380 pulsat tectum suo rostro;
virginum arx lino tecta –
eam potuit intrare!

De columna caminata
devolat ad culmen tecti;
385 arcis aperit fenestram,
sidit ipsa sub fenestra,
ad parietem pinnosus,
ad compagines tignorum.
Spectat virgines comatas,
390 capillatas perscrutatur
volens virginem praestantem,
crine maxime decoram,
candidissime gemmatam,
caput floribus ornatam.

395 Dein ales aquilinus
falco ferit arrepturus
sibi virginem praestantem,
fulcam maxime formosam,
nitidam et verecundam,
400 candidam et rubicundam.
Illam rapit almus ales,
avis unguibus aduncis,
celso capite decoram,
statu corporis proceram,
405 pennis penitus nitentem,
plumis pulchram et electam."

Dein anus Aquilonis
verbum facit, ita fatur:
"Unde scisti, sponse felix,
410 mālum aureum, audisti
hanc puellam pullulare,
albicrinem allevari?
Aurum virginis fulgebat
et argentum albicabat,
415 tibi noster sol splendebat,
luna nostra relucebat?"
Parvulus in pavimento
puer pullulans cantavit:
"Inde sciit sponsus felix,
420 viam vidit fortunatus
in puellae domum pulchram,
virginis in villam claram:
pater multum laudabatur,
quod habebat magnam navem,
425 mater autem eo magis,
quod coquebat crassum panem,
frumentarium fingebat,
bene hospitem tractabat.

Inde sciit sponsus felix,
430 inexpertus intellexit
eam educatam esse,
almam virginem adultam:
cum in aream venisset
et ad cellas ambularet,
435 multo mane, matutino,
oriente luce prima,
fumus ortus velut funis
et fuligo fugiebant
de puellae domo pulchra,
440 villa virginis crescentis;
ipsa virgo tum molebat,
ligno lapidis haerebat:
lignum canit ut cuculus,
axis lapidis ut auca,
445 ferrum velut avicella,
lapis more margaritae.

Illuc iterum advenit,
summum pratum peragrabat:
virgo campum galiorum

450 visit floribus decorum,
curat vestes colorandas,
in lebetibus tingendas.
Tertium cum advenisset,
ad fenestram ambulavit:
455 audit virginem texentem
pectinemque personantem:
ita radius ruebat,
ut maceriae mustela,
dentes pectinis pulsabant,
460 sicut picus pini truncum,
iugum ita versabatur,
ut in arbore sciurus."

Dein anus Aquilonis
verbum facit, ita fatur:
465 "Ecce tibi, mea virgo!
Nonne semper ita dixi:
cave gaudeas in silva,
cave cantes in convalle,
collum curvum ne nudato
470 neve brachii candorem
neve pectus iuvenile
vel formosam venustatem!
Per autumnum autumabam,
per aestatem aestimabam,
475 veris tempora velocis,
cum sementen faceremus:
latibulum faciamus
parvis abditis fenestris,
ubi virgo telam texat
480 sic staminibus quaternis,
ut non audiant procantes
viri Finni, te petentes!"

Loquitur in pavimento
infans quindecim dierum:
485 "Facile caballum celes,
occulas saetosum equum;
male virginem abscondas,
celes crinibus decoram.
Arcem saxeam fecisses
490 maris aequore munitam,
ubi teneras teneres,
pullos tuos educares;
non puellae latitarent
neque crescerent innuptae,
495 quin venirent petitores,
petitores et procantes,
viri galeis cristatis,
ungulis ferratis equi."

At vetustus Väinämöinen
500 corde maestus, aeger mente,
domum rursus reversurus
verbum facit, ita fatur:
"Vetulo vae mihi viro,
qui non illud intellexi,
505 iam aetate iuvenili
matrimonio coniungi!
Eum quidvis paenitebit,
quem id, quod uxorem duxit
filiosque generavit
510 iuvenis in iuventute."
Ibi vetat Väinämöinen,
praemonet Suvantolanus,
ne quis vetus iuvenilem
velit ducere decoram;
515 vetat ne vir natet ferox
neve remiget superbus
sibi virginem petitum
aemulans cum iuniore.

CANTIO XX

Quodnam carmen nunc cantemus,
quales versus provolvamus?
Illud carmen concinemus,
tales versus provolvemus:
5 epulas Aquilonales
et convivium divinum.
Diu nuptias parabant,
apparatus adornabant
atriis in Aquilonis,
10 sedibus Sariolanis.
Quidnam illuc portabatur,
quales res apparabantur
in has epulas longinquas
et convivium multorum,
15 quibus vulgus aleretur,
magnus coetus cibaretur?

In Carelia bos crescit,
taurus nitidus in Finnis;
non est magnus neque parvus,
20 vere vitulus est ille!
In Tavastis movet caudam,
caput apud flumen Kemi;
cornu passuum est centum,
rostrum centum quinquaginta.
25 Septimanam se mustela
movet loco numellarum;
diem volitat hirundo
inter cornua taurina
aegre veniens ad metam,
30 volans cum non requiescit;
et sciurus mensem currit
de cervicibus ad caudam
neque pervenit ad metam
ante finem primi mensis.

35 Ille vitulus lascivus,
taurus ferus Finlandensis,
de Carelia deductus
est in agrum Aquilonis.
Centum cornua tenebant,
40 viri mille rostrum eius,
taurus cum adduceretur
gressibus a viris rectis.
Taurus lente spatiatur
ad Sariolanum fretum,
45 fenis pascitur paludis
– tergum nubila tangebat.
Nec est lanius repertus,
monstri maximi mactator
inter viros Aquilonis,
50 in eorum magna stirpe,
iuventute iuvenili
vel senili senectute.

Venit vetus peregrinus,
Virokannas vir Carelus.
55 Ille verbis ita fatur:
"Mane paulum, bos miselle,
donec veniam cum clava
feriamque meo fuste
calvam tuam, taure taeter:
60 alia iam non aestate
rostrum etiam rotabis

nec torquebis tuos nares
in his pascuis extremis,
ad Sariolanum fretum!"
65 Senex fuit ferituras,
Virokannas mactaturus
taurum Palvoine tenente.
At cum taurus caput movit,
nigros oculos obvertit,
70 senex irruit in silvam,
Virokannas, in virgetum,
inter salices Palvoinen!

Lanius requirebatur,
qui domaret dirum taurum,
75 per Careliam amoenam,
amplos agros Finlandenses,
terram teneram Russorum,
terram Sueciam superbam,
per Lapponum latos fines,
80 Turjae patriam potentem;
petebatur apud Mortem,
apud Inferos, in terra.
Est petitus, non inventus,
requisitus, non repertus.
85 Lanius requirebatur,
spectabatur, si quis esset
in extenso maris aestu,
inter aquas ampliores.

Mas e mari surgit fuscus,
90 heros undis exaltatur,
ex aequoribus extensis,
fretis altis et apertis.
Non est maximus mas ille
neque minimus virorum:
95 scypho capitur supinus
vel sub cribro stans erectus.
Erat digitis ferratis
senex ferreus aspectu,
caput saxo galeatus,
100 pedes saxis soleatus;
cultrum aureum tenebat
aere manico distincto.

Ita lanium invenit
repperitque percussorem,
105 taurus Finnus domitorem,
magnus suum mactatorem.
Ubi senex praedam vidit,
ferit collum festinanter:
quam procumbere coegit
110 latere per terram lapso.
Erat eius praeda magna?
Non est eius praeda magna:
carnium sunt centum tina,
passus tot tomaculorum,
115 sanguinis sunt septem lintres,
adipis sex cupae grandes
epulas ad Aquilonis,
in Sariolae saginas.

Atrium in Aquilone
120 factum erat spatiosum:
novem fere passus longum,
septem vero passus latum.
Gallus concinens sub tecto
non auditur usque terram;
125 canis latrans in posticis
non auditur in anticis.
Aquilonis anus illa
spatians in pavimento
solo medio movetur.
130 Cogitat et meditatur:
"Unde zythum faciamus,
potum rite comparemus
ad has nuptias parandas,
ad convivium habendum?
135 Nescio, quo zythum fiat,
seu cervisiae natales."

Erat senex super furno.
Ait senex super furno:

"Zythum hordeis est natum,
140 lupulo praeclarus potus,
sed non oritur orbatus
aquis atque feris flammis.
Lupulus Rumore natus
infans est iniectus terrae,
145 serpentinus seminatus,
terra tectus, ut urtica,
iuxta fontem Kalevensem,
agrum ultimum Osmonis.
Surgit plantula novella,
150 virga virens exaltatur;
mox arbusculam ascendit
surgens ad cacumen usque.

Hordeum a Forte satum
in Osmonis agro summo
155 elevatur eleganter;
ibi surgit satis bene
in Osmonis agro summo,
arvo viri Kalevensis.
Brevi tempore peracto
160 clamat lupulus de ramis,
hordeum ab agro summo,
aqua Kalevae de fonte:
'Quando nos inuniemus
invicemque coniungemus?
165 Soli vivunt tristiores,
iuncti sunt beatiores.'

Osmotar, origo zythi,
Kapo, coqua potionum,
sumpsit hordei granella,
170 hordeacea sex grana,
spicas lupuli septenas,
octo cyathos aquarum.
Ollis positis in igne
coepit coquere coquenda.
175 Hordeaceum humorem
coxit diem aestivalem
in opaca longa lingua,
insula sub nebulosa,
lintrem ligneam ut pleret,
180 tinum de betulla factum.
Sic cervisia concocta
non est adhuc fermentata.
Cogitat et meditatur,
verbum facit, ita fatur:
185 'Quidnam ad haec apportetur
atque quid provideatur,
ut cervisia fervescat,
fermentetur felix potus?'

Kalevatar, virgo pulchra,
190 suis digitis decora,
semper pedibus est pernix,
agilis in ambulando;
spatians in pavimento
solo medio movetur
195 res diversas exsecuta
inter suas duas ollas.
Vidit surculum in terra,
sumpsit surculum de terra.
Quem spectabat et versabat:
200 'Quidnam fiat et ex isto
pulchris manibus Kaponis,
digitis decorae nymphae,
surculo Kaponi dato,
nymphae manibus mandato?'

205 Tulit surculum Kaponi,
nymphae manibus mandavit.
Kapo manibus duabus
virgam atterit ambabus
contra coxas suas ambas:
210 nascitur sciurus albus.
Nato nympha sic suadebat,
sic sciurulum docebat:
'O sciure, dulce decus,
dulcis flos et ornamentum!
215 Curre, quo te hortor ire,
quo te hortor moneoque:

Metsolam in silvam mitem,
in Tapiolam tranquillam!
In arbusculam ascende
220 parvam patulamque scite,
aquila ne te prehendat
neve capiat caelestis!
Conos affer abiegnos
et vaginulas pinorum;
225 quas Kaponi deportato
ad cervisiam coquendam!'

Ille currere sciebat
caudam hispidus sciurus,
iter longum incessanter,
230 sine mora permeare
saltus superans vel sequens
vel itinere transverso
Metsolam in silvam mitem,
in Tapiolam tranquillam.
235 Tres abietes aspexit
quattuorque parvas pinos;
scandit abietem paludis
atque pinulum tesquorum.
Nec est aquila prehensus,
240 captus alite caelesti.
Conos abietis collegit,
summos ramulos de pino.
Eos unguibus contexit,
cruribus circumligavit;
245 mandat manibus Kaponis,
digitis decorae nymphae.
Kapo posuit in potu,
Osmotar in suo zytho:
nec acescere vult zythum,
250 novus potus non tumescit.

Osmotar, origo zythi,
Kapo, coqua potionum,
semper secum cogitabat:
'Quidnam ad haec apportetur,
255 ut cervisia fervescat,
fermentetur felix potus?'
Kalevatar, virgo pulchra,
suis digitis decora,
semper pedibus est pernix,
260 agilis in ambulando;
spatians in pavimento
solo medio movetur
res diversas exsecuta
inter suas duas ollas.
265 Vidit assulam in terra,
sumpsit assulam de terra.
Quam spectabat et versabat:
'Quidnam fiat et ex ista
pulchris manibus Kaponis,
270 digitis decorae nymphae,
assula Kaponi data,
nymphae manibus mandata?'

Tulit assulam Kaponi,
nymphae manibus mandavit.
275 Kapo manibus duabus
terit assulam ambabus
contra coxas suas ambas:
fit aurata pectus martes.
Marti nympha sic suadebat,
280 pupulae praecipiebat:
'Mea martes, o dilecta,
pulchra, pelle pretiosa!
Ito, quo te hortor ire,
quo te hortor moneoque:
285 pete lustrum lapidosum,
sedem ursuli silvestris,
ubi proeliantes ursi
vitam degunt duriorem!
Lege digitis fermentum,
290 ungue spumeam salivam;
quam Kaponi deportato,
Osmotari mox offerto!'

Martes currere sciebat,
pectus pulchra properare.

295 Iter longum incessanter,
sine mora permeavit
flumen superans vel sequens
vel itinere transverso,
petens lustrum lapidosum,
300 ursi saxeam speluncam.
Ubi proeliantes ursi
vitam degunt duriorem
collem ferreum colentes
in metallicis montanis.
305 Effluit ex ore spuma,
ursi faucibus fermentum:
ungue spumeam salivam,
digitis fermentum legit;
apportavit id Kaponi,
310 nymphae manibus mandavit.
Illud Osmotar in zythum,
intulit in potum Kapo:
nec acescere vult zythum,
sucus fortium fervere.

315 Osmotar, origo zythi,
Kapo, coqua potionum,
semper secum cogitabat:
'Quidnam ad haec apportetur,
ut cervisia fervescat,
320 fermentetur felix potus?'
Kalevatar, virgo pulchra,
suis digitis decora,
semper pedibus est pernix,
agilis in ambulando;
325 spatians in pavimento
solo medio movetur
res diversas exsecuta
inter suas duas ollas.
Vidit siliquam in terra,
330 sumpsit siliquam de terra.
Quam spectabat et versabat:
'Quidnam fiat et ex ista
pulchris manibus Kaponis,
digitis decorae nymphae,
335 siliqua Kaponi data,
nymphae manibus mandata?'

Tulit siliquam Kaponi,
nymphae manibus mandavit.
Kapo manibus duabus
340 terit siliquam ambabus
contra coxas suas ambas:
apis nascitur ex ea.
Nympha volucri suadebat,
api sic praecipiebat:
345 'Apis, velox avicella,
tu quae regnas prati flores!
Vola, quo te hortor ire,
quo te hortor moneoque:
insulam in alto sitam
350 pete, scopulum marinum!
Obdormivit ibi virgo,
cincta cingulis aeratis,
fenum femore mellitum,
sinu ferens fenum dulce.
355 Affer nectar tuis alis,
porta pallio liquorem
gramine de gratioso,
floris calyce florentis;
quem Kaponi deportato,
360 Osmotari mox offerto!'

Apis, velox avicella,
properanter provolavit.
Iter longum incessanter,
sine mora permeavit
365 salum superans vel sequens
vel itinere transverso,
insulam in alto sitam
petens, scopulum marinum.
Vidit virginem sopitam,
370 pectus stagno decoratam,
in ignotis illis pratis,
ad amoenum, dulcem agrum:
fenum aureum ad femur,

zona fertur argentatum.
375 Alas nectare submersit,
pinnas liquido liquore
super spicula subtili,
calyce florentis floris;
nectar attulit Kaponi,
380 nymphae manibus mandavit.

Osmotar in suo zytho,
Kapo posuit in potu:
iam acescere vult zythum,
novus potus iam tumescit
385 in his lintribus novellis,
tinis de betulla factis;
ferbuit ad ansas lintris,
super margines surrexit
terram ipsam imbuturus,
390 pavimentum petiturus.
Transit temporis momentum,
interest haud longa mora.
Viri bibitum venerunt,
imprimisque Lemminkäinen:
395 potat Insulanus Ahti,
Kauko, scurra rubicundus,
potum bonum Osmotaris,
zythum nymphae Kalevensis.
Osmotar, origo zythi,
400 Kapo, coqua potionum,
ibi verbis ita fatur:
'Vae his miseris diebus,
cum concoxi malum zythum,
feci potum importunum:
405 lintrem linquens tumefactus
labitur per pavimentum!'

Avis arboris rubella,
turdus cecinit sub tecto:
'Non est potus is malignus,
410 immo potus est benignus;
est in cupas hauriendus
et in cellam deferendus
cupis querneis completis,
cinctis circulis aeratis.'
415 Fuit haec origo zythi,
ortus potus Kalevensis;
inde laudem acquisivit,
inde gloriam ingentem,
quod benignus erat potus,
420 bona potio modestis:
fecit feminas ridentes,
viros animo gaudentes,
sapientes saltitantes
et insanos delirantes."

425 Dein anus Aquilonis
his natalibus auditis
parat magnum aquae tinum,
semiplenam novam lintrem,
hordeorum quantum satis
430 atque spicas lupulorum.
Coepit zythum concinnare,
fortem potum temperare
in his lintribus novellis,
tinis de betulla factis.
435 Lapidibus calefactis
aqua coquitur abunde
lignis saltuum combustis,
aquis fontium exhaustis:
arbores iam erant rarae,
440 fontis aqua deminuta,
cum sic zythum coqueretur,
potio cum pararetur
epulas ad Aquilonis,
ad convivium multorum.

445 Fumat insula de flammis,
ignis ardet apud fretum.
Fumus surgit satis spissus,
vapor volvitur in auras
ex ferocibus his focis,
450 ex his ignibus immensis:
velat partem Aquilonis,

cunctos Carelos occaecat.
Omne vulgus observabat,
observabat curiose:
455 "Unde venit ille fumus,
unde volvitur in auras?
Minor est quam fumus belli,
maior paret quam pastoris."

Mater illa Lemminkäinis
460 prima luce, multo mane,
it ad fontem ad aquandum;
videt illum spissum fumum
partibus in Aquilonis.
Verbum facit, ita fatur:
465 "Illi bellici sunt fumi,
prorsus ignes proeliorum!"
Insulanus autem Ahti,
Kaukomieli, homo bellus,
speculatur et versatur.
470 Cogitat et meditatur:
"Forsan vadam ad videndum,
ad spectandum de propinquo,
unde veniat is fumus,
vapor aërem obscurans,
475 sitne forsan fumus belli,
ignis ille proeliorum."

Kauko vasit, ut videret,
unde fumus oreretur:
fumus bellicus non erat
480 neque proeliorum ignis;
erat ignis potionum
ad cervisiam coquendam,
ad Sariolanum fretum,
sub paeninsula perlonga.
485 Ibi Kauko speculatur,
oculis observat limis,
limis oculis, perversis,
ore paululum distorto.
Dicit demum, dum tuetur,
490 loquitur haec ultra fretum:
"Socrus mea, mihi cara,
anus alma Borealis!
Fac cervisiam praestantem,
coque bonas potiones,
495 combibat quas coetus grandis
imprimisque Lemminkäinen
nuptiis in suis illis
cum tenella tua nata!"

Est cervisia parata,
500 viris potio potanda.
Inde fertur zythum rubrum,
pulchra potio portatur,
ut sub terra requiescat
in lapidea conclavi,
505 in doliolis quercinis,
tappis aereis occlusis.
Dein anus Aquilonis
coepit coquere coquenda,
ollas fecit ebullire
510 et sartagines saltare.
Inde coxit grandes panes,
massam manibus definxit
ad alendam bonam turbam,
magnum coetum ad cibandum
515 epulis in Aquilonis,
in convivio virorum.

Iam percoxit omnes panes,
massas manibus definxit.
Transit temporis momentum,
520 interest haud longa mora:
zythum bulliens in bota
ait, aestuans in cella:
"Utinam iam bonus bibo,
meus potor, sit paratus,
525 qui sit idem verus vates,
cantor carminum probatus!"
Citharoedus quaerebatur,
cantor carminum probatus,
optimus qui vates esset

530 et versificus venustus:
salmo captus est ad cantum,
lucius in locum vatis.
At non salmo sapit cantum
neque lucius loquelas:
535 malae molles sunt salmoni,
dentes lucio dispersi.

Citharoedus quaerebatur,
cantor carminum probatus,
optimus qui vates esset
540 et versificus venustus:
infans factus est cantator,
puer parvulus portatus.
At non puer est peritus
neque sapit salivosus:
545 futilis est vox infantis,
linguae rigida loquela.
Zythum rubrum minitatur,
imprecatur novus potus
in doliolis quercinis,
550 tappis aereis occlusis:
''Si non erit mox paratus
cantor carminum probatus,
qui sit idem verus vates
et versificus venustus,
555 meis circulis confractis
fundum foras calcitrabo!''

Dein anus Aquilonis,
hospites ut invitaret,
misit nuntios vagatum.
560 Ipsa verbis ita fatur:
''O tu servula pusilla,
mea verna sempiterna!
Vulgus convoca virorum,
multitudinem ad festum!
565 Voca caecos, voca claudos,
miseros, mendicos quoque,
debiles et membris mancos!
Caecos remigans adducas,
claudos equis insidentes,
570 debiles in traha tractos!
Voca cunctos Boreales
atque cunctos Kalevenses,
voca vatem Väinämöinem,
cantor qui festorum fiat!
575 Ne vocetur Kaukomieli,
Insulanus unus Ahti!''

Illa servula pusilla
verbum facit, ita fatur:
''Qua re Kauko non vocatur,
580 Insulanus unus Ahti?''
Anus autem Borealis
verbis fere his respondit:
''Kaukomieli non vocatur,
vir lascivus Lemminkäinen,
585 quod est sane iurgiosus,
rapidissimus rixator;
et in nuptiis res turpes,
epulis res foedas fecit,
castas feminas compressit,
590 castis vestibus vestitas.''
Illa servula pusilla
verbum facit, ita fatur:
''Unde sciam, quis sit Kauko,
quem vocare praetermittam?
595 Domum Ahtis non cognovi
neque praedium Kaukonis.''

Ait anus Aquilonis,
verbum facit sic locuta:
''Bene noveris Kaukonem,
600 quis sit Insulanus Ahti:
colit insulam vir ille,
apud aquas Ahti scurra,
in latissimo recessu,
promunturio sub longo.''
605 Illa servula pusilla,
operaria conducta,
nuntium fert sex in partes,

immo vero partes octo.
Vocat cunctos Boreales
610 atque cunctos Kalevenses
et domesticos exiles,
famulos lacernis strictis.
Unus solus est is Ahti,
quem vocare praetermisit.

CANTIO XXI

Anus illa Borealis,
vetula Sariolana,
casu foris versabatur
operibus occupata.
5 Audit de palude flagra,
trahae crepitum de ripa.
Oculis in caurum fixis,
capite sub solem verso
cogitat et meditatur:
10 "Quae sit illa multitudo,
insidet quae meas ripas?
Militumne magna turba?"
Vasit, illud ut videret,
ut spectaret de propinquo:
15 militum non erat turba;
erat pompa nuptialis,
gener media caterva,
bono populo stipatus.

Anus Aquilonis ipsa,
20 vetula Sariolana,
generum cum cognovisset,
verbum facit, ita fatur:
"Ventum credidi sufflare,
struem ruere lignorum,
25 litus tundi maris undis,
glaream devolutari.
Vaseram, ut id viderem,
ut spectarem de propinquo;
neque ventus ibi flabat
30 nec ruebant ligna structa,
litora non murmurabant
nec arena volvebatur:
gener advenit cum suis,
cum ducentis appropinquat!
35 Unde generum discernam,
generum ex eius gente?
Gener cernitur ex gente
sicut prunus inter ligna,
inter virgas ilex celsa,
40 inter stellas luna plena.
Nigro vehitur caballo,
velut lupulo voraci
vel fortissimo falcone,
cito volucri ferretur;
45 sex aureolae sunt aves
super arcum argutantes,
septem caeruli cuculi
super lora cuculantes."

Vicus resonat rumore,
50 via strepitu temonum:
est in aream venturus,
cum propinquis in cohortem
gener media caterva,
bono populo stipatus;
55 ille non est inter primos
nec novissimus cunctorum.
"En, venite, viri, foras,
in cohortem, longiores,
resolutum equi lora
60 et ductaria desumptum
et depositum temones
generumque comitatum!"

Currit generi caballus
traha varia volante
65 per cohortem socrualem.
Ait anus Aquilonis:
''O domestice conducte,
noster famule formose!
Cape generi caballum,
70 capite stellatum solve
ex aëneo paratu,
stagneo de pectorali,
coriaceis de loris,
arcu ligneo trahali!
75 Deduc generi caballum,
manu bene moderare
tenens frenos sericatos
et capistrum argentatum,
ubi bene volutetur,
80 in areolam apertam,
novis nivibus velatam,
locum lacteo colore!
Equo generi da potum
de fonticulo propinquo,
85 qui scaturit suis aquis,
manat limpido liquore
sub abiete sublimi,
pino picea ramosa!

Equo generi da cibum
90 de sportella deaurata,
fiscinis ex aere factis:
purum hordeum cum pane,
coctum triticum aestivum
cum siligine contrita!
95 Equum generi duc inde
ad praesaepia postrema,
in supremum stabulorum,
angiportum in extremum!
Equum generi ligato
100 cum aureola catena
in anellum ferro factum,
in columnam betullinam!
Ante generi caballum
pone modium avenae,
105 alterum vaginularum,
glumas tertium frumenti!
Equum eius defricato
strigili sic eburato,
ut non pilus abrumpatur
110 neque saetula solvatur!
Tege generi caballum
argenteolo stramento,
strata veste deaurata
et ephippiis aeratis!

115 Vici pueri, palumbes!
Gener domum inducatur
sine petaso, crinitus,
manibus non manicatis!
Siste, generum ut spectem,
120 capiatur si conclavi
ostio non loco moto,
postibus non resolutis,
non transversula levata,
non liminibus demissis,
125 non pariete destructo,
imo tigno non sublato!
Neque capitur conclavi,
bonus sponsus nostro tecto
ostio non loco moto,
130 postibus non resolutis,
non transversula levata,
non liminibus demissis,
non pariete destructo,
imo tigno non sublato:
135 caput generi sublime,
altius frons exaltatur.

Transversaria leventur
capite non adaperto,
liminaque demittantur
140 talo calcei non tacta,
postes sponte declinentur,

fores ipsae patefiant,
cum est gener iam venturus,
bonus sponsus intraturus!
145 Deo gratias decoro,
gener est iam ingressurus!
Siste, videam ut domum,
ut inspiciam interna,
si sint mensae hic mundatae,
150 scamna si iam sint elauta,
pavimentum si purgatum,
si sit tersum tabulatum!

Dum inspicio hanc domum,
non iam illud recognosco,
155 quibus lignis sit constructa,
unde factum sit hoc tectum
et parietes erecti,
pavimentum unde pactum.
Latus ossibus est eris,
160 fundus ossibus tarandri,
frons est ossibus gulonis,
ovis osse trabs transversa.
Sunt cantherii de mālo,
pila lignis betullinis,
165 furni tabulae nymphaeis,
culmen squamulis cyprini.
Est subsellium ex ferro,
scamna tabulis Saxonum,
auro mensa variata,
170 pavimentum sericatum.
Focus factus est ex aere,
foci scamnum bonis petris,
furnus lapide marino,
lignis furni fundamentum."

175 Sponsus atrium ingressus
sese contulit sub tecta.
Verbum facit, ita fatur:
"Vos iubemus hic salvere,
sub hoc culmine sublimi,
180 sub hoc tecto specioso!"

Ait anus Aquilonis:
"Et tu salve, qui venisti
in hoc atrium angustum,
hanc humillimam in domum,
185 in hoc pineum conclave,
nidum pinulis constructum!

Mea serva, heus, ancilla,
mercennaria conducta!
Affer face mihi flammam,
190 taeda picea portato,
meum generum ut spectem,
oculos observem sponsi,
utrum glauci sint an rubri,
an albescant sicut linum!"
195 Illa servula pusilla,
mercennaria conducta,
flammam attulit in face,
taeda picea portavit.
"Facis flamma male stridet,
200 taedae fumus est tam ater,
polluat ut sponsi vultum,
foedet faciem decoram:
affer ignem in candela,
lumen cereo portato!"

205 Illa servula pusilla,
mercennaria conducta,
ignem attulit candela,
lumen cereo portavit.
Fumus candidus ex cera,
210 ignis clarus in candela
oculos illuminavit,
vultum generi lustravit.
"Eius oculos iam cerno:
non sunt glauci neque rubri
215 nec albescunt sicut linum;
at sunt albi, sicut spuma,
fulvi, sicut maris ulva,
sunt iucundi sicut iuncus.
Vici pueri, palumbes!

220 Generum hunc comitate
in sedilia maiora,
locos omnium supremos;
in parietem sit tergum,
facies in mensam fulvam
225 versus hospites vocatos,
contra turbam comissantem!"

Dein anus Aquilonis
omnes bene satiavit
praebens liquidum butyrum
230 et cremores lactis crassos
his convivis invitatis,
suo genero praesertim.
Erat in catillis salmo,
erat et suina caro
235 cum scutellis cumulatis,
patinis ad labra plenis,
quibus vulgus vesceretur
et generulus praesertim.
Ait anus Aquilonis:
240 "O tu servula pusilla!
Zythum poculo portato,
affer amphora diota
his convivis invitatis,
meo genero praesertim!"
245 Illa servula pusilla,
operaria conducta,
fecit scyphum circumferri,
quinque circulis ornatum,
barbas lupulo lavari,
250 spumis barbas dealbari
horum hospitum bonorum,
barbam generi praesertim.

Zythum qualem vim habebat
quinque circulis inclusum,
255 nunc praesente cantatore,
vate vero peritoque?
Adest vetus Väinämöinen,
auctor versuum aeternus,
carminum probatus cantor,
260 peritissimus cunctorum.
Primo potionem sumit,
dein dictis ita fatur:
"Potiuncula, tu zythum!
Homo ne te bibat frustra!
265 Viros facias cantare,
hos melodos modulari!
Dominus nunc admiratur,
domina sic opinatur:
iamne iacent cantiones,
270 linguae laetae languerunt,
an concoxi malum zythum,
potum pessimum paravi,
quod non cantant cantatores,
summi vates non susurrant,
275 non cantillat carus hospes,
avis garrula non gaudet?

Quis cuculet in hoc coetu,
linguis cantet cantiones
epulis in Aquilonis,
280 in convivio virorum?
Non subsellia susurrant,
si non illis insidentes,
solum ipsum nihil sonat,
si nil aiunt ambulantes;
285 nec fenestrae ferunt verba,
si non erus ad fenestram,
neque mensae modulantur,
si non canunt commensales,
culmina non comissantur,
290 si non culmini substantes."

Parvulus in pavimento
puer erat apud furnum.
Loquitur in pavimento
puer parvulus ad furnum:
295 "Non sum ego natu grandis
neque stabilis statura,
verum tamen nunc profecto,

nisi canunt viri crassi
neque volunt fortiores,
300 sapiunt nil saniores,
canam puer macilentus,
puer siccus sibilabo;
canam carnibus haud crassus
et lateribus haud latus
305 gaudium in vespertinum,
in honorem hodiernum."

Erat senex super furno.
Ille verbis ita fatur:
"Cassi cantus infantiles,
310 vagitus invalidorum:
falsi filiorum cantus,
vani versus filiarum!
Cantus canant sapientes
in subsellio sedentes!"
315 Tum vetustus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
"Estne hac in iuventute,
in hac gente generosa,
qui coniungat manum manu,
320 uncos digitos cum uncis,
et dictare volens verba
iam incipiat cantare
gaudium in vespertinum,
in honorem horae serae?"

325 Ait senex super furno:
"Non est ante hic auditus,
nec auditus neque visus
umquam, tempore vel ullo,
ullus melior cantator,
330 vates arte magis valens,
melior me modulator:
iunior sic cantitabam,
argutabam apud aquas,
cantillabam his in campis,
335 in his silvis sic sonabam,
dictitabam in desertis.
Grandis erat vox et dulcis,
sonus meus valde suavis:
tum fluebat velut flumen,
340 velut rivus proruebat,
ut in nive narta curva,
velut navis velis passis.
At nunc dicere non possum
neque novi satis bene,
345 cur vox grandis sit suppressa,
vox tam dulcis cur demissa:
nunc non fluit velut flumen
neque sonat sicut unda;
it ut irpex inter truncos,
350 stat ut pinus inter nives,
ut in ripa traha licta,
ut in siccis saxis navis."

Tum vetustus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
355 "Cum non alter vir advenit
comes mecum cantitatum,
solus sumam dictiones
et incipiam cantare:
cum creatus sim cantator
360 et narrator ipse natus,
viam nolo vicinorum
vel exordium externum."
Tum vetustus Väinämöinen,
auctor versuum aeternus,
365 sidit ad laborem laetum,
opus suscipit cantoris,
laetis versibus paratis,
verbis omnibus ornatus.

Canit vetus Väinämöinen,
370 canit, arte bene valet:
versus faucibus non haerent
nec deficiunt canentem;
prius petrae finiuntur
vel in lacubus nymphaeae.
375 Ibi canit Väinämöinen,

totum vesperum laetatur.
Omnes feminae ridentes,
viri vero congaudentes
admirantur et auscultant
380 Väinämöinis versus factos,
quos stupescunt audientes,
admirantur et absentes.

Ait vetus Väinämöinen
suis versibus finitis:
385 "Equidem quid ego possum
ut cantator sive vates!
Ego prorsus nihil possum,
nihil valeo praestare.
Deus utinam cantaret,
390 optimo dictaret ore!
Deus carmen cantitaret,
cantitaret et valeret.
Mare faceret mellitum,
ex arenula pisella;
395 fieret faex maris maltus,
sal ex sabulo marino;
nemus patens ferret panem,
luci limites frumentum,
colles parerent placentas,
400 rupes ova generarent.

Cantitaret et valeret,
verba faceret et sciret;
in hanc domum incantaret
saepta plena iuvencarum,
405 plena stabula vaccarum,
nemora lactiferarum,
cornigeras boves centum,
ubera praebentes mille.
Cantitaret et valeret,
410 verba faceret et ferret
domino deiectum lyncis,
dominae de lana mantum,
soccos solidos puellis,
pannos pueris rubellos.

415 Deus, dato, sempiterne,
iterum, Creator vere,
ut hoc modo hic vivamus
denuoque sic degamus
epulis in Aquilonis,
420 in convivio virorum,
ut hic fluat flumen zythi,
rivus nectaris labatur,
atriis in Aquilonis,
sedibus Sariolanis;
425 fac interdiu canamus,
versus vesperi feramus,
donec dominus hic vivat
et sit domina superstes!
Deus his mercedem mittat,
430 reddat praemium Creator,
domino, qui domi sedet,
dominae dispensatrici,
filiis, qui ducunt rete,
ad telarium puellis,
435 ne quis umquam conqueratur,
anno postero deploret
epulas has longiores
et convivium multorum!"

CANTIO XXII

Nuptiis his celebratis
et conviviis confectis
atriis in Aquilonis,
in his terris tenebrosis,
5 ait anus Aquilonis
genero tum Ilmarini:
''Qua re manes, generose,
quid exspectas, vir electe?
Bonitatem genitoris,
10 caritatem genetricis,
an candorem huius casae
pulchritudinemque pompae?
Non ob patris bonitatem
nec ob matris caritatem,
15 non ob candidam hanc casam
nec ob tuam pulchram pompam:
virginis ob bonitatem
et puellae caritatem,
ob candorem manes carae,
20 pulchritudinem comatae.

Sponse noster, vir venuste!
Exspectasti, sed exspecta!
Sponsa non est expedita,
comes concors non parata:
25 crinis una pars est plexa,
altera pars nondum nexa.
Sponse, noster vir venuste!
Exspectasti, sed exspecta!
Sponsa non est expedita,
30 comes concors non parata:
brachium est tela tectum,
adhuc alterum tegendum.
Sponse noster, vir venuste!
Exspectasti, sed exspecta!
35 Sponsa non est expedita,
comes concors non parata:
unus pes est calceatus,
alter autem calceandus.
Sponse noster, vir venuste!
40 Exspectasti, sed exspecta!
Sponsa non est expedita,
comes concors non parata:
una manus manicata,
altera sed manicanda.
45 Sponse noster, vir venuste!
Es moratus indefessus:
sponsa nunc est expedita,
est palumbes iam parata.

I cum illo, data venum,
50 avis vendita, cum viro!
Est coniugium iam prope,
adest tempus abeundi,
cum stat iuxta, qui te ducet,
ante fores ablaturus:
55 equus frendit suos frenos,
traha virginem exspectat.
Eras pridem amans aeris,
manum cito porrexisti,
sponsi munera cepisti,
60 anulum inseruisti;
amans traham ascendendi
esto nunc ad currum cita,

acris ad visendum vicum,
ad proficiscendum prona!
65 Neque multum, virgo virens,
circa temet spectavisti
neque nimis cogitasti,
si sic paenitet nupsisse,
ut sit semper suspirandum
70 et per annos lamentandum,
quod liquisti limen patris,
rura propria paterna,
tuam caram genetricem,
domicilia materna.

75 Qualis fuit tua vita
in his praediis paternis!
Ut vicorum flos florebas,
fragum in frondosis lucis.
Ad butyrum surrexisti,
80 lac post lectum accepisti,
panem album post quietem,
florem lactis licto toro.
Cum butyrum displicebat,
tum suinam secuisti.
85 Nullis rebus angebaris,
numquam curis carpebaris:
curas lignis reliquisti,
res severas saepimentis,
luctum pinulis paludis
90 et campestribus betullis.
Instar folii vibrabas,
ut papilio volabas,
in avitis agris baca,
rubus rutilus rubebas.

95 Nunc relicta domo nostra
aliam in domum ibis,
sub ius matris alienae,
in familiam ignotam.
Aliter est hic ac illic,
100 domibus in alienis!
Differt ibi clangor cornus,
differt liminis lamentum,
differt sonitus portarum,
dicit cardo differenter.
105 Nescis limina transire
aut per portas ambulare
sicut coniugis germana;
nec sufflare scis in ignem
neque focum scis fovere
110 iuxta viri voluntatem.

Sic putabas, virgo virens,
sic sciebas et putabas
te sub noctem profecturam
et cras rursus reversuram?
115 Non ad noctem es itura,
nec ad noctem neque duas:
diuturna disparebis,
in aeternum eris absens,
semper a paterna sede,
120 saeculum a sede matris.
Erit longior haec cohors
altiusque domus limen
tibi rursus revertenti,
iter tuum iteranti."

125 Virgo misera suspirat,
et suspirat et anhelat;
cor dolore contristatur
largis lacrimis obortis.
Dein dictis ita fatur:
130 "Sic sciebam, sic putabam,
sic per annos arbitrabar,
adulescens autumabam:
'Non, puella, virgo fies
apud tuum genitorem,
135 in paternis tuis arvis,
matris veteris in villis.
Denique tum fies virgo,
cum ad virum abiturae
iam in limine pes erit,
140 alter pes in traha proci:

eris altior statura,
frontem altius altabis.'

Sic optavi vitam omnem,
adulescens sic speravi,
145 ut speratur bonus annus,
dulcis aestas ut optatur.
Quod speravi, iam evenit,
adest tempus abeundi;
iam in limine pes unus,
150 alter est in traha proci.
Equidem id non cognovi,
quo mens mea sit mutata:
non abibo laeta mente
nec exsulto discessura
155 hac de mea dulci domo,
ubi vixi iuvenilla,
ex his agris, ubi crevi,
de his praediis paternis;
macra, curis macerata,
160 hinc discedam tristi mente,
ut in noctem autumnalem,
super glaciem vernalem,
ubi pes non premit signum
nec vestigia videntur.

165 Qualis sit mens aliarum,
aliarum mens sponsarum?
Non sic sentiunt dolorem
neque gestant pectus triste,
sicut misera puella
170 gesto pectore dolorem,
cor cinereum colore,
curas similes carboni.
Talis animus beatis,
tali mente vivit felix,
175 ut est vernus solis ortus,
sol vernalis matutinus.
Qualis autem est mens mea,
meus animus abiectus?
Est ut ima stagni ripa,
180 ut obscura nubis ora,
ut nox autumnalis atra,
niger dies hiemalis;
immo nigrior est illo,
atrior quam nox autumno."

185 Anus aderat ancilla,
domestica diuturna.
Illa verbis ita fatur:
"Ecce tibi, virgo virens!
Meministi me dixisse,
190 centies me cecinisse:
cave proco delecteris,
cave facie confidas
vel aspectu te petentis
nec mireris pulchros pedes!
195 Vultum tenet vir venuste,
oris faciem formosam,
licet Malus in maxillis,
Mors inhabitet in ore.

Ita virgini suadebam,
200 meam monui puellam:
venerint cum viri proci,
viri proci, te petentes,
illis ita responsato
et rem tuam explicato
205 verbis fere his profata
et loquelis his locuta:
'Ego quidem numquam possim,
numquam possim neque velim
nurus fieri ducenda,
210 serva famula sumenda.
Nulla mihi par puella
potest esse loco servae,
nulla meminit parere,
semper vivere submissa.
215 Uno verbo mihi dicto
binis verbis respondebo;
si quis capiat capillos,
velit crines vellicare,

eum de capillis pellam,
220 abigam a meo crine.'

At non illud audivisti,
verbo non oboedivisti.
Ferox ignem intravisti,
sciens calidam in picem;
225 properasti versus vulpem,
ursi cursum es secuta,
ut a vulpe traha vecta
et ab urso deportata
semper socero servires
230 tuae socrui subiecta.
In scholam relicta domo,
in tormentum es profecta.
Ibis in severam scholam,
longam poenam perpessura:
235 ibi frena sunt iam empta
compedesque comparata
contra neminem misellam
nisi contra te misellam.
Senties mox molestata,
240 senties, *infortunata*,
malam soceri maxillam,
lapidosam socrus linguam,
vocem algidam affinis
et superbos mores gloris.

245 Audi, virgo, mea verba,
mea verba, has loquelas!
Eras domi flos decorus,
splendor in paternis pratis:
pater lunam te vocabat,
250 mater solem appellabat,
frater aequoris fulgorem,
pannum caerulum germana.
Aliam in domum ibis,
sub ius matris alienae:
255 non est alia par matris,
non est instar genetricis:
raro reprehendit iuste,
raro recte docet ductam.
Socer te *stramentum* vocat,
260 socrus tragulam Lapponum,
limen leviro videris,
glori mulier maligna.

Tum tu demum esses bona,
demum proba videreris,
265 cum exires velut vapor,
foras fugeres ut fumus,
instar folii volares
et micares ut scintilla.
Non es avis ad volandum
270 nec foliolum volucre,
non scintilla, quae micares,
neque fumus fugitivus.
O puella, mea soror!
Sunt mutata, quae mutasti!
275 Mutavisti patrem carum
socero satis maligno,
mutavisti matrem almam
socru nimium severa!
Mutavisti bonum fratrem
280 viro leviro gibboso,
germanam mutasti castam
glore, femina strabona!
Lectum linteum mutasti
foculis fuliginosis,
285 lacum limpidi liquoris
locis limo lutulentis,
litoraque sabulosa
fundis nigris faeculentis!
Alma nemora frondosa
290 ericetis mutavisti,
colles baculis feraces
arvis asperis et ustis!

Sic putabas, virgo virens,
sic, o pullulans puella:
295 curis missis et minuta
statim occupatione

te dormitum ductum iri,
ut quiesceres supina?
At non ducent te dormitum,
300 ut quiescas otiosa:
demum debes vigilare,
curis denique gravari,
rebus variis vexari
et in corde contristari.
305 Donec deges sine rica,
deges animo securo;
donec vives sine velo,
vives minimo maerore.
Rica demum fert dolores,
310 cofea cor contristatum,
linum luctus graviores,
carbasus vel infinitos.

Quam beata virgo domi!
Virgo vivit apud patrem,
315 ut in suo rex castello,
uno gladio defecta.
Aliter misella nurus!
Nurus agit apud socrum
ut in Russia captiva,
320 uno vigili defecta.
Opus suum operata,
summis viribus enisa,
toto corpore sudora,
in umore suae frontis,
325 tamen tempore quietis
iam ad ignem illam damnant,
ad caminum cogunt ire,
foco manum admovere.

Illa misera puella
330 debet animum salmonis,
linguam autem acerinae,
mentem percae possidere,
alburni ventrem, os leucisci,
intellectum melanittae.
335 Nemo virginum cognovit
neque quisquam intellexit
ex puellis genetricis,
quas parentes aluere,
unde natus sit comesor,
340 unde rosor sit exortus,
carnis esor, ossis rosor,
qui dispergit crines ventis
capillosque perturbatos
vernis flatibus vehendos.

345 Plange, plange, virgo virens!
Et cum plangis, age plange!
Manus fletibus completo,
palmas lacrimis effusis,
guttis aream paternam,
350 lacu patris pavimentum;
fac, abundet domus fletu
fluctuetque tabulatum!
Nisi fles, cum velis flere,
flebis alias reversa
355 in hanc domum genitoris,
cum inveneris vetustum
patrem fumo suffocatum
virgas aridas tenentem.
Plange, plange, virgo virens!
360 Et cum plangis, age plange!
Nisi fles, cum velis flere,
flebis alias reversa
in hanc domum genetricis,
cum inveneris vetustam
365 matrem mortuam in caulis
fascem straminis tenentem.

Plange, plange, virgo virens!
Et cum plangis, age plange!
Nisi fles, cum velis flere,
370 flebis alias reversa,
cum regressa tuam domum
fratrem videris florentem
vita functum in hoc vico,
in hac area prostratum.

375 Plange, plange, virgo virens!
Et cum plangis, age plange!
Nisi fles, cum velis flere,
flebis alias reversa,
cum regressa tuam domum
380 castam videris sororem
ad lavacrum iam collapsam,
clavam manibus tenentem."

Virgo misera suspirat,
et suspirat et anhelat.
385 Inde solvitur in fletum,
incipit illacrimare.
Manus fletibus complevit,
sparsit lacrimis effusis
areas paternas lautas
390 atque patris pavimentum.
Inde facit illa verba,
ita fata fabulatur:
"O sorores meae suaves,
coaequales et sodales,
395 omnes olim coalumnae!
Nunc audite mea verba!
Equidem id non cognovi,
unde mihi sit misellae
aegritudo haec oborta,
400 haec sollicitudo data,
desiderium allatum,
mentis maeror unde missus.

Sic censebam, sic putabam,
sic sperabam totam vitam:
405 utinam cuculus essem
et in collibus cantarem,
cum venissem in hos dies,
in has meditationes.
Nunc non factus sum cuculus
410 nec in collibus cuculo:
sum ut anas inter undas,
avis in immenso sinu
findens frigidos liquores,
natans algidis in aquis.
415 O mi pater, mea mater,
o parentes mei cari!
Quonam me procreavistis,
quo me miseram tulistis,
ut plorarem hos ploratus,
420 hoc afficerer angore,
ut susciperem has curas
et dolerem hoc dolore?

Utinam, misella mater,
mea pulchra procreatrix,
425 quae me mammis lactavisti,
utinam, dilecta nutrix,
truncum pannis involvisses
et lapillulos lavisses,
cum me filiam lavisti,
430 bellam pannis involvisti
ad maestitiam hanc magnam,
aegritudinem amaram!
Alibi sic multi dicunt,
ita cogitant complures:
435 virgo curis non vexatur
neque cogitatione.
Boni homines, nolite,
ita dicere nolite!
Crebriores mihi curae
440 sunt quam in torrente saxa,
salices in solo malo
et ericae locis tesquis.
Equus trahere non posset,
ferre ferro soleatus
445 sic, ut arcus non saltaret
neque loco moveretur,
hos maerores meae mentis,
atros animi dolores."

Parvulus in pavimento,
450 cecinit post furnum infans:
"Quid est virgini plangendum,
quid magnopere maerendum!

Curas habeat caballus,
ater alipes maerores,
455 doleat frenatus ferro,
capito res lamentetur!
Caput melius caballo,
caput melius, os firmum,
fortior est curva cervix,
460 cuncta membra meliora.

Non sunt tibi res deflendae
nec magnopere maerendae.
Non portaris in paludem
nec ad rivulum raptaris;
465 fertili de loco ferris
locum in fertiliorem
et de domo zythi plena
duceris in pleniorem.
Cum ad tuum latus spectas
470 oculis ad dextram versis,
vides virum assidentem,
sponsum floridum, formosum!
Vir est bonus, bonus equus,
res domesticae diversae;
475 sunt perdices pennis hirtis
argutantes super arcu,
turduli sunt exsultantes,
super loris sonitantes;
sex caerulei cuculi
480 sunt in helcio haerentes,
aves aureae sunt septem
tinnientes in temone.

Nullo modo perturberis,
matris filia, nequaquam!
485 Non peiore modo vives,
immo vives meliore,
iuxta latus aratoris,
stragulo sub sulcatoris,
subter mento frumentantis
490 et sub ala piscatoris,
alcium agitatoris
et ursorum domitoris.
Virum optimum cepisti,
fortem, corpore formosum:
495 non sunt segnes eius arcus
nec pharetrae pendent clavis;
canes non in casa cubant
nec in stramine catelli.
Ter est factum hac aestate
500 oriente luce prima,
ut ab igne se levaret,
surgeret a stratis ramis;
ter est factum hac aestate,
ut ros caderet in vultum,
505 rami crines pectinarent,
virgae corpus carminarent.

Vir est gregis educator,
fortis altor armentorum.
Habet nempe noster sponsus,
510 quae peragrant pede saltus,
currunt cruribus per syrtes,
petunt vallium profunda,
cornigeras vaccas centum,
ubera praebentes mille,
515 mergites in cunctis agris,
cellas apud omnes rivos;
in alnetis sunt agelli,
habet hordeum in ripis,
apud scopulos avenam
520 et frumentum apud aquas;
pro monetis sunt saxeta,
et lapilluli pro nummis."

CANTIO XXIII

Est puella nunc monenda,
edocenda nova nupta.
Quis puellulam monebit,
virginulam edocebit?
5 Osmotar, opima nympha,
virgo pulchra Kalevensis,
illa sponsulam monebit,
novam nuptam edocebit,
quonam modo sit vivendum
10 qualiterque habitandum,
apud virum sapienti,
apud socrum bonae sponsae.
Verbis fere his profata,
his loquelis est locuta:
15 "Sororcula mea, sponsa,
deliciolum dilectum!
Audias, quod tibi dico,
tibi lingua mea loquor!

Iam, flos, hinc es exitura,
20 fragum dulce, decessura,
pannus pulcher, profectura,
vellutinum, evasura
de hac tua pulchra domo,
villa clara virginali;
25 ibis aliam in domum,
in familiam ignotam.
Aliter ad alienos,
differenter ad diversos:
providenter procedendum,
30 diligenter est degendum;
non, ut in paternis terris,
campis carae genetricis,
est in vallibus cantandum
vel in vicis iubilandum.

35 De hac domo profectura
ceteras res recordare
praeter tria relinquenda:
somnulos meridianos,
verba blandula materna,
40 butyri gustationes!
Sume tecum res sumendas,
linque sacculum somnorum
his domesticis puellis,
apud angulum fornacis!
45 Linque carmina scamnellis,
versus laetos fenestellis,
virgulis virginitatem,
limbis linteis lascivos,
malos mores magno furno,
50 pigram mentem pavimento!
Sive pronubae praebeto,
porgito sub eius alam,
ferat ut in fruticetum,
efferat in ericetum!

55 Novus mos est assumendus,
pristinus obliviscendus:
amor patris est linquendus,
amor soceri sumendus,
caput magis inclinandum,
60 bonum verbum faciendum.
Novus mos est assumendus,

pristinus obliviscendus:
amor matris est linquendus,
amor socrus est sumendus,
65 caput magis inclinandum,
bonum verbum faciendum.
Novus mos est assumendus,
pristinus obliviscendus:
amor fratris est linquendus,
70 amor leviri sumendus,
caput magis inclinandum,
bonum verbum faciendum.
Novus mos est assumendus,
pristinus obliviscendus:
75 amor sororis est linquendus,
amor gloris assumendus,
caput magis inclinandum,
bonum verbum faciendum.

Nubere debebis numquam
80 lunae lumine lucente
rudis aliam in domum,
expers moribus marito!
Mores domo postulantur,
mores bona quoque domo,
85 mens a viro pertemptatur,
mens ab optimoque viro;
diligens desideratur,
si sit domus dissoluta;
opus coniuge constanti
90 est inutili marito.
Si sit senex sicut lupus,
anus velut vetus ursa,
coluber si sit cognatus,
glos ut clavus in cohorte,
95 sunt similiter verendi:
caput magis inclinandum
est quam olim apud matrem,
cum in atriis paternis
patri caput inclinasti,
100 matrem tuam honorasti.

Tibi quidem debet esse
caput cautum, mens parata,
semper animus attentus
et aequalis intellectus;
105 visus vesperi sit vigil
ad alendam foci flammam,
aures mane sint attentae,
audiant ut cantum galli.
Ut cantavit gallus semel
110 necdum idem iteravit,
est iuvenibus surgendum,
veteribus quiescendum.
Nisi gallus vult cantare
nec erilis ales sonat,
115 luna gallus habeatur
et septentrio magister!
Vade foras satis saepe,
vade, videas ut lunam,
ut septentrionem cernas
120 et aspicias ad astra!

Cum septentrio stat recte
tenens cornu versus austrum,
caudam versus aquilonem,
tum advenit tibi tempus
125 sponsi lectulum linquendi,
latus viri rubicundi;
ignem debes suscitare,
flammam facere favillis,
in scintillam sic sufflare,
130 ut non cineres spargantur.
Si sit ibi nullus ignis,
in favillis nulla flamma,
blandiens a tuo caro
petas, a formoso viro:
135 'Ignem dato, mi dilecte,
mihi flammam, mea baca!'

Datur silicis lapillus
fomitisque tibi frustum:
tum scintillulam excude,

140 taedae schidiam accende;
exi, stabulum ut mundes,
pabulum ut des armentis!
Mugit vacca socrualis,
hinnit soceri caballus,
145 vacca leviri se versat,
gannit vitulus cognatae,
veniat ut feni dator,
praebitor trifoliorum.

I per vicos membris curvis,
150 in praesaepibus i praeceps,
boves pasce patienter,
oves animo mansueto!
Bubus paleam praebeto,
potiunculas vitellis,
155 equulis electum gramen,
agnis fenulum subtile!
Cave subus susciteris,
calce suculos nec caedas:
alveum afferto subus,
160 suos suculis catillos!

Nec in stabulis quiescas,
apud oves otiosa!
Totis stabulis mundatis
et pecoribus curatis
165 iam reversa festinanter
instar imbris domum intra!
Infans ibi dat vagitus,
pannis parvulus contectus,
nec puerulus elinguis
170 potest dicere misellus,
utrum frigore an fame
vel vexetur alioquin,
nisi venerit, quam novit
verbis blandulis auditis.
175 Domum autem intratura
veni velut quadriformis:
portans amphoram aquarum,
tenens scopas sub axilla,
taedam dentibus ardentem,
180 – quarta forma tu sis ipsa.

Dein purga pavimentum,
virgis verre tabulatum:
aquam fundas in constratum,
cave fundas in infantem!
185 Puerum de pavimento,
licet infans sit cognatae,
leva manibus in scamnum,
lava vultum, caput mulce,
panem puero praebeto,
190 panem illitum butyro.
At si panis forte deest,
assulam in manum affer!

Cum sis mensas mundatura
ante finem septimanae,
195 lava mensas, marginesque,
neque pedes praetermittas!
Aquis scamnula consperge,
pinnis parietes purgato,
cuncta scamna cum extremis
200 et parietes cum rimis.
Si quid pulveris in mensa,
si quid sit in fenestellis,
id abstergas avis pinna,
stringas pannis umectatis,
205 ne pulvisculus spargatur
volitans in tectum usque!
Decute farinam foci
et fuligines fornacis;
pilam teneas in mente
210 nec cantherios omittas,
ut sit domus domus vera,
habitaculum humanum!

Audi, virgo, mea verba,
mea verba, has loquelas!
215 Ne verseris sine veste,
sine subucula, soluta;

nec vageris sine rica
neque calceis exuta!
Ob id sponsus irascatur,
220 iurget te vir iuvenillus.
Illas valde verearis
sorbos, quae sunt in cohorte!
Sacrae sorbi sunt cohortis,
sacri sunt sorborum rami,
225 sacra folia ramorum,
bacculaque sacriora;
illis sponsula monetur,
edocetur nova nupta,
ut consentiat consorti
230 et concordet cum marito.

Aures habeas murinas,
pedes leporis pernices!
Cervix tenera curvetur,
inclinetur pulchrum collum,
235 ut iuniperus iuventa
aut virescens virga pruni!
Debes ita vigilare,
vigilare, providere,
ut non clunibus subsidas
240 in subsellio supina
nec in stragula prolapsa
super lectulum languescas!
Venit levir ab aratro,
socer saeptis saepimentis,
245 vir, qui foris laboravit,
pulcher coniux, silva caesa:
aquae vasculum portandum,
manutergium mandandum,
caput erit inclinandum,
250 blandum verbum faciendum.
Venit socrus sub axilla
portans modium farinae:
exi, socrui succurre
atque capite demisso
255 pete modium ab illa,
quem in atrium apportes!

Cum non poteris praescire,
intellegere rem ipsa,
quinam labor sit sumendus,
260 opera suscipienda,
ita vetulam rogato:
'Mea socera dilecta!
Quod est opus operandum,
quae negotia gerenda?'
265 Anus ilico respondet,
socrus ita facit verba:
'Hoc est opus operandum,
haec negotia gerenda:
est pinsendum et molendum,
270 ligno lapidis haerendum,
adhuc aqua deportanda,
massa panis praeparanda,
ligna domum sunt ferenda,
quibus calefiat furnus;
275 inde panes sunt fingendi,
crassa crustula coquenda,
vasa demum abluenda,
cuncta lignea lavanda.'

Cum audiveris ab anu
280 haec negotia gerenda,
sumptis tecum granis siccis
ad molendum maturato!
Cum adveneris ad molas,
in molarium conclave,
285 noli gula cuculare
vociferans toto rictu:
molae crepitu cucula,
axe lapidis cantilla!
Nec magnopere suspires,
290 lignum lapidis dum versas,
ne te socer suspicetur
neve socrus arbitretur
suscitatam suspirare,
mente trudere maligna!
295 Dein cribro far cribratum
ferculo fer in conclave!

Panes para mente miti
massam miscens diligenter,
ne sint partim grumi farris
300 partim liquidi liquores!

Aqua vacuum vas visum
tuis umeris levato
amphoramque sub axillam
et aquatum ambulato;
305 Vas portato bello passu,
ferto pertica iuvante!
Velut ventus tum reversa
venias ut vernus flatus
sine mora longiore,
310 nihil cessans apud fontem,
ne te socer suspicetur
neve socrus arbitretur
tuam speciem spectare,
temet ipsam admirari,
315 formam floridam in aqua,
pulchritudinem in fonte!

Ad lignorum struem longam
cum adveneris lignatum,
nullo lignulo contempto
320 cape lignum et populnum!
Ligna leniter depone
sine nimio rumore,
ne te socer suspicetur
neve socrus arbitretur
325 iracundam iactitare,
irritatam crepitare.
Cum intraveris in cellam,
ut farinulas deportes,
ibi minime moreris
330 nec in semita cuncteris,
ne te socer suspicetur
neve socrus arbitretur
distribuere farinam,
vici vetulis donare.

335 Vasa cum sunt abluenda,
cuncta lignea lavanda,
lava cantharos cum ansis,
pocula cum suis sulcis!
Lue scyphum – memor labri,
340 cochlear, manubri memor!
Cochlearia custodi,
vasa cura diligenter,
ne per canes capiantur
nec a felibus ferantur
345 nec ab avibus vehantur
nec a pueris spargantur!
Sunt pueruli pusilli,
multa capita minuta,
deferant qui tua vasa
350 cochleariaque spargant.

Balneum dum apparatur,
aquam portes, virgas feras,
virgas foveas vapore
fumis balnei dispersis
355 sine mora longiore,
nil in balneo cunctata,
ne te socer suspicetur
neve socrus arbitretur
in subselliis supinam
360 balnearibus pigrari.
Tum in atrium reversa
iube socrum balneare:
'O mi socer, tu dilecte!
Balneum iam est paratum
365 aquis latis, virgis factis,
tersa tabulatione;
ito, bene balneato,
aquis usus abundanter!
Ipsa tibi balneatrix
370 bonos faciam vapores.'

Cum filandi tempus adest,
tempus cum texendae telae,
nullam artem vicinorum,

nullam quaeras rationem
375 nec doctrinam alienam
pectinemve peregrinum!
Ipsa files tua fila,
tuis digitis subtemen;
lanea fac laxiora,
380 lina semper strictiora!
Fila dense glomerato,
in alabrum implicato,
in insubulum ligato
in telariumque tende!
385 Pelle pectinem astricte,
leva stamina sollerter,
laneas lacernas texe,
para laneas gunellas
uno flocculo lanoso,
390 villis pecoris hibernis,
agni vellere vernali,
ovis lanulis aestivis!

Audias, quod tibi dico,
tibi denuo denarro!
395 Hordeaceum fac zythum,
bonum potum maltis mixtum
hordei de paucis granis,
paucis lignis semiustis!
Hordeaque dum indulcas,
400 ut exsistat dulcis maltus,
fac ne misceas cum unco
neu rutabulis utaris:
semper manibus misceto,
tuis palmulis versato!
405 Saepe balneum intrato
cavens, ne tabescat germen
neve sedeat in illis
cattus manens super maltis.
Nec ob lupulos lugeto
410 neve feras verearis,
cum in balneum incurris
means media de nocte!

Cum advenerit quis hospes,
ne te taedeat illius!
415 *Semper enim bona domus*
habet hospiti parata
copiosa carnis frusta
atque bellulas placentas.
Iube hospitem sedere
420 faciens venusta verba:
pasce hospitem loquelis,
donec coctio coquatur!
Cum est hospes abiturus
atque vobis valedicit,
425 cave comiteris illum
longius quam usque limen,
ne suscenseat maritus,
ne vir pulcher irascatur.

Cum voluntas ipsi venit
430 tibi vicum visitandi,
pete veniam visendi,
visitandi potestatem!
Ibi quidem dum versaris,
fac sermunculos sollerter;
435 noli domum reprobare,
cave soceram culpare!
Quaerunt nurus vicinorum
sive ceterae vicinae:
'Datne socera butyrum
440 sicut olim tua mater?'
Numquam erit respondendum:
'Non dat socera butyrum.'
Dic ab illa semper dari,
plenis spatulis portari,
445 licet semel det in anno
idque rancidum butyrum!

Audias, quod tibi dico,
tibi denuo denarro!
Cum profecta de hac domo
450 veneris in alienam,
noli matrem oblivisci

nec contemnas genetricem!
Aluit te mater alma,
pulchrum pectus lactitavit
455 suo proprio dulcore,
suo candido candore;
saepe mater vigilabat,
saepe cibum omittebat,
cum te cunis cunulabat
460 parvulamque nutriebat.

Si quis immemor parentis
sprevit suam genetricem,
ne decedat de hac vita
bene conscius in Mortem!
465 Mala merces in Inferno,
pessima fit Mortis poena,
si quis immemor parentis
sprevit suam genetricem.
Mortis virgines obiurgant,
470 te puellulae tum culpant:
'Immemor parentis qua re
contempsisti genetricem?
Mater male laboravit,
est dolores duros passa,
475 cum in balneo iacebat
super paleis supina,
fetum suum emissura,
te parturiens misellam.' "

Tum sedebat pavimento
480 anus pallium induta,
quae vivebat vagabunda
victum quaerens ostiatim.
Illa facit ea verba,
ita fata fabulatur:
485 "Gallus canit suae carae,
pullicenus suae pulchrae,
cornix canit mense Martis,
verno mense modulatur;
memet decet cantillare,
490 illos vero conticere:
habent enim domi caram,
semper apud se dilectam;
sine caris, sine domo,
expers ego sum amoris.
495 Soror, audi mea verba!
A marito domum ducta
cave, morem geras viro,
ut misella quondam gessi
viro vocis alaudinae,
500 meo sponsulo superbo!

Eram olim flos decorus,
excrescebam ut erica,
sicut germen germinabam,
velut calyx consurgebam;
505 rubum rubrum me vocabant,
me dilectam susurrabant,
eram anas apud patrem,
anser apud genetricem,
mei fratris eram fulca
510 et sororis avicella.
Flos in viculis florebam
atque rubulus in pratis,
in litoribus ludebam,
exsultabam locis celsis,
515 in convallibus cantabam,
cuculabam in collinis;
luci dabant mihi ludos,
agri semper res amoenas.

Os in foveam fert vulpem,
520 os in pedicam mustelam,
mens puellam ad maritum,
mos in domum alienam.
Est idcirco virgo nata,
sic filiola lallata,
525 ut sit nurus apud virum,
apud soceram ancilla.
Baca barbaram in terram,
prunus alias ad aquas
incidi, quam morsicarent,

530 maledicerent maligni.
Omnis arbor me mordebat,
omnis alnus allidebat,
omnis betulla petebat,
omnis pŏpulus pulsabat.

535 Nupta sum marito meo,
ducta domum socrualem.
Illic esse dictitabant,
dum me virginem procantur,
atria sex abiegna,
540 totidem bis thalamorum,
cellis nemora praetexta,
vicos hortis florulentis;
esse hordeum in ripis,
in confiniis avenam,
545 cumeras frumenti triti,
adhuc alteras terendi,
centum nummos iam receptos,
totidem recipiendos.

Ego quidem stulta veni,
550 dedi dextram inconsulta:
domus erat sex fulmentis,
septem sudibus suffulta,
agri pleni duritate,
luci pleni diritate,
555 vici meis magnis curis,
silvae mentium maerore,
cumerae contritis iris,
adhuc alterae terendis,
centum verba iam recepta,
560 totidem recipienda.

Ego rebus his neglectis
probe vivere volebam.
Sic ad laudem aspirabam,
appetebam sic amorem,
565 ut inferrem intus ignem,
taedae schidiam curarem
– frontem foribus impegi,
caput meum contra postes:
fit ad fores visus torvus
570 et post furnum vultus ferus,
solo medio malignus,
in postico periratus;
ignis emicat ex ore,
vivi torres evomuntur
575 ore domini maligni,
lingua soceri severi.

Ego rebus his neglectis
tamen vivere volebam,
semper gratiam subire,
580 esse docilis, submissa:
curro crure leporino,
eo pede mustellino,
peto lectum nimis tarde,
surgo tristis multo mane.
585 Datur nulla laus misellae,
nullus amor infelici,
licet montes permoverem,
saxa media secarem.
Frustra pinsi multum farris,
590 vane similam secrevi
meae socrui severae,
ut maligna manducaret
sedens apud longam mensam
de scutella deaurata.
595 Nurus misera comedi
super lapide farinam
habens foculum pro mensa,
spatulam pro cochleari.

Saepe misera marita,
600 nurus in mariti domo,
musco de palude lato
panem mihi comparavi,
aquam situla portatam
sitibunda sorbillavi.
605 Sic infelix edi pisces,
eperlanos sic misella,

ut sagenas explicabam,
scapha media iactabar;
numquam enim eum piscem
610 sum per soceram sortita,
qui sufficeret ad diem,
satis esset semel sumptus.

Per aestatem pabulabar,
furcam hieme flectebam,
615 sicut servula solebat
seu domestica conducta.
Semper quidem apud socrum
mihi pessima dabatur
pertica terendae messi,
620 lignum linis perfringendis,
clava vestibus lavandis,
furca fimis egerendis.
Non credebant me collabi
nec timebant defetisci,
625 cum collaberentur viri
equis et defatigatis.

Ita misera puella
opus meum operabar
summis viribus enisa.
630 Tamen tempore quietis
iam ad ignem cogunt ire,
foco manum admovere.
Fictis causis accusabant,
de me male loquebantur,
635 moribus de meis bonis,
probitate iam probata;
in me verba depluebant,
voces ore decidebant
velut fervidae scintillae
640 sive grandines ferratae.

Ne tum quidem dubitabam
et vixissem usque vitam
socrum adiuvans severam,
comes mulieris malignae;
645 sed res accidit acerba,
id dolorem duplicavit,
quod maritus lupus factus,
vir mutatus est in ursum:
tergo dato dormit, edit,
650 tergum vertit, dum laborat.

Ipsa mecum id plangebam,
cogitabam in conclavi.
Recordabar res diversas,
vitam pristinam peractam
655 patris areis in amplis,
in cohorte genetricis.
Ibi coepi dictitare
meis verbis sic locuta:
'Mea genetrix sciebat,
660 gignere sciebat mālum,
novam plantam educare,
nesciebat transplantare:
plantam pulchram transplantavit
seminarium in saevum,
665 transtulit in duram terram,
in radices betullinas,
ut in aevum ibi fleret,
totam vitam lacrimaret.

Equidem fuissem digna
670 loco multo meliore,
area vel ampliore,
pavimento pulchriore,
par fuissem potiori,
instar viri fortioris.
675 Haesi viro ventrioso,
illo nequam nugatore:
corpus habet a cornice,
nasum nanctus est corvinum,
buccam lupuli voracis,
680 formam feram ursionis.
Istum quidem invenissem,
cum in collem ascendissem:
truncum piceum in via,

alnulum in arboreto;
685 rostrum caespite fecissem,
barbam arboris lichene,
saxeum os, caput luto,
oculos ignitis prunis,
aures arboris tumore,
690 pedes salice bifurca.'

Ita cecini misella,
sollicita suspiravi.
Accidit, ut pulcher sponsus
ad parietem audiret.
695 Inde cum ad me veniret,
cum ascenderet in scalas,
iam sciebam venientem,
ascendentem augurabam:
coma sparsa sine vento,
700 crine scisso sine flatu
et gingivulis distortis
oculisque torvis venit
manu tenens tortam sorbum,
fustem firmum sub axilla,
705 quo me ferus feriebat,
caput meum contundebat.

Dein, vespero iam facto,
cubitum cum vellet ire,
affert ferulam in lectum,
710 scuticam de clavo sumptam
contra neminem misellam
nisi contra me misellam.
Ipsa tamen tum volebam
vesperi dormitum ire,
715 sternere me iuxta sponsum.
Me permisit iuxta sterni:
crebro cubitis caedebat,
affatim infesta manu,
satis salice robusta
720 et eburneo flagello.
Latus gelidum reliqui,
torum frigore torpentem.

Post me sponsus est egressus,
venit foras ferox vultu!
725 Mihi manibus admotis
caput arripit capillo,
crines ventis dat dispersos,
vernis flatibus vehendos.

Quid tum facerem, misella,
730 quis consilia dedisset?
Feci calceos de ferro
et corrigias ex aere;
ad parietes sic stabam,
sic in vicis auscultabam,
735 dum iratus leniretur,
sedaretur vir severus.
At nec lente vir lenitur
nec quo tempore sedatur!
Arripit me tandem algor,
740 ibi dum invisa versor
ad parietem adnixa,
cum post ianuam iacerem.
Ita mecum cogitabam:
ego nequeo sufferre
745 simultatem sempiternam
et continuum contemptum
in hac turba malignorum,
in diabolorum domo.

Lictis atriis amoenis,
750 domicilio dilecto,
coepi, mollis, me movere.
Per paludes et per terras,
transii per almas aquas
ad extremos fratris agros.
755 Ibi sonat arbor sicca,
pinus patula susurrat,
omnis cornix ita canit,
pica garrula friguttit:
'Hic est tibi nulla domus,
760 nulla sedes hic natalis!'

Ego rebus his neglectis
fratris aream petivi.
Mihi portae iam dicebant,
cuncta prata complorabant:
765 'Quare domum advenisti,
ad quem, vecors, audiendum?
Pater occidit iam pridem,
periit iam pulchra parens;
fratris mens est aliena,
770 mulier ut Muscovita.'
Ego rebus his neglectis
tamen atrium intravi.
Ansam ostii prehendi,
algidam quam manu sensi.
775 Tum in atrium ingressa
apud ostium resisto.
Fratris femina superba:
non ad amplexandum venit
nec vult mihi manum dare;
780 ego quoque sum superba:
non ad amplexandum eo
neque volo manum dare.
Manum ad fornacem pono:
lapis frigidus fornacis;
785 manum verto versus prunas:
at sunt gelidi carbones.

In subsellio supinus
frater torpet apud furnum
alas cumulis carbonum,
790 corpus ceterum favillis,
caput cinere contectus
et fuligine foedatus.
Frater hospitem rogavit
advenam sic allocutus:
795 'Unde, hospes, huc transisti?'
Ego misera respondi:
'Non sororem cognovisti,
matris filiam germanam?
Ex eadem matre natos,
800 ex eadem avicella,
anser una nos nutrivit,
peperit nos una perdix!'
Frater coepit complorare,
fletu genas umectare.

805 Frater feminae locutus
susurravit suae carae:
'Praepara sorori cibum!'
Fratris femina strabona
portat de culina crambem,
810 quam catellus degustavit
iam adipibus ablatis,
quam ambedit ater canis.
Frater feminae locutus
susurravit suae carae:
815 'Zythum hospiti portato!'
Fratris femina strabona
aquam hospiti deportat
neque puram quidem illam:
glores lumina laverunt,
820 aqua manus mundaverunt.

Fratris limen rursus liqui,
sedem pristinam natalem.
Sic evasi vagabunda,
coepi misera meare,
825 omnes oras circumire
et infelix pererrare
ostiatim ad ignotos
et ad portas peregrinas
lictis liberis misellis
830 in tutela vicinorum.

Multos homines inveni,
sunt complures, quos cognovi,
qui loquuntur lingua dura,
lingua crepitant crudeli;
835 paucos homines cognovi,
qui dent verba caritatis,
ore dulci qui loquantur,
qui me vocent ad fornacem,

cum ex imbre sum ingressa,
840 cum intravi frigefacta
vestis limbis pruinosis,
vento pallium pulsante.
In aetate iuvenili
numquam olim credidissem,
845 etsi centum sic dixissent,
mille linguis sic locuti,
in hanc viam me venturam,
in hos dies incasuram,
qui nunc dies inciderunt,
850 obvenerunt mihi viae."

CANTIO XXIV

Nunc iam monui puellam,
docui iam novam nuptam.
Adhuc dico meo fratri,
ore loquor nostro sponso:
5 ''Sponse frater, vir venuste,
immo melior quam frater,
carior quam patre natus,
mitior quam matre natus.
Audi, sodes, mea verba,
10 mea verba, has loquelas
de hac ave tibi data,
pupula, quam paravisti.

Lauda, sponse, tuam sortem,
tibi datum bonum donum!
15 Et cum laudas, age lauda!
Bonam virginem cepisti,
quam promiserat Creator,
Deus dederat clementer.
Gratias dic genitori,
20 matri gratias maiores,
quod nutrivit talem natam,
tibi talem novam nuptam!

Est puella tibi pura,
virgo splendens tibi sponsa,
25 candidula tibi cara,
tibi pupula tam pulchra;
est iuvenca tibi iuxta,
a te prope rubicunda,
quae scit bene triturare,
30 fenum falce resecare,
probe lintea lavare,
vestimenta candidare,
fila ducere decore,
cito texere texturas.

35 Ita pecten personabat,
ut cuculus in collina;
ita radius ruebat,
ut in lignis it mustela;
ita glomus rotabatur,
40 ut sciurus rotat conum.
Vicus artē non quievit
neque domus obdormivit
propter pectinem pulsantem
atque radii susurrum.

45 O tu sponse iuvenilis,
coniux corpore decoro!
Falcem facias acutam,
optime manubriatam;
dola lignum prope portam,
50 super trunco ferrum cude!
Dies adest cum apricus,
duc puellulam in pratum:
fenum senties secari,
durum fenum delapsurum
55 atque caricem casuram
rumicemque ruiturum,
terrae grumulos truncari,
imas virgas intercidi.

Dies alius cum adest,
60 rectum radium parato
pectinemque bene factum,

iugum iuste conformatum
et pedalia decora,
telae totum instrumentum!
65 Iube texere puellam
illi radio porrecto:
brevi pecten personabit
et telarium tonabit;
fragor ibit ad vicinos,
70 procul pectinis pulsatus.

Anus tum rem reputabunt,
vici feminae rogabunt:
'Quaenam illa sit, quae texit?'
Te decebit respondere:
75 'Mea cara telam texit,
pulsat pectine dilecta.
Num est tela male facta,
pecten vitia permisit?'
'Non est tela male facta,
80 pecten vitia non fecit:
est ut Luna texuisset,
Solis filia filasset,
Ursae virgo vigilasset,
Stellae virgo confecisset.'

85 O tu sponse iuvenilis,
coniux corpore decoro!
Cum iam eris hinc profectus,
cum reliqueris hanc domum
virgine cum iuvenili,
90 pupula cum tua pulchra,
caveas, ne tuam caram,
hanc amatam avicellam,
vehas contra ripas ruptas
vel in angulos saeptorum
95 neu subvertas super truncos
neve pellas super petras!
Virgo numquam apud patrem,
matris areis in almis
contra ripas fuit vecta
100 vel in angulos saeptorum
nec in trunculos subversa
nec in petras male pulsa.

O tu sponse iuvenilis,
coniux corpore decoro!
105 Caveas, ne tuam vehas
neu dilectam dulcem ducas,
latebris ut delitescat,
angulis ut abscondatur!
Virgo numquam apud patrem,
110 apud atria materna
in latibulis latebat
olim angulis occulta:
assidebat ad fenestras,
atrium perambulabat
115 patri vesperi dilecta,
mane matri suae cara.

Caveas, miselle sponse,
ne hanc tuam avicellam
callas facias pistare,
120 corticulam triturare,
panem paleis parare,
pini corticem pinsare.
Virgo numquam apud patrem,
matris areis in almis
125 callas debuit pistare,
corticulam triturare,
panem paleis parare,
pini corticem pinsare.
Ducas tuam avicellam
130 in collinam frumentorum,
ut ex cumera secale
hordeumque sibi sumat,
percoquat ut crassum panem,
zythum faciat perite,
135 paret panem de frumento,
fingat manu magnam massam!

Sponse noster, vir venuste,
cave, ne hanc avicellam,

hanc anserculam amatam,
140 flere cogas contristatam!
Veniat si maeror mentis
et puella contristetur,
equo fulvulo frenato
aut albicomo parato
145 fac, ut visat villam patris,
domum dulcis genetricis.
Caveas, ne pupam pulchram,
hanc amatam avicellam,
teneas ut tuam servam,
150 mercennariam ancillam;
ne prohibeatur cella
nec a penu sit exclusa!
Virgo numquam apud patrem,
matris areis in almis
155 habebatur sicut serva,
mercennaria conducta;
cella non prohibebatur
nec exclusa fuit penu:
panem album desecabat,
160 ova semper inspectabat
prope tina lactis plena,
iuxta dolia zythorum;
mane cellas recludebat,
rursus vesperi claudebat.

165 O tu sponse iuvenilis,
coniux corpore decoro!
Bene virgine tractata
audies et ipse bene:
socerum cum visitabis,
170 socrum unicam dilectam,
te cibatu satiabunt,
cum cibatu tum potatu;
equus tuus disiungetur
et in stabula ducetur,
175 potus dabitur et pastus,
afferentur et avenae.

Caveas ne hanc puellam,
hanc amatam avicellam,
dicas esse sine stirpe,
180 sine gente generosa!
Habet nempe nostra sponsa
magnam stirpem, amplam gentem:
sato modio fabarum
una cuique faba fiat,
185 sato modio linorum
unus cuique caulis crescat.

Caveas, miselle sponse,
ne puellam male mulces
neu flagelles velut servam
190 saeva scutica sonante,
virga quincupla stridente,
crepitante sub taberna.
Numquam antea puella,
numquam fuit apud patrem
195 velut serva verberata
saeva scutica sonante,
virga quincupla stridente,
crepitante sub taberna.
Tuam muni sicut murus,
200 stans erectus, ut stat postis:
ne ferire sinas socrum
neve socerum culpare,
persequi neu peregrinum
neu vicinum violare.
205 Domi iubent te ferire,
volunt eam vapulare:
at tu miserae nolito
tuae dulci durus esse,
quam tres annos ambivisti,
210 tibi semper petivisti!

Da consilia puellae,
sponse, mone tuum mălum,
da consilium in lecto,
mone foribus occlusis,
215 unum annum utrobique,
primum annum viva voce,

tuis oculis secundum,
dein terra pede pulsa!
Et si rebus his neglectis
220 non curaverit parere,
cape cannam de canneto,
equisaetum fer de tesquis.
Da consilia puellae,
ita mone quartum annum,
225 ut perstringas eam canna,
caule caricis contingas;
nondum ferias flagello
virginem neu virga caedas!

At si rebus his neglectis
230 non curaverit parere,
sume virgam ex virgeto,
betullinam de convalle
– fer sub limbo vestimenti
nescientibus vicinis –:
235 fac, ut videat puella,
minitare, ne ferito!
Et si rebus his contemptis
non curaverit parere,
virga virginem doceto,
240 mone ramo betullino
quadriangulis in cellis,
in conclavibus muscosis,
nec in campo castigato
nec in finibus agrorum:
245 vicus audiat rumorem,
rixam domus aliena;
fletus feminae vicinis,
clamor procul proferatur.

Umerulos semper ure,
250 clunes virgis verberato;
cave strinxeris ocellos
vel auriculas puellae:
tumor veniat in frontem,
super oculum livedo.
255 Tum interroget cognata,
socer secum arbitretur,
admirentur aratores
atque rideant vicinae:
'Utrum haec in bello fuit
260 et in pugnis ambulavit,
an a lupo lacerata
et ab urso fuit rapta,
an est lupus eius sponsus,
ursus comes coniugalis?' "

265 Erat senex super furno,
vagabundus ad fornacem.
Ait senex super furno,
vagabundus a fornace:
"Caveas, miselle sponse,
270 feminae ne geras morem,
illi, vocis alaudinae,
ut misellus quondam gessi!
Carnes emi, panes emi,
zythum emi butyrumque,
275 omne genus pisces emi
et obsonia diversa,
zythum patrium paravi
et frumentum peregrinum.

Neque tamen bonam cepi
280 neque repperi modestam.
Cum in atrium intraret
crines meos arreptura,
vultum male distorquebat,
suos oculos versabat;
285 increpabat indignata,
iracunda rixabatur
esse clunibus me crassis,
sicut stipitem, tam stultum.
Recordatus rationem
290 viam aliam tum vidi:
dum betullae ramum frango,
iam me suum amplexatur;
dum iuniperum decerpo,
iam adorat ut amatum;

295 salice dum illam seco,
iam est collum complexura."

Virgo misera suspirat,
et suspirat et anhelat,
iam in lacrimas prorumpit.
300 Verbum facit, ita fatur:
"Est profectio propinqua,
adest aliis discessus,
mea vero plus propinqua,
mihi quidem magis adest,
305 quamvis grave sit abire
et difficile disiungi
ab hoc vico bene noto,
de hac mea domo dulci,
ubi crevi pulchra pupa
310 et surrexi satis bene
totum tempus iuvenile
et dimidium aetatis.

Numquam antea putabam
nec quo tempore credebam,
315 non putabam discessuram,
non credebam abituram
me de clivis huius collis,
humeris de huius iugi.
Iam me puto profecturam,
320 iamque credo, dum discedo:
pocula sunt vacuata,
zythum haustum ad digressum,
iam est trahea conversa:
temo viam, tergum domum,
325 unum latus nubilare,
alterum bovile spectat.

Quonam modo, discessura,
misera quo, profectura,
quo compenso lac maternum,
330 bonitatem mei patris,
caritatem quo fraternam,
amicitiam sororis?

Grates ago tibi, pater,
me quod adhuc aluisti,
335 datis dapibus nutristi
escis optimis oblatis.
Grates ago tibi, mater,
quod me cunis cunulasti,
parvam sinu tenuisti,
340 me mamillis lactitasti.
Adhuc grates ago fratri,
ago fratri sororique,
grates dicam toti stirpi,
cunctis meis coalumnis,
345 una quibus vitam vixi,
adolescens adolevi.

Noli nunc, mi pater care,
noli, mea mater alma,
noli, cetera stirps magna,
350 meum genus gratiosum,
ideo sollicitari
aut magnopere maerere,
quod in terras alienas,
alio sum abitura!
355 Dies splendeat divinus,
luceat divina luna,
micent stellae firmamenti,
ursae sidus extendatur
et remotius sub divo,
360 alibique hoc in mundo,
nec in areis his solis,
solis sedibus nativis.

Proficiscor nunc profecto
de hac mea dulci domo,
365 ab hac aula mei patris,
de materna mansione.
Linquo terras et paludes,
linquo cortem graminosam,
linquo limpidos liquores,
370 linquo ripas sabulosas
feminis ad balneandum,

armentariis ad nandum.
Calcent alii paludes,
tempus terant his in terris,
375 in alnetis nihil agant,
gradiantur in ericis,
iuxta saepem spatientur,
ambulent per angiportus,
circumcurrant in cohorte
380 ad parietesque restent,
tabulatum bene tergant,
scopis purgent pavimentum.
Cervi currant per hos campos,
lynces peragrent per saltus,
385 habitent in agris aucae,
ludant volucres in lucis.
Proficiscor hinc profecto
alio cum abituro
ut in noctem autumnalem,
390 super glaciem vernalem,
ubi pes non premit signum
nec vestigia videntur
nec in nive gonnae textus,
vestis limbus, linquit tractum.

395 Rursus postea reversae,
domum meam redeuntis
mater audiet non vocem,
pater sentiet non fletum,
licet plangam super fronte,
400 super vertice suspirem:
iam surrexerit virectum,
creverit iuniperetum
in nutricis meae membris
et in genis genetricis.
405 Rursus postea reversam
in has areas tam amplas
alii me non agnoscent,
non agnoscent nisi duo:
imum vimen saepimenti,
410 palus in postremo campo,
quem defixi iuvenilis,
virgo volui viere.

Vacca sterilis materna,
cui puella dedi potum,
415 quam vitellam educavi,
mugiet mugitu rauco
areis in cortis amplis,
stans in solo glaciali:
illa me cognoscet esse
420 filiam familiarem.
Equus vetulus paternus,
ego parvula quem pavi,
quem puella saginavi,
hinniet hinnitu rauco
425 areis in cortis amplis,
stans in solo glaciali:
esse me cognoscet ille
filiam familiarem.

Canis vetulus fraternus,
430 infans ego quem cibavi,
quem institui puella,
allatrabit voce rauca
areis in cortis amplis,
stans in solo glaciali:
435 esse me cognoscet ille
filiam familiarem.
Alii me non agnoscent
domum meam redeuntem,
licet pristini sint portus,
440 domicilia priora,
eadem piscosa freta,
ubi retia ducuntur.

Tibi, domus, valedico,
domus, tecto tabulato!
445 Dulce denuo venire,
bellum erit remeare.
Vestibulo valedico
pavimento tabulato!
Dulce denuo venire,
450 bellum erit remeare.

Tibi, cohors, valedico,
valedico tuis sorbis!
Dulce denuo venire,
bellum erit remeare.
455 Vobis cunctis valedico:
baciferis silvis, arvis,
viculis cum vestris herbis,
campis consitis ericis,
aquis, insulis centenis,
460 fretis piscibus refertis,
collibus cum arboretis
vallibusque cum betullis!''

Inde faber Ilmarinen
virginem in currum cepit;
465 ferit ferula veredum,
verbum facit, ita fatur:
''Lacus, litora, valete,
lacus, limites agrorum,
cuncta collium pineta,
470 pini piceae procerae,
pone domum prunuletum,
iuniperi iuxta fontem,
omnes et bacarum caules,
caules, calami fenorum,
475 salices abietesque,
alni frondes et betullae!''

Ita faber Ilmarinen
liquit cortes Boreales.
Stabant pueri cantantes,
480 sic cantantes et dicentes:
''Advolavit ales ater,
alis saltum superavit:
is allexit avem nostram,
is illexit nostram bacam,
485 mālum nostrum sibi sumpsit,
piscem pelagi pellexit,
datis nummulis decepit
suis attrahens argentis.
Quis deducet nos aquatum,
490 quis ad fluvium adducet?
Loco hydriae manebunt
perticaeque percrepabunt;
tabulata non tergentur,
pavimenta non verrentur,
495 labra calicum squalebunt
manicaeque poculorum.''

Ipse faber Ilmarinen
cum puellula tenella
equo vehitur veloci
500 praeter oras Aquilonis
freta transiens mellita
atque colles arenosos.
Sonat pulvis glareosus
curru cito prolabente,
505 congemunt ferrata lora
patinique betullini
scapulo concrepitante;
arcus pruneus tremescit,
strident vimina temonis
510 et anelli dant tinnitus,
cum procurrit bonus equus
et quadrupedat citatus.

Vectus diem alterumque
vehitur vel tertiumque:
515 equum dextra moderatur,
laeva mulcet sponsae mammas,
unus pes ex curru pendet,
alter pes est pelle tectus.
Iter carpitur currendo
520 die prono prolabente.
Ita tertio dierum
demum sole decedente
domus fabri iam videtur,
eius atrium apparet.
525 Fumus ortus velut funis
et fuligo fugiebant,
fumus furni volvebatur,
usque nubila surgebat.

CANTIO XXV

Longum tempus exspectabant,
exspectabant, prospectabant,
venientem sponsae pompam
domum Ilmarinis fabri:
5 senum oculi destillant
assidentium fenestris;
genu iuvenum curvatur
exspectantium ad portas;
algent pedes liberorum,
10 parietibus dum adstant;
virum calcei teruntur
gradientium in ripis.

Aliquot diebus actis
quodam mane, matutino,
15 audiunt de silva sonum,
trahae crepitum de tesquis.
Lokka, femina formosa,
mitis mulier, matrona,
verbum facit, ita fatur:
20 ''Currus is est mei nati!
Iam de Borea revenit
cum puellula tenella!
Veni has in terras versus,
areis his appropinqua,
25 tuis domibus paternis,
a parentibus paratis!''

Ille faber Ilmarinen
revenit iam suam domum,
in areolas paternas,
30 a parentibus paratas.
Sunt perdices garrientes
in trahali currus arcu,
sunt cuculi cuculantes
in priore trahae parte,
35 sunt sciuri pervagantes
in acerneo temone.

Lokka, femina formosa,
mitis mulier, matrona,
ibi facit illa verba,
40 loquitur et ita fatur:
''Vicus lunam exspectavit,
ortum solis iuniores,
liberi matura fraga,
aqua barculam picatam;
45 ego lunam non curavi
nec omnino solis ortum:
exspectavi meum natum,
meum natum, meam nurum.
Quaero mane vesperique
50 nescia, quo sit elapsus,
nutriatne nimis parvam
an crassificet exilem,
cum non adhuc sit reversus,
quamquam firmiter promisit
55 se venturum permanente
pedis signo, non frigente.

Semper mane prospectavi,
die mecum cogitavi:
'Cur non currit currus nati,
60 traha filii fragosa

in has areas angustas,
in has cortes coartatas.
Etsi macer esset equus
et duobus scapis currus,
65 eum quoque comprobarem,
pictam traheam putarem,
veheret si meum natum,
domum ferret si formosum.'
Id optavi vitam omnem,
70 totos dies exspectavi,
sic ut caput curvaretur,
crines plexi flecterentur
factis oculis oblongis:
reversurum meum natum
75 in has areas angustas,
in has cortes coartatas.
Denique vir ille venit,
tandem adest aliquando
cum puella rubicunda,
80 pulchra, facie formosa.

Sponse noster, vir venuste!
Solve capite stellatum,
fac ducatur bonus equus
in praesaepia priora,
85 ad avenulas assuetas!
Dic nostratibus salutem,
nobis dicas aliisque,
omni denique huic vico!
Omnibus sic salutatis
90 res referto referendas:
fuit via salutaris,
iter salvus effecisti,
cum ad socrum es profectus
et ad socerum dilectum?
95 Capta virgine vicisti,
hostis portas perrupisti,
castris virginis deletis,
parietibus perfractis,
ponte socrus superato
100 sedem soceri sumpsisti?

Nil requirens iam rem cerno,
nihil sciscitans iam scio:
salvus fecit suum iter,
viam validus confecit;
105 auca capta superavit,
portas hostium perrupit,
castra lignea deiecit
et parietes prostravit,
cum ad socrum advenisset
110 et ad socerum dilectum.
Tenet fulcam in tutela,
avicellam sub axilla,
puram possidet puellam,
candidulam sibi caram.

115 Quis mendacium hoc dixit,
malum nuntium quis misit
sponsum vacuum venisse,
equum frustra cucurrisse?
Sponsus vacuus non venit,
120 equus frustra non cucurrit:
est quod vehat noster equus
iuba candida decorus!
Sudat optimus caballus,
spumat equulus electus,
125 postquam pupam apportavit,
vexit virginem virentem.
Iam descendas, o decora,
e vehiculo, venusta!
Surge nemine iuvante,
130 nullo viro te levante,
si sit iuvenis adiutor,
si levator sit elatus!

Cum descenderis de curru,
traha denique relicta
135 gradum fer per viam fuscam,
per subfulvum terrae solum,
quod a porcis est politum,
a porcellis proculcatum,
a pecoribus pertritum,

140 equi crinibus fricatum!
Ambulato sicut auca,
pedibus cum anatinis
per has areas ablutas,
per has cortes complanatas,
145 has a socero paratas
et a socru constitutas,
ubi frater fabricatur,
ubi prata sunt sororis.
Scalis pede proculcatis
150 in vestibulum intrato,
per vestibulum venustum
dein intus ire pergas
subter culmen hoc sublime,
subter speciosum tectum!

155 Iam per hiemem hanc totam,
immo proximam aestatem
pavimentum crepitabat,
ut venires spatiatum;
tectum aureum tonabat,
160 ut sub tecto tu substares;
id fenestrae laetabantur,
quod ad eas assideres.
Iam per hiemem hanc totam,
immo proximam aestatem
165 manubria flagitabant
manum tuam anulatam,
limina desiderabant
vestis limbo te venustam,
fores semper id sperabant,
170 ut venires reseratum.
Iam per hiemem hanc totam,
immo proximam aestatem
te conclave cogitabat,
ut adesses ad tergendum,
175 te vestibulum volebat
ad vestibulum verrendum,
nubilaria manebant
manum, scopas quae teneret.
Iam per hiemem hanc totam,
180 immo proximam aestatem
area te clam avebat
assulas ad asportandas;
cunctae cellae cupiebant,
ut in eas gradereris;
185 cuncta tigna curvabantur
nuptae vestibus gravata.
Iam per hiemem hanc totam,
immo proximam aestatem
semitae te suspirabant,
190 ut incederes in eis;
te bovilia poscebant,
ut purganda purgarentur;
angiportus aspirabant
ad aviculam amatam.

195 Iam hic die hodierno,
immo die hesternoque
vacca mane mugiebat
volens fenum matutinum;
pullus equus hinniebat,
200 feni fascis ut ferretur;
agnus vernus balabundus
bonum pabulum petebat.
Iam hic die hodierno,
immo die hesternoque
205 veteres ad fenestellas,
liberi per totum litus,
ad parietes puellae
iuvenesque iuxta postes
novam nuptam exspectabant,
210 sponsam opperiebantur.

Salve, pompa populosa,
cohors cunctis cum convivis!
Salve, porticus oppleta,
porticus cum tota turba!
215 Vestibulum plenum, salve,
salve, tectum corticatum,
atrium refertum, salve,

centum axibus aptatum!
Salve, luna, rex, salveto,
220 omnes hospites, salvete!
Hic non fuit umquam ante,
neque quondam neque nuper,
coetus ita speciosus,
pompa pulchra sicut nostra.

225 Sponse noster, vir venuste!
Tolle sponsae rubrum pannum,
solve sericum velamen!
Monstra nobis tuam martem,
quam quinquennium petisti,
230 annos octo spectavisti!
Appetitam attulisti?
Tu cuculum cupivisti,
sponsam candidam electam,
rubicundam novam nuptam.
235 Nil requirens iam rem cerno,
nihil sciscitans iam scio:
huc cuculum attulisti,
in tutela tua fulcam,
viridissimam virgarum
240 de viridulo virgeto
floridissimamque frondem
de floridulo pruneto."

Parvulus in pavimento
puer ita fere fatur:
245 "Vae te, frater, quam vexisti!
Est ut truncus resinosus,
ut doliolum, tam longa,
alta, sicut est alabrum!
Ecce tibi, miser sponse!
250 Totam vitam promisisti,
sponsam divitem dixisti,
locupletem, te laturum.
Iam cepisti copiosam:
– istam stupidam et stultam!
255 Ut corniculam palustrem,
bellam picam pulvinarem,
avem alias terrentem,
atram alitem cepisti!
Quidnam fecit totam vitam,
260 quidnam proximam aestatem,
cum non manicas texebat
neque cuiquam tibiale?
Sine donis est ingressa,
inops domum socrualem:
265 crepant eius in capsella
mures auribus erectis!"

Lokka, femina formosa,
mitis mulier, matrona,
ut has novas res audivit,
270 verbum facit, ita fatur:
"Quid, puerule, dixisti,
quid nugaris, infans nequam?
Aliae vituperentur
atque probris reprobentur,
275 at non nostra nova nupta
nec familiares nostri!
Iam dixisti malum verbum,
verbum pravum es profatus
ore vituli novelli,
280 velut capite canino!
Bonam sponsus sponsam cepit,
optimam uxorem duxit:
est ut baca mox matura,
velut fragula collina
285 aut in arbore cuculus,
avicella super sorbo,
pulchra pinnas in betulla,
avis aceris subalba.
De Germanis non cepisses,
290 trans Virones non vidisses
virginulam tam venustam,
tam amabilem aucellam
faciemque tam formosam,
tam magnificam figuram,
295 tales lacteos lacertos,
collum tenue procerum.

Nec inanis venit illa:
pelles habuit portandas,
pallia, post nobis danda,
300 vestes laneas vehendas.
Multum habet nostra nupta,
quod filavit suo fuso,
quod contorsit sua colo,
suit digitis cum suis:
305 multos candidos vestitus,
lautos tempore brumali,
exalbatos sole verno,
exsiccatos aestivali;
bona stragula de stuppa
310 pulvillosque mollicellos,
ricas sericas sescentas,
bona pallia complura.

Bona sponsa, pulchra sponsa,
candidula, rubicunda!
315 Audivisti bene domi
apud patrem iam innupta,
bene per aetatem audi
apud virum nurus nupta!
Non est, anxia cur fias,
320 nec cur curis anxieris!
In paludem non portata
nec ad rivulum es rapta;
fertili de loco ducta
locum in fertiliorem
325 et de domo zythi plena
es in pleniorem sumpta.
Bona nupta, pulchra sponsa!
Illud quidem te nunc rogo:
cum venires, vidistine
330 amplos mergitum acervos
cumulosque coniformes?
Qui sunt omnes huius domus,
sunt, quos sponsus hic paravit,
seminavit et aravit.

335 Virginula iuvenilis!
Ita quidem tibi dico:
ut novisti huc venire,
nosce nunc hic habitare!
Bene sponsula hic vives,
340 nurus belle nutrieris:
est in situla lac pressum
et in patina butyrum.
Bene vivet hic puella,
pupa belle nutrietur.
345 Bonae balnei sunt sellae,
atrii sunt ampla scamna,
pares domini sunt patri,
pares dominae sunt matri,
filii sunt tibi fratres,
350 pares filiae sorori.

Cumque venerit voluntas
vel invaserit cupido
piscium, quos cepit pater,
vel perdicum tui fratris,
355 tum ne petas a cognato
nec a socero preceris!
Pete statim a marito,
roga virum, qui te duxit!
Nulla fere reperitur
360 fera quadrupes in silva,
neque volucris in auris
volitans duabus alis,
nec in aquis quidem ullus
piscium grex optimorum,
365 quem non prendat tuus procus,
procus prendat, ductor ducat.

Bene vivet hic puella,
pupa belle nutrietur.
Non ad molas maturandum
370 nec pistillum est petendum:
aqua molit hic frumentum,
torrens subigit secale,
vasa fluctibus lavantur,
maris spumis eluuntur.

375 O hunc vicum praedilectum,
locum optimum in orbe!
Infra prata, supra campi,
vicus medius in illis;
infra vicum alma ripa,
380 apud ripam blandus liquor:
avicellam ibi nare,
ibi decet fulcam ferri."

Inde turba potum cepit,
cepit cibum, cepit potum,
385 copiosa carnis frusta
atque bellulas placentas
hordeaceumque zythum
et frumentum fermentatum.
Abundabant cibi cocti,
390 abundabant potiones
in scutellis rubicundis
et in ferculis formosis:
ibi crustula frangebant
et butyrum degustabant
395 et coregonos caedebant
et salmones dissecabant
cultris suis argentatis,
lamnis ferreis auratis.
Zythum gratis emanabat,
400 mulsum nummis non solutis,
zythulum ex summis tignis,
nectar etiam ex clavis,
zythum ad lavanda labra,
mulsum mentes ad iuvandas.

405 Quisnam ibi vates fiat,
cantor carminum probatus?
Vetus vates Väinämöinen,
incantator sempiternus,
ipse carmina suscepit,
410 ad cantandum est aggressus.
Verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
"Cari fratres et consortes,
comites collocutores,
415 mei socii sermonum!
Auditote mea verba!
Raro rostra iungunt aucae,
raro sunt sorores una,
raro frater est cum fratre,
420 coram fratre cum germano
in his finibus desertis,
agris tristibus Arctois.
Iamne cantum capiamus,
versus facere velimus?
425 Vates debet cantitare
et cuculus cuculare,
debent tingere tinctrices,
texere textrices telam.

Canunt liberi Lapponum
430 fenis calceos referti,
pasti carnibus alcinis
offulisque tarandrinis;
cur non ego quoque cantem,
cur non cantent nostri nati
435 siligine saturati,
cibis optimis oppleti?
Canunt liberi Lapponum
fenis calceos referti,
postquam aquam potaverunt,
440 panem pineum ederunt;
cur non ego quoque cantem,
cur non cantent nostri nati
post granosas potiones,
hordeaceos humores?
445 Canunt liberi Lapponum
fenis calceos referti
apud foculos fumosos
in carboneo cubili;
cur non ego quoque cantem,
450 cur non cantent nostri nati
sub hoc culmine sublimi,
sub hoc tecto specioso?

Bene homines hic vivunt,
degunt feminae felices
455 iuxta dolia zythorum,
prope tina mulsi plena;
adsunt aquae hic piscosae,
sedes adiacent salmonum:
cibus sufficit edenti
460 neque desunt potiones.
Bene homines hic vivunt,
agunt feminae felices.
Hic non estur cum dolore
neque vivitur cum curis;
465 sine doloribus hic estur
viviturque sine cura,
donec dominus hic vivat
et sit domina superstes.

Utri dicam primas grates,
470 dominone, dominaeve?
Semper veteres virorum
primas domino dixerunt:
aedibus in silva factis
domum dominus construxit,
475 attulit robustos truncos,
amputatas altas pinos,
posuit in bono loco,
loco stabili locavit,
atrium ut amplum genti
480 fieret et domus pulchra;
truncos secuit de silva,
trabes arduo de monte
asseresque de saxeto,
tigna torridis de tesquis,
485 cortices de colle celso,
muscos segnibus de stagnis.

Domus diligenter facta
est et loco collocata.
Viri centum contignabant,
490 mille tectum contegebant,
cum haec domus strueretur,
pavimentum pararetur.
Verum tamen cum hanc domum
erus hic aedificaret,
495 coma ventum saepe sensit,
crinis caelum conturbatum.
Bonus dominus hic crebro
manicas in saxo liquit,
pileum in pini ramo,
500 mersit calcias in stagno.

Bonus dominus hic crebro
oriente luce prima,
ceteris non excitatis,
vico nihil audiente
505 apud ignem foris factum
suscitatus est sub divo
ramo caput pectinante,
rore lumina lavante.
Ergo dominus hic bonus
510 habet hospites in domo,
scamna plena cantatorum,
viros laetos sub fenestris;
magi sunt in pavimento
et venefici post furnum,
515 ad parietes adstantes,
ambulantes apud saepta
vel per areas vadentes
vel vagantes huc et illuc.

Primo dominum laudavi,
520 dein dominam benignam
ob has epulas paratas,
ob instructam longam mensam.
Illa panes crassos coxit,
massam manibus definxit,
525 suis manibus peritis,
decem digitis recurvis;
panes protulit benigne
hospitesque satiavit
largiter suina carne,
530 bene turgidis placentis

– lamnae cultris solvebantur
manicaeque de machaeris,
cum salmones secabamus
et esoces scindebamus.
535 Saepe domina haec bona,
diligens haec dispensatrix
sine gallo sua sponte
lectum linquere sciebat
his in nuptiis parandis,
540 operibus operandis,
in fermentis faciendis
et cervisiis coquendis.

Bene domina haec bona,
diligens haec dispensatrix
545 zythum coquere cognovit,
bonum potum fermentare
ptisanis de dulcoratis,
maltis bene mitigatis,
quos non ligno commiscebat
550 neque pertica vertebat,
sed miscebat sua manu,
suis bracchiis versabat
fumis balnei dispersis,
tabulato bene terso.
555 Neque domina haec bona,
diligens haec dispensatrix
sinit germen glomerari,
bonas ptisanas corrumpi;
petit balneum frequenter
560 media de nocte sola
nec ob lupos est in luctu
neque bestias veretur.

Iamque dominam laudavi;
mane, pronubum laudabo!
565 Pronubus quis est creatus,
quis dux nuptiarum ductus?
Pronubus est vir electus,
dux fortuna huius vici!
Habet pronubus hic noster
570 bonam tunicam externam:
est angusta sub axilla,
circa cingulum decora.
Habet pronubus hic noster,
strictam laneam lacernam:
575 limbo sabulum destringit,
tergo tangit terrae solum.
Et camisiae pauxillum,
pars pusillula videtur:
est ut Luna texuisset,
580 pectus stagno decorata.

Habet pronubus hic noster
zonam laneam subtilem,
texuit quam Solis virgo,
ungues picta pinxit acu,
585 nondum ignibus inventis,
ignis cum ignorabatur.
Habet pronubus hic noster
pedes bene sericatos
fasciis cum sericatis,
590 periscelides de panno,
quae sunt auro variatae
et argento decoratae.
Habet pronubus hic noster
bonos calceos consutos,
595 velut cygnos fluviales,
anates in aquae ripis
aut ut anseres silvestres,
aves nemoris migrantes.
Habet pronubus hic noster
600 crispos aureos capillos,
barbam auream conexam;
portat galeam erectam,
quae per nubila levatur
et resplendet inter silvam,
605 quam non emas marcis centum
nec merceris mille nummis.

Iamque pronubum laudavi;
mane, pronubam laudabo!

Unde pronuba provenit,
610 ubi felix est inventa?
Inde pronuba provenit,
ibi felix est inventa,
trans Revaliae castellum,
ultra castrum nuper factum.
615 At non illa venit illinc,
rumor fictus est nec verus!
Inde pronuba provenit,
ibi felix est inventa,
Duinensibus ab aquis,
620 ubi freta sunt aperta.
At non illa venit illinc,
rumor fictus est nec verus!
Crevit fragula terrestris,
baca russula campestris,
625 gramen prati gratiosum,
flos auricolor agrorum:
inde pronuba provenit,
ibi felix est inventa.

Est os pronubae decorum,
630 sicut radius textricis;
eius oculi scintillant,
sicut sidera caelorum;
pronubae frons ita lucet,
ut lux lunae super mare.
635 Habet pronuba haec nostra
cirros aureos in collo,
comam capitis auratam,
habet aureas armillas
anulosque deauratos
640 et inaures inauratas,
nodos aureos in fronte,
in palpebris margaritas.
Lunam credidi lucere
eius fibula lucente;
645 solem credidi splendere
patagio resplendente,
vela credidi candere
eius mitrula candente.
Iamque pronubam laudavi;
650 sinas, spectem totam turbam,
si sit populus paratus,
si sint veteres venusti
atque iuvenes iucundi,
cunctus coetus speciosus!
655 Iam spectavi totam turbam,
forsan rem iam praesciebam:
hic non fuit umquam ante
neque postea parebit
coetus ita speciosus,
660 pompa pulchra sicut nostra,
viri veteres venusti,
iuvenes iucundiores.
Omnes candidis vestiti,
sicut silva pruinosa
665 aut ut albicat aurora,
primum lumen matutinum.
Et argentum abundabat
in his nuptiis et aurum,
erant capsulae per campos
670 et crumenae iuxta vicos
his hospitibus vocatis
in honorem nuptiarum."

Vetus vates Väinämöinen,
auctor versuum aeternus,
675 inde traheam ingressus
versus domum est profectus;
cantat suas cantiones,
cantat, cantu multum valet.
Canit carmen alterumque
680 – tertia cum cantione
patinus in petram tinnit,
scapus stipitem attingit:
vatis currus est confractus,
ruptus patinus cantoris,
685 scapus fractus cum fragore,
trahae latera laxata.

Tum vetustus Väinämöinen

verbum facit, ita fatur:
''Num quis ex hac iuventute,
690 ex hoc populo, qui crescit,
aut ex nostra senectute,
ex hac gente, quae decrescit,
in Infernum velit ire,
Mortis atrium in atrum,
695 terebellum deportatum,
furfuraculum a Morte
ad parandam novam traham,
vehiculum reparandum?''

Dein dicunt iuniores
700 et vetusti sic respondent:
''Non est in hac iuventute
nec in senectute quidem
nec in nostra tota stirpe
ullus heros ita fortis,
705 ineat ut in Infernum,
Mortis atrium in atrum,
terebellum deportatum,
furfuraculum a Morte
ad parandam novam traham,
710 vehiculum reparandum.''

Tum vetustus Väinämöinen,
incantator sempiternus,
iterum it in Infernum,
Mortis atrium in atrum.
715 Terebellum deportavit,
furfuraculum a Morte.
Dein vetus Väinämöinen
silvam caerulam cantavit,
intra silvam quercum celsam
720 atque sorbum opportunam;
traheam ex illis fecit
patinosque comparavit,
sumpsit scapulos trahales
et curvavit novum arcum.
725 Ita facta nova traha
vehiculum reparavit.
Frenos inicit caballo
fulvo, curru quem subiungit;
ipse traham est ingressus,
730 in vehiculum descendit.
Equus verbere non tactus
celer currit sine virga
in priores suos pastus
et ad pabulum assuetum;
735 vexit senem Väinämöinem,
vatem illum sempiternum,
ante ianuam ipsius
et domesticum ad limen.

CANTIO XXVI

Ahti vivit Insulanus
promunturio sub longo.
Accidit, ut tum araret,
solum vomere sulcaret.
5 Erat auribus acutis,
vir auditu nimis acer.
Audiit a vico voces
et clamores ultra lacum,
pedes audiit pulsare
10 atque trahas crepitare.
Coepit secum cogitare,
sic in mente suspicari:
nuptias in Aquilone
clandestinas celebrari!

15 Torquet vultum, versat caput,
crines torvulos contorquet;
male sanguines fugerunt
viri genis de misellis.
Statim vomere reiecto
20 sulcum medium reliquit
et, cum equum ascendisset,
domum versus est profectus
ad ipsius almam matrem,
suam caram genetricem.
25 Ait, eo cum venisset,
cum ingressus esset, dixit:
''Vetus mulier, o mater!
Mihi cibum celerato,
ut esuriens vir edam,
30 cibum sumam vir ieiunus!
Cito balneum parato,
atrium fac calefiat,
ubi homo mundus factus
heros optimus evadat!''

35 Mater illa Lemminkäinis
cibum fecit festinanter,
ederet ut vir famescens,
cibum sumeret ieiunus,
balneum cum calfiebat
40 lavacrumque parabatur.
Tum lascivus Lemminkäinen
celeriter cibum sumpsit;
idem balneum ingressus
in lavacrum mox intravit.
45 Ibi lavat se fringillus,
ales almus sic mundatur,
ut sit crinis sicut linum
atque candeant cervices.
Post lavacrum domum intrat.
50 Verbum facit, ita fatur:
''Vetus mulier, o mater!
Pete cellulam collinam,
affer inde bellum cultum,
porta bona vestimenta,
55 induam quas mihi vestes,
quibus velem mea membra!''

Mater quaerere maturat,
vetus femina rogare:
''Quonam es nunc profecturus?
60 Esne lyncem petiturus
an assecuturus alcem,

an sciurum feriturus?"
Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
65 "Mater, quae me peperisti!
Non sum lyncem petiturus
nec assecuturus alcem,
non sciurum feriturus;
epulas in Boreales,
70 in convivium abibo.
Affer mihi bellum cultum,
vestimenta meliora,
meas vestes nuptiales
habitumque convivalem!"

75 Mater filium vetabat,
uxor virum prohibebat,
prohibebant duae deae
tresque nymphae tutelares,
ne lascivus vir abiret
80 epulas in Boreales.
Mater filio sic fatur,
parens puero locuta:
"Noli, fili, proficisci,
o mi fili, care Kauko,
85 epulas in Boreales,
in convivium multorum!
Non es illis invitatus,
non te volunt advenire."
Vir lascivus Lemminkäinen
90 verbum facit, ita fatur:
"Meant miseri vocati,
bonus nemine vocante!
Hic sunt invitationes
nuntiique sempiterni
95 in hoc igneo mucrone,
in hoc gladio nitenti."

Mater illa Lemminkäinis
usque voluit vetare:
"Minime, mi fili care,
100 petas nuptias Arctoas!
Multa monstra sunt in via,
in itinere res mirae,
tres sunt ibi res funestae,
tres quae parant viro mortem."
105 Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
"Funus feminae verentur,
mortem omnibus in locis;
at vir minime turbatur
110 neque nugas perhorrescit.
Verum tamen nunc profecto,
dic, ut auribus auscultem:
quale funus erit primum,
quale primum et postremum?"

115 Ait mater Lemminkäinis,
vetus femina respondit:
"Dicam res pro veritate
nec pro viri voluntate.
Primum funus tibi dicam.
120 Primum funerum est tale:
viae paululum progressus,
iter unius diei,
flumen igneum habebis
viam faciens transversum.
125 Igneus in illo torrens,
igneae torrentis cautes,
arx in cautibus ignita,
ales igneus in arce:
dentes acuit per noctes,
130 ungues asperat per dies
peregrino venienti,
propinquare cupienti."

Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
135 "Id mulieris est funus
nec interitus herois.
Recordabor rationem,
sciam optimam medelam:
canam alneum caballum,

140 canam alneum heroa,
qui me transeat in via
et vehentem praevehatur;
sicut anas me mersabo,
instar clangulae, sub aquam,
145 vitans ungues aquilinos,
pedis digitos falconis.
Mater, quae me peperisti!
Funus medium narrato!"

Ait mater Lemminkäinis:
150 "Funus medium est tale:
viae paululum progressus,
iter alterum diei,
fossam igneam transversam
viam faciens videbis;
155 versus ortum est immensa,
infinita versus caurum,
saxis fervidis referta
et lapidibus ignitis.
Inciderunt viri centum,
160 multa milia heroum,
centum viri gladiati,
mille ferrei caballi."

Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
165 "Non est ibi funus viri
nec interitus herois.
Recordabor rationem,
rationem et medelam:
hominem de nive canam,
170 virum faciam nivalem,
quem in ignis-potestatem
inferam, in feras flammas,
balneet ut calefactus
virgis aereis ornatus;
175 eum ego praetervectus
ignem ita pertransibo,
ut ne barbam quidem urat
neque torreat cincinnos.
Mater, quae me peperisti!
180 Funus ultimum narrato!"

Ait mater Lemminkäinis:
"Funus tertium est tale:
adhuc paululum prodibis,
iter unius diei,
185 prope portam Borealem,
angiportum in angustum:
irruet in te tum lupus
urso comite currente
prope portam Borealem,
190 in artissimo vicorum.
Qui comedit viros centum,
mille perdidit heroas:
cur non comedat te quoque,
cur non sternat indefensum?"

195 Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
"Ovicula comedatur,
recens pecus rescindatur,
at ne peior quidem homo
200 nec pigerrimus virorum!
Sum virili cinctu cinctus,
vinctus balteo virili,
viri fibulis astrictus,
ut non adhuc mihi vacet
205 ore lupi lacerari
maxillisque malignorum.
Contra lupum cautionem
et in ursum rem recordor:
lupos faciam frenatos,
210 ursos cantu catenatos
aut in paleas perfringam,
in particulas dispergam.
Illis ita liberatus
potero iam pervenire."

215 Ait mater Lemminkäinis:
"Illuc nondum pervenisti!

Haec fuerunt viatori
in itinere res mirae,
tria maximaque monstra,
220 tria funera virorum;
aderunt pervenienti
monstra multo tristiora.
Venies post iter breve
in cohortem Borealem:
225 saepta ferrea sunt facta
chalybeiaque claustra
et de terra caelum usque
et de caelo terram usque;
lanceae sunt saepis pali,
230 vermes perticae transversae,
viperae sunt pro vimentis,
ligamenta sunt lacertae;
pendent caudae viperinae,
capitones colubrini,
235 calvae rauca sibilantes;
caput foris, intus cauda.

Angues alii sunt humi,
crebri colubri, serpentes:
strident linguis suis sursum,
240 caudas sinuant deorsum.
Unus saevior est serpens
apud aditum transversus,
longior quam domus tignum,
tecti crassior columna
245 stridens lingua sua sursum,
sursum inhians susurro
contra neminem misellum,
nisi contra te misellum."

Tum lascivus Lemminkäinen,
250 Kaukomieli, homo bellus:
"Idque funus est infantis
nec interitus herois.
Ignem possum incantare
et placare feras flammas,
255 possum angues adiurare,
vermes cantibus versare.
Nuper, lumine hesterno,
agrum anguium aravi,
agrum verti viperinum
260 maniculis meis nudis.
Angues unguibus tenebam,
meis manibus serpentes;
denas viperas delevi,
nigras colubras centenas:
265 manus madent et cruore,
ungues sebo serpentino.
Ideo vix sum futurus,
fieri nec mihi vacat
esca vermis vehementis,
270 praeda viperae vehenda:
ipse malos manu frangam,
male comprimam malignos,
viperas de via canam,
vermes iuxta viam vertam,
275 de cohorte Boreali
demum atrium intrabo."

Ait mater Lemminkäinis:
"Minime, mi fili care,
petas aulas Aquilonis
280 sedes seu Sariolanas!
Ibi viri sunt praecincti
armis bellicis, heroes,
vinolenti viri mali,
postquam multum potaverunt.
285 Incantabunt te misellum,
ut mucrone moriaris;
incantare meliores,
te maiores valuerunt."

Tum lascivus Lemminkäinen,
290 Kaukomieli, homo bellus:
"Vixi quidem vir iam pridem
atriis in Aquilonis.
Lappo me non incantabit
nec detrudet Turjalanus;

295 ipse decanam Lapponem,
Turjalanum ita trudam,
ut umeruli scindantur,
mentum male maceretur,
patagium diffindatur
300 osse pectoris perrupto."

Ait mater Lemminkäinis:
"Vae te, mi miselle nate!
Adhuc rerum recordaris,
gloriaris tuis viis!
305 Nam vixisti quidem pridem
atriis in Aquilonis:
cuncta stagna natavisti,
cynoglossos cognovisti
ruens praeceps per torrentes,
310 raptim flumine secundo,
atros amnes temptavisti
Mortis rivulos emensus!
Esses ibi hodieque,
nisi mater adfuisset.
315 Recordare mea verba!
Apud atrium Arctoum
collis palis est confertus,
cohors consita columnis;
ornant capita virorum
320 has columnas, praeter unam
– in columnae huius culmen
tuum caput infigetur!"

Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
325 "Vir vesanus vereatur,
improbus imaginetur
quinque, sex bellorum annos,
septem bellicas aestates!
Heros rebus his neglectis
330 prorsus nihil perturbatur.
Affer cultum militarem,
vestes veteres castrenses!
Ipse quaeram ferrum patris,
ensem eligam parentis;
335 longum frigus ferrum tulit,
diu degit in obscuro,
ibi flevit sempiterne
volens virum, qui se ferret."

Cepit cultum militarem,
340 vestes veteres castrenses,
patris gladium perennem,
parentis commilitonem.
Cuspidem in terra fixit,
aciem in pavimento:
345 flectitur in manu ferrum,
ut virescens virga pruni
aut iuniperus iuventa.
Tum lascivus Lemminkäinen:
"Vix in atriis Arctois,
350 sedibus Sariolanis,
huius ensis est emensor,
huius gladii probator."
De pariete desumpsit
arcum validum, de clavo.
355 Verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
"Illum habeam heroa,
putem esse virum fortem,
qui contendat meum nervum,
360 hunc incurvet curvum arcum
atriis in Aquilonis,
sedibus Sariolanis."

Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
365 sumpsit cultum militarem,
vestes induit castrenses.
Servum suum allocutus
verbum facit, ita fatur:
"O mancipium, mi serve,
370 quem pecunia paravi!
Meum equum maturato,
bellatorem adornato,

proficiscar ut in festum,
in convivium malorum!"
375 Servus humilis, submissus,
mox in aream egressus
frenos inicit caballo
rubro, curru quem subiungit.
Ait, inde cum venisset:
380 "Facienda sunt iam facta,
equus celer est ornatus,
currui caballus iunctus."

Iam lascivo Lemminkäini
tempus adest abeundi.
385 Dextra iubet, laeva vetat,
duri digiti compellunt.
Est profectus, ut volebat,
est profectus nec timebat.
Mater filio suadebat,
390 parens natum admonebat
apud ianuam, sub tigno,
ad caldarias contectas:
"O filiole dilecte,
nate, meum fulcimentum!
395 In convivium ingressus,
ubicumque sis locorum,
bibe poculum ex parte,
potum ad medietatem;
alteri pars relinquatur,
400 peior pars peiori viro,
inest enim scypho serpens,
vermis poculis in imis."

Adhuc filio suadebat,
ita natum admonebat
405 in confiniis agrorum,
apud postumam portarum:
"In convivium ingressus,
ubicumque sis locorum,
sedeas in parte sedis
410 prodeasque partem passus;
alteri pars relinquatur,
peior pars peiori viro.
Ita fortis vir evades,
inclaresces heros clarus
415 ad concilium agendum
et res tuas defendendas
in conventibus heroum
viris fortibus collectis."

Est profectus Lemminkäinen
420 in curriculo reclinis;
ferit ferula veredum,
verbere stridente stringit.
Coepit vehere veredus,
equus currere citatim.
425 Paulum temporis cucurrit
aliquantulum provectus:
vidit gregem lyrurorum.
Grex in aërem ascendit
et lyruri devolarunt,
430 cum occurreret caballus.
Mansit paululum plumarum,
pennae volucrum in via.
Quas collectas Lemminkäinen
ingerit in suum sinum:
435 nemo scit, quid sit futurum,
eventurum quid in via;
opus omnia sunt domi
tempore necessitatis.

Dein paululum provectus
440 iter fecerat pauxillum;
equus auribus arrectis
restitit iam inquietus.
Vir lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
445 in curriculo curvatur,
proclinatur ad spectandum:
est, ut mater eius dixit,
genetrix ut affirmavit!
Flumen labitur ignitum
450 praeter equum ex transverso.

Igneus in illo torrens,
igneae torrentis cautes,
arx in cautibus ignita,
ales igneus in arce:
455 eius guttur aestuabat,
rictus ignem effundebat,
plumae flammis coruscabant,
ut scintillae scintillabant.

Videt eminus Kaukonem,
460 longe distans Lemminkäinem:
''Quonam iter facis, Kauko,
Lempis fili, quo profectus?''
Tum respondit Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
465 ''Epulas in Boreales,
in convivium secretum.
Paululum de via cedas,
de hoc tramite declines,
progredi fac viatorem,
470 praesertimque Lemminkäinem,
ut te possit praeterire,
iter pergere permissus!''
Ales potuit profari,
flammivomus susurrare:
475 ''Viatorem venientem,
praesertimque Lemminkäinem,
faciam per meas fauces
et per ventrem praeterire:
te per eum via ducet,
480 abeas ut in aeternum
epulas in longiores,
ubi semper sedeatur.''

Nihil curat Lemminkäinen
neque nimis perturbatur.
485 Sinum tamen manu temptat,
suum sacculum rimatur,
sumit plumas lyrurorum;
eas leniter terebat
inter palmulam utramque
490 denis digitis inclusas:
nascitur grex lyrurorum,
magna tetricum caterva.
Aves aquilae proiecit,
dedit in feroces fauces,
495 in os alitis igniti,
in gingivulas voracis.
Ita rebus restitutis
primum diem iter fecit.

Ferit ferula veredum,
500 stringit verbere stridente.
Equus coepit tolutari,
cito currere caballus.
Aliquantulum provectus
paulum viae iam processit;
505 rursus equus emiratur,
fremitus dat et hinnitus.
In curriculo curvatur,
proclinatur ad spectandum:
est, ut mater eius dixit,
510 genetrix ut affirmavit!
Ignea videtur fossa
in itinere transversa;
versus ortum est immensa,
infinita versus caurum,
515 saxis fervidis referta
et lapidibus ignitis.

Nihil curat Lemminkäinen!
Invocat Ukkonem ita:
''Ukko, deus o supreme,
520 tu qui pater es caelestis!
Nimbum erigas ex cauro,
ex occasu fer secundum,
tertium ex oriente,
alium ab aquilone;
525 tum lateribus coniunctis
illos inter se collidas!
Pluas nives fustem altas,
ningas altas tam, quam hasta,

fervidas in illas petras,
530 in hos lapides ignitos!"

Ukko, deus is supremus,
vetus genitor caelestis,
nimbum erigit ex cauro,
ex occasu fert secundum,
535 excitat ex ortu nubem,
aliam ab aquilone;
eas uniter unitas
dein inter se collidit.
Pluit nives fustem altas,
540 ninxit altas tam, quam hasta,
fervidas in illas petras,
in hos lapides ignitos:
stagnum niveum est factum,
lacus gelidus formatus.
545 Tum lascivus Lemminkäinen
pontem canit glacialem
niveum per illud stagnum
ripis inter se coniunctis.
Sic periculo vitato
550 diem alterum processit.

Ferit ferula veredum,
stringit verbere stridente.
Coepit currere caballus,
equus cedere tolutim.
555 Mille passus bis cucurrit
equus fugiens electus;
inde restitit repente
neque loco iam movetur.
Vir lascivus Lemminkäinen
560 prosilit ad prospectandum:
adest lupus apud portam,
ursus vero stat in vico,
prope portam Borealem,
in extremis longis vicis.

565 Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
sinum suum manu temptat
atque sacculum rimatur;
sumit lanulas ovinas,
570 quas tranquille perfricabat
inter palmulam utramque
denis digitis inclusas.
Semel flat in suam palmam:
oves inde procurrerunt,
575 magna pecorum caterva
et grex grandis agnellorum.
Lupus insilit in illos
urso comite currente.
At lascivus Lemminkäinen
580 iter ilico perrexit.

Advenit post iter breve
aream in Borealem.
Saepta ferrea sunt facta
chalybeiaque claustra
585 centum passus intra terram,
mille passus versus caelum;
lanceae sunt saepis pali,
vermes perticae transversae,
viperae sunt pro vimentis,
590 ligamenta sunt lacertae;
pendent caudae viperinae,
capitones colubrini
vibrant ibi tremebundi;
caput foris, intus cauda.
595 Iam lascivus Lemminkäinen
ibi secum cogitabat:
"Est, ut mater mihi dixit,
gemens genetrix narravit;
istud saepimentum factum
600 est de terra caelum usque!
Serpit coluber demisse,
est demissior haec saepes;
volat volucris excelse,
haec excelsior est facta."

605 Attamen tum Lemminkäinen

non est nimis perturbatus.
Strinxit cultrum, quem gerebat,
e vagina ferum ferrum,
quo percussit saepimentum,
610 perticas in partes fregit;
saeptis ferreis apertis,
versis claustris viperinis
inter vimina vel quina
sive palos vel septenos
615 ipse protinus provectus
est ad portam Borealem.

Anguis vertitur in via,
apud aditum transversus,
longior quam domus tignum,
620 portae crassior columna.
Est centoculus is anguis,
monstrum mille fere linguis;
oculi sunt sicut cribra,
linguae lanceas adaequant,
625 dentes sunt ut rastri lignum,
dorsum par est septem scaphis.
Vir lascivus Lemminkäinen
aggredi tum non audebat
anguem oculis centenis,
630 monstrum mille fere linguis.

Ait autem Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
''Ater anguis subterrene,
serpens specie Letalis,
635 qui te torques inter fena
foliaque formidatus,
tu qui grumulos pertransis
et radices tortuosus!
Quis erexit te de fenis,
640 suscitavit desub herbis,
ut in terra proreptares
et in via te iactares?
Quis erexit tuum rostrum,
quis iubebat, quis monebat,
645 ut teneres caput tentum,
collum rigidum sublatum?
Utrum pater, anne mater
natu maximus an frater,
anne minima sororum,
650 an quis alius cognatus?

Nunc os claude, tege caput,
linguam lubricam absconde
et in spiras te collectum
flexu contrahe contorto!
655 Viam da vel viae partem,
qua praetereat viator!
Aut decede de hac via
inter frutices gressurus,
in ericas evasurus
660 vel in muscos te moturus,
innocens, ut mollis lana
aut populneum est lignum!
Caput caespite celato,
intra grumulos inferto
665 – est in caespite conclave,
tuum tugurium sub grumis –:
unde caput elevatum
utinam confringat Ukko
suis acubus acutis,
670 imbre ferreo suffuso!''

Ita dixit Lemminkäinen.
At non anguis oboedivit;
usque pergit sibilare
stridens lingua sua sursum,
675 sursum inhians susurro
contra caput Lemminkäinis.
Tum lascivus Lemminkäinen
meminit vetusta verba,
quae praecepit anus olim,
680 docuit ipsius mater.
Ait ergo Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
''Cum his non vis oboedire

neque paucis verbis pares,
685 mox dolore tumefactus,
turgidus diebus duris
dirumperis, dire serpens,
vel in partes tres frangeris,
cum parentem tuam petam,
690 advocabo genetricem.
Scio, spira, tuum ortum,
stirpem tuam, malum monstrum:
Syöjätär est tua nutrix,
maris dea tua mater.

695 Spuit Syöjätär in aquam,
spumam edidit in undas.
Eam ventus cunulavit,
flatus lenis agitavit,
cunulavit senos annos
700 et aestates per septenas
in extenso maris aestu,
fluctuantibus in undis.
Aqua longius produxit,
sol salivam mitigavit,
705 aestus appulit in terram,
unda movit usque litus.
Nymphulae tres praeteribant
litus maris aestuantis
prope fluctus personantes.
710 Quae salivam cum vidissent,
inter se sic sunt locutae:
'Quidnam fieret ex ista,
si Creator daret vitam,
Deus oculos crearet?'

715 Id Creator exaudivit;
verbum facit, ita fatur:
'Fieret ex malo malum,
daemon daemonis saliva,
si crearem isti vitam,
720 darem oculos in caput.'
Hiisi venit id auditum,
vir malignus prospectatum.
Ipse factus est creator;
dedit Hiisi vitam isti
725 spumae daemonis malignae,
Syöjätäris sputamento:
ita vertitur in vermem,
sic est ater anguis factus.

Unde cepit iste vitam?
730 Vita Hiisis est ex prunis.
Unde cor coniectum isti?
Syöjätäris cor coniectum.
Unde cepit cerebellum?
Fortis fluminis ex undis.
735 Unde sensus est serpentis?
Est ex aestibus torrentis.
Unde mali caput captum?
Factum est de mala faba.
Oculi de quo sunt orti?
740 Lini semine Lemponis.
Unde habet ater aures?
De foliolis Lemponis.
Unde rictus est directus?
Fibula de Syöjätäris.
745 Unde lingua sit ligata?
Est ex hasta Keitolainis.
Unde dentes sunt dementis?
Mortis hordei de spicis.
Unde genitae gingivae?
750 Mortis virginis gingivis.
Unde spina sit dorsalis?
Carbonaria de furca.
Unde cauda comparata?
Nexis crinibus Maligni.
755 Intestina quo sunt serta?
Cinctu Funeris sunt facta.
Talis fuit tuus ortus
et familia famosa!

Ater anguis subterrene,
760 serpens specie Letalis,
es ericae par vel terrae

aut ut arcus pluvialis!
Fac nunc viam viatori,
viro forti peregrino!
765 Sine viatorem ire,
Lemminkäinem levi pede
epulas in Boreales,
in convivium multorum."
Iam se serpens loco movet,
770 iam centoculus decedit,
abit anguis adipatus,
vertit se secundum viam;
sinit ire viatorem,
Lemminkäinem levi pede
775 epulas in Boreales,
in convivium secretum.

CANTIO XXVII

Iam Kaukonem meum duxi
Insulanum comitatus
praeter multos mortis casus,
rictum rigidum Letalem,
5 in has areas Arctoas,
in secretae gentis sedes.
Nunc est autem dictitandum,
lingua nobis enarrandum,
quonam modo Lemminkäinen,
10 Kaukomieli, homo bellus,
atrium in Aquilonis,
in Sariolanas sedes,
venerit non invitatus,
in convivium invisus.
15 Vir lascivus Lemminkäinen,
ille scurra rubicundus,
statim atrium ingressus
it in medium conclave:
tremit stratum tiliare,
20 tonat abiegnum tectum.

Tum lascivus Lemminkäinen
ipse verbis ita fatur:
''Salvus sim, qui huc adveni,
salveat, qui me salutat!
25 Domine heus Borealis!
Estne hac in tua domo
hordeum, quod equus edat,
zythum, quod vir fortis bibat?''
Erus ipse Borealis
30 sedens apud mensam longam
Lemminkäini dat responsum,
verbum facit, ita fatur:
''Forsan est in nostra domo
campus hospitis caballo.
35 Nec vetaberis vir ipse
in hoc atrio honeste
apud ianuam astare,
apud ianuam, sub tigno,
inter illas duas ollas,
40 ubi hamuli tres pendent.''

Tum lascivus Lemminkäinen
crines torvulos contorquet,
nigros, ut est olla nigra.
Verbum facit, ita fatur:
45 ''Lempo petat tuam domum,
ut ad ianuam assistat,
verrat ut farinam foci
et fuligines fornacis!
Numquam olim meus pater,
50 numquam genitor dilectus
pede stabat eo loco,
apud ianuam, sub tigno.
Spatium tum abundabat:
erat stabulum caballo,
55 viris atrium mundatum,
digitalibus angellus,
clavi manicis pendendis,
ensi paries paratus.
Mihi qua re non est locus,
60 sicut olim meo patri?''

Inde prorsus est progressus,

astitit ad summam mensam;
sedit in extremo scamno,
in subsellio supremo:
65 scamnum concrepat sedenti,
sedes pinea curvatur.
Pergit porro Lemminkäinen:
''Non sum forsan hospes carus,
quia zythum non offertur
70 hospiti, qui domum intrat.''
Ilpotar, matrona bona,
verbum facit, ita fatur:
''Heus, lascive Lemminkäinen,
num huc hospes advenisti?
75 Caput advenis calcatum,
caesum meum cerebellum!
Adhuc hordeum est zythum,
bonus potus adhuc maltus,
panis albus nondum factus,
80 nondum nobis caro cocta.
Nocte prius advenire
aut postridie debebas.''

Tum lascivus Lemminkäinen
torquet vultum, versat caput,
85 crines torvulos contorquet.
Inde verbis ita fatur:
''Iam cibaria sunt sumpta,
nuptiae hic celebratae,
zythum est iam dispertitum,
90 mulsum viris mensuratum,
pocula sunt comportata,
scyphi cuncti cumulati!
Domina heus Aquilonis,
longis dentibus matrona!
95 Male nuptias fecisti,
epulas canino more.
Panes grandes percoxisti,
zythum hordeo fecisti,
nuntios in partes senas
100 vel octonas dimisisti,
omnes miseros, mendicos,
viros improbos, malignos
et domesticos exiles,
famulos lacernis strictis,
105 omnem populum vocasti
– solum me praetermisisti!

Cur hoc modo compensasti
tibi hordeum donatum?
Trulla ceteri tulerunt
110 sive vasculo minuto,
ego misi modiatim,
urceatim apportavi
meum hordeum ipsius,
granum a me seminatum.
115 Forsan non sim Lemminkäinen
neque hospes bona fama,
cum non zythum apportetur
nec aënum apparetur
ad coquendam coctionem
120 multa de suina carne,
ut manducem atque bibam
nunc itinere confecto.''

Ilpotar, matrona bona,
illa verbis ita fatur:
125 ''Heus tu, vernula pusilla,
mea serva sempiterna!
Caccabo fac coctionem,
zythum hospiti portato!''
Puellula paupertina,
130 vilis – quae lavabat vasa,
cochlearia mundabat,
spathulas purificabat –
olla coxit coctionem
ossibus et piscis spinis,
135 rapae foliis vetustis,
panis crustulis confectam.
Poculo portavit zythum,
potum pessimum in scypho,
ut potaret Lemminkäinen,
140 biberet siticulosus.

Inde verbis ita fatur:
"Num tu talis sis virorum,
qui cervisiam hanc bibas
et hoc poculum epotes?"

145 Lemminkäinen, vir lascivus,
intra poculum inspexit:
anguis est in imo scypho,
sunt in medio serpentes;
latere repebant vermes
150 et lacertae labebantur.
Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli stomachatur:
"Pereat portatrix potus,
pessum eat scyphi latrix,
155 antequam resurgat luna
atque dies finiatur!"
Inde verbis ita fatur:
"O cervisia scelesta!
In res viles incidisti,
160 repperisti res inanes!
Tamen zythum ebibatur,
faex in terram efferatur
anulari digitillo,
manus pollice sinistro!"

165 Sinum suum manu temptat
atque sacculum rimatur.
Hamum sumpsit e crumena,
uncum ferreum ex pera;
quem in poculum intrusit,
170 ut in zytho piscaretur:
vermes hamulo haeserunt,
unco viperae feroces.
Centum ranulas subduxit,
atros angues fere mille,
175 quos in terram omnes misit,
posuit in pavimento;
strinxit cultrum exacutum,
ferum e vagina ferrum
et capitibus desectis,
180 collis anguium decisis
zythum sibi propinavit,
nigrum nectar bona mente.

Verbum facit, ita fatur:
"Non sum forsan hospes carus,
185 quia zythum non offertur,
potus melior quam iste,
mihi manu largiore,
poculo capaciore,
ariesve non necatur,
190 nec mactatur magnus taurus,
nec bos in conclave fertur,
intra domum ungulatus."
Erus ipse Borealis
verbum facit, ita fatur:
195 "Curnam ad nos advenisti,
quis in festum te vocavit?"
Tum respondit Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
"Pulcher hospes est vocatus,
200 pulchrior, qui non vocatur.
Audias, vir Aquilonis,
domine tu Borealis!
Fac, ut emam a te zythum,
vende mihi potionem!"

205 Dominus tum Borealis
irritatur, indignatur,
fit iratus, furibundus.
Cecinit in pavimentum
lacum, ante Lemminkäinem.
210 Verbum facit, ita fatur:
"Ecce flumen ad bibendum,
tibi lacus ad lambendum!"
Nihil curat Lemminkäinen!
Verbum facit, ita fatur:
215 "Nec mulierum vitellus
neque taurus sum caudatus
ad bibendas fluviales
aquas, lacus ad lambendos."

Ipse coepit incantare
220 ad res magicas aggressus.
Cecinit in pavimentum
magnum taurum, auricornum:
ille stagnum exsiccavit,
sibi flumen propinavit.
225 Borealis, vir procerus,
lupum exspuit ex ore;
quem in pavimento ponit
ad necandum taurum pinguem.
Lemminkäinen, vir lascivus,
230 canit leporem candentem,
saltet qui per pavimentum
ante lupuli labella.

Borealis, vir procerus,
canit canem curvis malis,
235 illum leporem qui necet,
ore rapiat strabonem.
Lemminkäinen, vir lascivus,
in cantherios sciurum
canit, qui per tigna scandat
240 ante canem allatrantem.
Borealis, vir procerus,
canit martem pectus fulvam:
martes arripit sciurum
in extremo tigno stantem.

245 Lemminkäinen, vir lascivus,
canit vulpem crine rufo:
illa martem pectus fulvam,
pelle pulchram, dedit pessum.
Borealis, vir procerus,
250 ore procreat gallinam,
quae per pavimentum lapsat
ante vultum eius vulpis.
Lemminkäinen, vir lascivus,
ore procreat falconem,
255 unguiferum sua lingua:
ille corripit gallinam.

Dominus tum Borealis
ait, verbis ita fatur:
"Non fit melius hoc festum,
260 nisi hospites rarescunt;
domus ad opus, hospes foras
et post bonas potiones!
Abeas hinc, faex inferna,
ab hoc hominum convictu!
265 Tende domum, vir sceleste,
pete patriam, maligne!"
Ait autem Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
"Vir non potest incantari,
270 ne vir peior quidem umquam,
ut relicta regione
fugiat a sua sede."

Dominus tum Borealis
de pariete detraxit
275 raptim gladium fulgentem.
Verbum facit, ita fatur:
"Ahti, vae, vir Insulane,
Kaukomieli, homo belle!
Nunc mucrones metiamur,
280 nostras spathulas spectemus,
meliorne meus mucro
an sit is, quem habet Ahti."

Tum lascivus Lemminkäinen:
"Parum valet meum ferrum,
285 ossibus quod est obtusum
et calvariis truncatum!
Verum tamen nunc profecto,
cum non melius fit festum,
metiamur et spectemus,
290 utri melior sit mucro.
Numquam olim meus pater
pavit enses emetiri:
filiumne demutatum,
genere degeneratum!"
295 Ensem strinxit et eduxit

rapuitque fulgens ferrum
e pellicea vagina,
balteo de bubulino.
Metiuntur aestimantque
300 longitudinem lamnarum:
longior est tam pauxillo
ensis eri Borealis,
quantus nigror est in ungue,
quanta phalanx mediata.

305 Ahti fatur Insulanus,
Kaukomieli, homo bellus:
"Tuus longior est ensis.
Tuus erit primus ictus."
Dominus tum Borealis
310 feriebat, appetebat,
attemptabat, non tangebat
ferro caput Lemminkäinis.
Semel tetigit tigillum,
trabem feriit transversam:
315 tignum ruptum est fragore,
trabs in duas partes fracta.
Ahti fatur Insulanus,
Kaukomieli, homo bellus:
"Quid fecerunt mali tigna,
320 quod trabs facinus commisit,
cum tigillum ita tangas,
trabem ferias transversam?

Audias, vir Aquilonis,
domine tu Borealis!
325 Est molestum in conclavi
inter feminas rixari:
novam domum corrumpemus,
pavimentum polluemus.
In cohortem exeamus,
330 ut in agris altercemur
et in area rixemur!
Foris melior est sanguis,
cruor pulchrior in corte,
naturalior in nive."

335 Eunt foras in cohortem.
Vident ibi vaccae pellem,
quam in aream distendunt,
ut in ea stent pugnantes.

Ahti fatur Insulanus:
340 "Audias, vir Aquilonis!
Tuus longior est ensis,
foedius est tuum ferrum
– forsan opus tibi tali,
antequam hinc discedamus
345 aut cervices abscidantur –:
feri primus, Borealis!"
Ferit primus Borealis.
Ferit semel et secundum,
ictum temptat tertiumque;
350 at non tangit destinatum
ac ne stringit quidem carnem
aut attingit summam cutem.

Ahti fatur Insulanus,
Kaukomieli, homo bellus:
355 "Fac, ut ego quoque temptem,
iam venerunt meae vices!"
Dominus tum Borealis
non curavit oboedire:
ferit, dubius non haeret,
360 usque temptat, at non tangit. –
Igne fulget ferum ferrum,
flammis lamina coruscat
tenta manu Lemminkäinis;
fulgor latius diffusus
365 refulgebat contra collum
boni viri Borealis.

Ait bellus Kaukomieli:
"Domine heus Borealis!
Sic coruscat tuum collum,
370 ut aurora, vir sceleste!"
Tum vir ille Borealis,
ipse dominus Arctous,

oculos in se reflexit,
in ipsius suum collum.
375 Vir lascivus Lemminkäinen
ictum pertulit tum ipsum,
eum gladio percussit,
spatha sua raptim icit.
Semel gladio cecidit:
380 caput umeris deiecit,
calvam collo separavit,
sicut folium a rapa
sive spiculam a culmo,
pinnulas a quovis pisce.
385 Caput volvitur in cortem,
viri cranium in campum,
ut sagitta sauciatus
ales arbore delapsus.
Centum pali sunt in colle,
390 mille stantes in cohorte:
fixa capita centena.
Sine capite stat unus:
tum lascivus Lemminkäinen
caput viri manu sumpsit,
395 tulit cranium de terra
et in eo palo fixit.

Ahti dein Insulanus,
Kaukomieli, homo bellus,
rursus atrium ingressus
400 verbum facit, ita fatur:
''Aquam fer, ancilla saeva,
eluam ut meas manus,
mali domini cruore,
viri sanguine pollutas!''
405 Anus autem Aquilonis
indignatur, irritatur.
Canit viros gladiatos,
homines ornatos armis,
centum viros gladiatos,
410 ensibus instructos mille
contra caput Kaukomielis,
eius collum appetentes.
Fit molestum remorari,
tempus adest abeundi;
415 iam angustius apparet
graviusque iam videtur
remanere Lemminkäinem,
virum vivere securum
in his epulis Arctois,
420 in convivio secreto.

CANTIO XXVIII

Ahti iam nunc Insulanus,
vir lascivus Lemminkäinen,
se de medio recepit,
ut effugeret citatim
5 linquens terram tenebrosam,
Saram, domum nebulosam.
Instar imbris exit domo,
velut fumus in cohortem,
fugiat ut male factum
10 et ob scelus occultetur.
In cohortem cum venisset,
speculatur et versatur
equum pristinum requirens.
At non videt priscum equum:
15 videt lapidem in clivo,
salicem in summo prato.

Quod consilium petendum,
quis est auctor adhibendus,
pereat ne carum caput,
20 coma capitis ne cadat
neve decidat cincinnus
areis in his Arctois?
Rumor resonat e vico,
clamor ceteris e villis;
25 videt arma radiare,
feros vultus in fenestris.
Tum lascivus Lemminkäinen,
Ahti quidem Insulanus,
sua facie conversa
30 formam maluit mutare.
Ales factus it sublimis
altum polum petiturus;
sed sol genas adurebat,
luna frontem luminabat.

35 Vir lascivus Lemminkäinen
orat ibi tum Ukkonem:
"Optime deorum, Ukko,
tu vir vigilans caelestis,
tenes qui tonantes nubes
40 aetheraque moderaris!
Caelo nubibus obducto
nimbum parvulum portato,
quo protectus proficiscar
domum meam reversurus
45 ad ipsius meam matrem,
meam caram genetricem!"

Pinnis nixus dum vagatur,
semel respicit retrorsus:
aspicit falconem canum
50 – eius oculi flagrabant,
sicut eri Borealis
olim oculi lucebant.
Ita fatur falco canus:
"Heus tu, care frater Ahti!
55 Recordaris nostram pugnam
aequis viribus pugnatam?"
Ahti fatur Insulanus,
Kaukomieli, homo bellus:
"O mi volucris, o falco!
60 Cursum verte versus domum!
Ita dic reversus illuc,

Boream in tenebrosum:
'Durum aquilam captare,
unguibus dilacerare.' "

65 Domum suam mox meavit
ad ipsius almam matrem
miserabilis aspectu,
corde male contristatus.
Mater obviam occurrit,
70 cum per vicum permearet,
ambularet iuxta saepem.
Mater quaerere maturat:
"O mi nate iuvenilis,
fide fili, mi dilecte!
75 Cur es ita maestus mente
veniens ab Aquilone?
Poculo te fraudaverunt
epulis in Aquilonis?
Si te poculo fraudarunt,
80 tibi melius habebis,
pater bello quod paravit,
reportavit rebus gestis."

Ait autem Lemminkäinen:
"Mater, quae me peperisti!
85 Quis me poculis defraudet?
Ipse dominos defraudem,
fraudem ipse viros centum,
temptem vel heroas mille."
Ait mater Lemminkäinis:
90 "Cur es ita maestus mente?
Te caballis superarunt,
tuos equos exprobrarunt?
Si te suis superarunt,
meliorem equum eme
95 his pecuniis paternis,
a parente comparatis!"

Ait autem Lemminkäinen:
"Mater, quae me peperisti!
Equos meos quis exprobret,
100 suis superet caballis!
Ipse dominos exprobrem,
omnes superem aurigas,
viros fortes cum caballis,
suis equulis, heroas."
105 Ait mater Lemminkäinis:
"Cur es ita maestus mente,
cur es corde contristatus
veniens ab Aquilone?
Te mulieres luserunt
110 aut ancillae deriserunt?
Si te feminae luserunt
aut ancillae deriserunt,
aliae sunt, quas illudes,
feminae, quas deridebis."

115 Ait autem Lemminkäinen:
"Mater, quae me peperisti!
Quae me mulier illudat
aut derideat ancilla!
Ipse dominos illudam,
120 omnes rideam ancillas,
centum feminas corrumpam,
nuptas alias millenas."
Ait mater Lemminkäinis:
"O mi fili, quid est tibi?
125 Utrum accidit res nova,
viseres cum Aquilonem,
an, quod nimis comedisti,
comedisti, potavisti,
in cubilibus nocturnis
130 mira somnia vidisti?"

Tum lascivus Lemminkäinen:
ita matri responsavit:
"Mulieres meditentur
vana somnia nocturna!
135 Visa memini nocturna,
adhuc melius diurna.
Vetus mulier, o mater!
Da viaticum in saccum:

in linteolo farinam,
140 panno salem involutum!
Venit tempus abeundi,
peregre proficiscendi
de dilecta mea domo,
de hoc praedio praeclaro:
145 enses subigunt heroes,
hastas praeparant ferratas."

Mater quaerere maturat,
procreatrix percontari:
"Qua re subigunt heroes,
150 hastas praeparant ferratas?"
Responsavit Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
"Enses subigunt heroes,
hastas praeparant ferratas
155 contra meum carum caput,
meum collum appetentes.
Accidit res quaedam gravis
areis in Aquilonis:
Borealem interfeci,
160 ipsum erum Aquilonis.
Bellum Boreas suscepit,
pugnam populus nocivus
contra me misellum virum,
ut me solum circumiret."

165 Mater filio sic fatur,
parens puero locuta:
"Equidem iam tibi dixi,
iam admonui profecto
volens usque te vetare
170 in Boreos proficisci.
Si tu rectius sensisses
et mansisses apud matrem,
apud propriam parentem,
domi tuae genetricis,
175 bellum non exortum esset
neque proelium susceptum.
Quonam nunc, miselle fili,
quonam, nate miserande,
is, ut lateas ob scelus
180 fugiasque male factum,
pereat ne carum caput,
ne cervices abscindantur,
coma capitis ne cadat
neve decidat cincinnus?"

185 Responsavit Lemminkäinen
"Locum nescio tam tutum,
quo subducere me possim
et ob scelus occultari.
Mater, quae me peperisti!
190 Ubi iubes me latere?"
Ait mater Lemminkäinis,
verbum facit, ita fatur:
"Nescio, quo proficisci
iubeam te moneamque.
195 Fias pinulus in colle
vel iuniperus in tesquis,
interibis ibi quoque,
opprimeris malo fato:
saepe pinulus collina
200 sternitur, ut fiant taedae,
et iuniperus in tesquis
ad saepimen amputatur.

Surgas vallium betulla
aut in nemus arbor alni,
205 intereas ibi quoque,
opprimaris malo fato:
saepe vallium betulla
scinditur in struem ligni,
saepe luculus alnorum
210 caeditur ob novum agrum.
Is in collem, ut sis baca,
vel myrtillus fis in tesquis,
fragula terrarum harum
vel vaccinium illarum,
215 intereas ibi quoque,
opprimaris malo fato:

te puellulae decerpant
stagno pectora decorae.

Factus lucius in mari
220 aut coregonus in rivo
intereas ibi quoque,
repens fiat malus finis:
vir fuligine foedatus
sua retia demittat;
225 captent iuvenes sagena,
senes retibus te ducant.
Factus lupulus in silva
aut in saltu saevus ursus
intereas ibi quoque,
230 opprimaris malo fato:
vir fuligine foedatus
hastam praeparet ferratam,
lupulos ut illa caedat
et silvarum ursos sternat."

235 Tum lascivus Lemminkäinen
verbum facit, ita fatur:
"Ipse maxime maligna,
loca pessima cognovi,
ubi Mors me petat morsu,
240 repens fiat malus finis.
Mea mater, mea nutrix,
quae me mammis lactavisti!
Ubi iubes me latere,
ubi iubes et hortaris?
245 Mors est ante vultum ipsum,
dies dirus super barba:
diem unum sim superstes
aut vix eum quidem totum."

Dein mater Lemminkäinis
250 verbum facit, ita fatur:
"Dico tibi bonum locum,
amoenissimum appello,
quo deliteat delinquens,
fugiat facinorosus:
255 terram memini minutam,
parvum spatium locorum,
integrum, inviolatum,
viri gladio non tactum.
Da iurandum ius in aevum,
260 ius sincerum sine fraude,
annis sex aut annis decem
bella numquam te gesturum,
sit cupiditas argenti
aut inopia vel auri!"

265 Responsavit Lemminkäinen:
"Do iurandum ius sincerum
prima posthac non aestate
nec secundo quidem anno
saeva bella me sumpturum,
270 magnos bellicos tumultus.
Est in umeris et ulcus,
pectus alte perforatum
pristinis delectamentis
et tumultibus peractis
275 Martiis in magnis clivis
et in campis cruentatis."

Dein mater Lemminkäinis
verbum facit, ita fatur:
"Sumpta barcula paterna
280 abhinc abi latitatum
navigans trans novem freta
et dimidium sequentis
petens insulam marinam,
scopulum in salo situm!
285 Ibi pater latitabat,
latitabat et manebat
in aestivis magnis bellis,
annis acrium pugnarum.
Ibi bene vixit ille,
290 ibi tempus dulce duxit.
Annum alterumque late,
tertio redito domum,
notas in paternas sedes,
in parentis tui portum!"

CANTIO XXIX

Lemminkäinen, vir lascivus,
Kaukomieli, homo bellus,
viaticum in saccum sumpsit,
optimum in vas butyrum,
5 quo per annum aleretur,
sumpsit et suinam carnem.
Abiit tum latitatum,
abiit et maturavit.
Verbum facit, ita fatur:
10 "Proficiscar fugiamque,
exsulem ut tres aestates
aut per annos fere quinque.
Vermes terris his vescantur,
lynx in lucis requiescat,
15 campis cervus volutetur,
vivant anseres in arvis!
Vale, mea bona mater!
Venerit cum Borealis
magna turba tenebrarum
20 meum caput requisitum,
eis dic me decessisse,
abhinc iam profectum esse
eo loco silva caesa,
ubi messis tum sit facta!"

25 Barcam igitur deduxit,
navicellam inter undas
de cylindris chalybeis,
stabili de statione.
Tum in mālum vela pandit,
30 lina levat in antemnam;
ipse puppim est ingressus
navigare iam paratus,
ut reclinis navis cursum
remo regeret robusto.
35 Ibi verbis ita fatus,
his loquelis est locutus:
"Vente, velum meum infla,
flatus verne, fer carinam!
Fac, ut currat levis linter,
40 puppis pinea procedat
insulam in nondum notam,
in innominatum sinum!"
Navis vento cunulatur,
vecta fluctibus marinis
45 in aequoribus extensis,
ubi pontus est apertus;
duos menses cunulatur
iamque tertium mox mensem.

Ibi virgines sedebant
50 caerulas ad maris undas;
prospectabant, se versabant
oculis in mare fixis.
Una fratrem opperitur,
patrem reducem secunda;
55 praeter omnes opperitur,
opperitur quae dilectum.
Procul Kauko cerni potest,
navis eius e longinquo:
est ut nimbus nimis parvus
60 inter aquam atque caelum.

Virgines tum insulanae

putant inter se puellae:
"Quid in mari mirum illud,
quid insolitum in undis?
65 Si nostratium sis navis,
velivolans insularis,
domum tuam cursum verte,
versus portus insulanos,
ut rumores audiamus,
70 nuntios a peregrinis:
pacem gentes litorales
habeant an gerant bellum?"
Ventus vertit vela navis,
fluctus provehit phaselum.
75 Mox lascivus Lemminkäinen
scapha scopulo propinquat
et ad insulam appellit
tangens lingulam extremam.

Ait, eo cum adisset,
80 percontatus, cum venisset:
"Estne locus in hac terra,
in hoc insulano solo,
quo subducam meam scapham,
quam in arido subvertam?"
85 Aiunt insulae puellae,
ita virgines respondent:
"Locus est in nostra terra,
in hoc insulano solo,
quo subducas tuam scapham,
90 quam in arido subvertas:
hic sunt portus spatiosi,
ripae plenae stationum,
venias vel centum scaphis
aut cum ratibus millenis."

95 Tum lascivus Lemminkäinen,
barculam in terram traxit
super ligneos cylindros.
Ipse verbis ita fatur:
"Estne spatium in terra,
100 in hoc insulano solo,
ubi lateat vir parvus,
exsulet vir enervatus
propter bellicos tumultus
atque sonitum armorum?"
105 Aiunt insulae puellae,
ita virgines respondent:
"Spatium est in hac terra,
in hoc insulano solo,
ubi lateat vir parvus,
110 exsulet vir enervatus:
arces nobis sunt permultae,
amplae villae visitandae,
veniant vel viri centum
aut appellant mille mares."

115 Tum lascivus Lemminkäinen
verbum facit, ita fatur:
"Estne spatium in terra,
in hoc insulano solo,
parvum nemus betullarum
120 et praeterea pars arvi,
ubi silvis ego caesis
bonum subigam agellum?"
Aiunt insulae puellae,
ita virgines respondent:
125 "Spatium in nostra terra,
in hoc insulano solo
non est viro resupino
neque modio granorum,
ut combustis silvis caesis
130 bonum subigas agellum:
arva nostra sunt divisa,
minutatim mensurata,
nemora sunt iam sortita
in conciliis coactis."

135 Vir lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli percontatur:
"Estne locus in hac terra,
in hoc insulano solo,
ubi carmina cantillem,

140 fundam longas cantilenas?
Liquefiunt iam loquelae,
germinascunt in gingivis."
Aiunt insulae puellae,
ita virgines respondent:
145 "Locus est in nostra terra,
in hoc insulano solo,
ubi carmina cantilles,
fundas bonas cantilenas,
est et lucus ad ludendum
150 et ad chorizandum campus."

Tum lascivus Lemminkäinen
iamiam incipit cantare.
Sorbos cantat in cohortes,
quercus plateas in planas,
155 aequos ramulos in quercum,
glandulam in quemque ramum,
globum aureum in glandem
et in globulum cuculum:
is cuculus cum cuculat,
160 aurum oris effervescit
et aes gutturis emanat
et exaestuat argentum
in auricolorem collem,
altum clivum argentatum.

165 Adhuc canit Lemminkäinen,
adhuc canit atque dictat:
vertit glareas in gemmas,
facit lapides lucentes,
omnes arbores rubentes,
170 flores aureos colore.
Tum lascivus Lemminkäinen
canit puteum in cortem
tecto stratum deaurato,
hamam auream in tectum,
175 unde fratres bibant aquam,
lavent lumina sorores.
Canit lacum in plateam,
aucas in hunc lacum glaucas:
auro frons, argento caput,
180 pedes erant aere facti.

Stupent insulae puellae,
omnes virgines mirantur
cantiones Lemminkäinis,
sapientiam herois.
185 Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
"Canerem et bonum carmen,
bellum quoque personarem,
si receptus essem tecto,
190 summo loco longae mensae.
Cum non suppetit conclave
nec praebetur pavimentum,
verba volvam in desertum,
fundam versus in virgetum."
195 Aiunt insulae puellae,
virgines tum arbitrantur:
"Atriis nos abundamus,
amplis villis visitandis,
ut e gelu geras versus,
200 verba feras foris intus."

Tum lascivus Lemminkäinen
statim atrium ingressus
sibi cantharos cantavit
in extremam longam mensam,
205 cantharos repletos zytho,
mulsi pocula perpulchra,
patinas ad labra plenas
et scutellas cumulatas:
abundabat ibi zythum,
210 erant pocula portata
et appositum butyrum
carnibus cum porcellinis,
ederet ut Lemminkäinen
vir lascivus appetenter.
215 Est tam elegans vir Kauko,
ut non velit cibo vesci,
nisi culter argentatus

sit cum lamna deaurata.
Cepit cultrum argentatum,
220 cantu lamnam deauratam;
inde satis manducavit,
zythum sibi propinavit.

Tum lascivus Lemminkäinen
vagus ambulat vicatim
225 in choreis comatarum
laetabundus puellarum.
Quam in partem caput vertit,
ibi suavium impingunt;
quam in partem dedit dextram,
230 ibi manum illi tendunt.
Ludos noctibus ludebat
in densissimis tenebris.
Neque fuit talis vicus,
ut non essent decem domus,
235 neque domus ulla talis,
ubi non puellae decem,
nec puella talis ulla,
talis usquam matre nata,
apud quam non accubaret,
240 cuius manum non mulceret.
Mille fere nuptas novit,
centum viduas amavit.
Nec in denis erant binae
neque trinae de centenis
245 adhuc virgines intactae,
viduae non illi notae.

Sic lascivus Lemminkäinen
victitavit vir tranquillus
per tres integras aestates
250 singulis in magnis vicis;
cepit insulae puellas,
omnes viduas pacavit.
Una mansit non pacata,
virgo vetula misella
255 in paeninsula perlonga,
ubi decimus est vicus.
Iam volebat proficisci
proprias in regiones.
Virgo vetula misella
260 ipsa venit ita fata:
"Kauko miser, homo belle!
Nisi mei memor eris,
faciam, ut abiturus
navem scopulis illidas."

265 At non novit sine gallo
sponte surgere de lecto,
virginem ut eam quoque
delectando deleniret.
Aliquot diebus actis
270 cum iam vesper erat factus,
horam statuit surgendi
ante lunam, gallum quoque.
Lectum liquit ante horam,
ante tempus constitutum.
275 Et exinde mox profectus
coepit vicos permeare,
virginem ut eam quoque
delectando deleniret.
Nocte solus vagabundus
280 cum per vicos ambularet
in paeninsulam perlongam,
ubi decimus est vicus,
eum fundum nullum vidit,
ubi tres non essent domus,
285 eam domum nullam vidit,
ubi tres non essent viri,
eum virum nullum vidit,
qui non ensem asperaret
aut acueret securim
290 contra caput Lemminkäinis.

Tum lascivus Lemminkäinen
verbum facit, ita fatur:
"Dies ortus est dierum,
almus sol nunc resurrexit
295 super me, misellum virum,

contra collum infelicis!
Lempone me virum solum
suis tunicis tuetur,
suis paenulis defendit
300 et amiculis asservat,
cum invadunt viri centum
imminentve mihi mille!"
Iam puellis praetermissis
et complexibus omissis
305 properavit versus portum,
ad naviculam misellus:
est carina concremata,
in carbunculos combusta.

Iam se sentit periturum
310 imminente die diro.
Scapham suscipit sculpendam,
novam lintrem laborandam.
Ligna fabrum defecerunt,
axes navis exsculptorem.
315 Parat sibi paulum ligni,
partem axis perpauxillam:
quinque fusuli fragmenta,
sex confractae colus frusta.
Inde sculpit sibi scapham,
320 novam navem elaborat.
Facit scapham arte maga
in mirifico navali:
ictu primo facit latus,
latus alterum secundo,
325 tertium cum cecidisset,
tota navis est perfecta.

Scapham denique deduxit,
navicellam inter undas.
Inde verbis ita fatus,
330 his loquelis est locutus:
"Nata, navis, velut bulla,
ut nymphaeum inter undas!
Aquila, tres pennas ferto,
aquila, tres, corve, duas
335 in fulturam parvae puppis,
margines in malae navis!"
Inde navem est ingressus
et in eius puppi sedit
corde maestus, aeger mente,
340 male pileo pendente,
cum non posset pernoctare
neque vivere per dies
in choreis comatarum
laetabundus puellarum.

345 Est locutus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
"Adest tempus abeundi,
de his domibus discessus,
de his ludis puellarum
350 choreisque decorarum.
Attamen me hinc profecto,
cum reliquero has terras,
virgines non laetabuntur
colloquentes crine pulchrae
355 in his atriis amaris,
sedibus in his scelestis."

Iam puellae complorabant,
insulanae suspirabant:
"Cur abisti, Lemminkäinen,
360 discessisti, bone sponse?
Virginum ob castitatem
an earum paucitatem?"
Responsavit Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
365 "Non ob vestram castitatem
nec ob paucitatem ibo:
feminas vel centum possim,
mille virgines habere.
Sum profectus Lemminkäinen,
370 discessique bonus sponsus,
desiderium quod venit
propriarum regionum,
fragularum meae terrae,

rubulorum mei montis,
375 virginum domesticarum
et mearum gallinarum."

Tum lascivus Lemminkäinen
nave longius est vectus.
Venit ventus, eam vehit,
380 unda venit, eam urget
caerulos in maris fluctus,
ubi pontus est apertus.
Ibi miserae manserunt,
lenes, litoris in saxo
385 lacrimantes insulanae,
dulces virgines plorantes.
Illae tamdiu deplorant
insulanae lamentantes,
quam apparet navis arbor,
390 scalmus ferreus videtur.
Navis arborem non plangunt
nec suspirant eius scalmos,
flent sub arbore sedentem
virum, velis ministrantem.
395 Flet et ipse Lemminkäinen,
tam flet diu deploratque,
quoad insulana terra
atque vertices videntur.
Terras insulae non plangit
400 nec suspirat summos colles,
flet ob insulae puellas,
illas collium columbas.

Iam lascivus Lemminkäinen
vada caerula verrebat.
405 Currit diem alterumque.
Tertioque tum dierum
ventus ferus coepit flare,
ora caeli reboare,
caurus vehemens est ortus
410 aquiloque ventus ater:
fregit latus alterumque
et subvertit scapham totam.

Tum lascivus Lemminkäinen
versus aquam manu versa
415 coepit palmis remigare
pedibusque gubernare.
Diem, noctem cum navisset,
palmis aequora pulsasset,
videt nimbum nimis parvum,
420 nubem aspicit in cauro.
Quae mox vertitur in terram,
in paeninsulam formatur.

Petit domum ibi stantem.
Matrem panes facientem
425 repperit, cum filiabus:
"O tu domina benigna!
Si videres meam famem
atque scires statum rerum,
cellam peteres currendo,
430 instar imbris apothecam;
zythi cantharum portares
et suinae carnis frustum,
quod assares in fornace
et illineres butyro,
435 ederet ut vir defessus
biberetque, qui natavit.
Dies noctes iam natavi
in apertis maris undis
habens turbinum tutelam
440 atque gratiam undarum."

Illa domina benigna
cellam petiit collinam,
unde secuit butyrum
et suinae carnis frustum;
445 quod assavit in fornace,
ederet ut vir ieiunus;
zythum cantharo portavit,
biberet ut vir natator.
Dedit dein novam navem,
450 puppim promptam et paratam,
qua vir alias in terras,

versus domum veheretur.

Tum lascivus Lemminkäinen
versus domum nave vectus
455 novit terras, novit oras,
novit insulas et freta
pristinosque novit portus,
domicilia priora;
novit clivos cum pinetis,
460 cunctos colles abietinos
– at non atrium agnovit,
nec parietes astantes:
ubi domus olim stetit,
silva sibilat novella,
465 pini crescunt circa collem,
iuniperi iuxta fontem!

Est locutus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
''Ecce lucus, in quo lusi,
470 saxa, quibus insultavi,
campi, per quos cursitavi,
clivi, per quos sum volutus.
Quid delevit domos dulces,
quisve tecta tam decora?
475 Atrium est concrematum,
ventus cineres dispersit!''
Inde solvitur in fletum,
flevit diem alterumque.
Is non atrium deflevit
480 neque cellam suspiravit:
flevit almam atriensem
et cellariam dilectam.

Videt alitem volare,
alis aquilam librari.
485 Illam incipit rogare:
''Ales, aquila dilecta!
Nonne velis mihi fari,
ubi sit nunc mea mater,
mea pulchra procreatrix,
490 dulcis et dilecta nutrix?''
Nihil ales recordatur,
nihil sapit illa stulta:
aquila defunctam esse,
corvus dixit pessum isse,
495 matrem ensibus exstinctam,
ascia necatam esse.

Est locutus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
''Mea pulchra procreatrix,
500 dulcis et dilecta nutrix!
Mortem, genetrix, obisti,
iam abisti, mater alma,
carne tua putrefacta
abies de te nunc crescit,
505 iuniperus tuis talis,
salix digitis de summis!
In interitum misellus,
in interitum infelix
ensem meum mensuravi,
510 tuli telum decoratum
areis in Aquilonis,
terris illis tenebrosis
– mea stirps ut interiret
atque mater moreretur.''

515 Circumspectat et versatur:
videt pauca pedis signa,
quaedam gramina rugata
et ericas quasdam fractas.
Coepit viam explorare,
520 tramitem his signis sequi.
Via virum fert in silvam,
in desertum trahit trames.
Mille passus bis perrexit,
properavit paullum viae
525 in densissimam silvarum,
saltus angulum desertum.
Videt balneum occultum,
latebram non nimis latam

inter rupes, in caverna,
530 trium arborum in umbra
– ibi suam almam matrem,
suam caram genetricem.

Tum lascivus Lemminkäinen
fuit valde delectatus.
535 Verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
"Cara genetrix, dilecta,
mea mater, mea nutrix!
Adhuc vivis, mea mater,
540 et pervigilas, o parens,
cum putaverim defunctam
et omnino pessum isse,
ensibus exstinctam esse,
te lanceolis transfixam!
545 Fletu lumina corrupi,
vultum perdidi venustum."

Ait mater Lemminkäinis:
"Videlicet adhuc vivo,
etsi fuit fugiendum,
550 recedendum in recessum,
in hanc ipsam spissam silvam,
saltus angulum desertum.
Bellum Boreas paravit,
pugnam populus remotus
555 in adversum te misellum,
contra virum infelicem:
aedes nostras concremavit
et delevit omnes domos."
Ait autem Lemminkäinen:
560 "Mater, quae me peperisti!
Nullo modo perturberis,
mea genetrix, nequaquam!
Novas domos faciemus
meliores quam priores,
565 bello Boream vincemus,
superabimus superbos."

Inde mater Lemminkäinis
verbis ita fere fatur:
"Diu, fili, permansisti,
570 longum tempus, care Kauko,
illis in extremis terris,
apud portas peregrinas,
in innominato sinu,
in paeninsula non nota."
575 Responsavit Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
"Ibi bene sum moratus
et iucundos dies degi.
Rutilae sunt ibi silvae,
580 campi caeruli colore,
argentati rami pinus,
ericeta deaurata.
Mulso madent ibi montes,
rupes ovis gallinarum;
585 nectar abietes arentes,
pini steriles lac stillant;
saepis anguli butyrum,
pali vero ferunt zythum.

Ibi bene sum moratus,
590 dulce tempus ibi duxi.
Id me tamen perturbabat,
animum sollicitabat,
quod putabant me puellas,
illas improbas credebant,
595 suas feminas obesas,
illas male mollicellas,
esse male tractaturum,
nimis nocte me lusurum.
Ego virgines vitabam
600 et puellulas cavebam,
sicut lupus vitat sues,
aut accipiter gallinas."

CANTIO XXX

Ahti, heros singularis,
vir lascivus Lemminkäinen
die novo, multo mane,
oriente luce prima
5 in navalia profectus
portum petiit barcarum.
Ibi linter lamentatur,
scalmos ferrea suspirat:
''Cuinam bono sum constructa,
10 ratis misera, creata,
cum non remiget in bellum
Ahti sex aut decem annis,
sit cupiditas argenti
aut inopia vel auri!''
15 Vir lascivus Lemminkäinen
puppim manica percussit,
chirotheca colorata.
Verbis ita fere fatur:
''Puppis pinea, ne plora,
20 marginata, male maesta!
Adhuc tibi proeliari,
bella gerere licebit:
te remigium replebit
die crastino peracto.''

25 Adiit ad genetricem
verbis ita fere fatus:
''Nunc ne fleveris, o mater,
nec ploraveris, o parens,
si quocumque profecturus
30 proelia sum suscepturus.
Coepi mecum cogitare,
id in mente meditari,
ut punirem Boreales
et superbos superarem.''
35 Mater voluit vetare,
vetus mulier monebat:
''Noli gerere, mi fili,
bellum contra Boreales!
Ibi veniet mors tibi,
40 vitae finis imminebit.''

Nihil curat Lemminkäinen,
sed profecto profecturus
statuit rem expedire.
Verbum facit, ita fatur:
45 ''Unde socium assumam,
socium cum suis armis,
qui commilito sit Ahtis,
comes viri praevalentis?
At est notus mihi Tiera,
50 Kuura cognitus vir clarus!
Eum socium assumam,
socium cum suis armis,
qui commilito sit Ahtis,
comes viri praevalentis.''

55 Viam sequens versus illam
Tierae villam it vicatim.
Ait, eo cum venisset,
cum ingressus esset, dixit:
''Care Tiera, vir amice,
60 o vir unice, dilecte!
Recordaris res antiquas,

vitam nostram militarem,
cum nos una gerebamus
bella campis in extensis?
65 Neque fuit talis vicus,
ut non essent decem domus;
neque domus ulla talis,
ubi non heroes decem;
neque talis ullus heros
70 nec vir viribus tam fortis,
quem non una domaremus
nec vi nostra vinceremus."

Forte pater ad fenestram
cultro lanceam dolabat,
75 mater apud cellae limen
butyrum coagulabat,
fratres autem apud portam
novas trahas faciebant,
in ponticulo sorores
80 pannos laneos cogebant.
Pater ait ad fenestram,
mater apud cellae limen,
fratres autem apud portam,
in ponticulo sorores:
85 "Tiera proeliis non vacat
nec in bellum eius telum!
Bonam fecit emptionem,
pactionem in aeternum:
nuper duxit iuvenillam,
90 sibi dominam uxorem;
iam papillas non palpavit
nec mamillas manu mulsit."

Prope furnum erat Tiera,
apud angulum fornacis:
95 pedem calceat ad furnum,
alterum in summo scamno,
apud ianuam se cingit
et egressus expeditur.
Tiera lanceam prehendit;
100 non est illa valde magna
neque vero nimis parva,
est mediocris mensura:
equus est in ferro sculptus,
equulus in plana lamna,
105 lupus ululat in ligno,
ursus rugit prope clavum.

Lanceolam manu librat,
manu librat atque quassat:
misit telum violenter
110 in agellum argillosum,
campum gramine carentem,
penitus in terram planam.
Trusit Tiera sua tela
inter arma Lemminkäinis,
115 est profectus properanter,
ut cum Ahti militaret.
Est ab Ahti Lemminkäine
sic navicula deducta,
ut it coluber in fena,
120 vivax vipera sub herbas.
Est profectus versus caurum,
pelagus in Boreale.

Domina tum Borealis
Frigus rigidum immisit
125 pelagus in Boreale,
ubi pontus est apertus.
Ipsa verbis ita fatur,
praecipit et adhortatur:
"Frigus, fili mi pusille,
130 pulcher puer, quem nutrivi!
Ito, quo te hortor ire,
quo te hortor moneoque!
Scapham scurrae congelato,
navicellam Lemminkäinis
135 in extenso maris aestu,
ubi pontus est apertus!
Navitamque congelato,
scurram ipsum inter aquas,
ne quo tempore solvatur

140 neve liberetur umquam,
nisi properem solutum
veniamque vindicatum!"

Frigus, mala stirpe natum,
puer pessime moratus,
145 est profectus, ut gelaret,
undas sisteret marinas.
Iam dum illuc iter facit
dumque peragrat per terram,
frondes arborum momordit
150 et vaginulas fenorum.
Dein, eo cum venisset,
pelagus ad Boreale,
in immensi maris ripas,
sine mora nocte prima
155 sinus gelat, stagna gelat,
ligat litora marina;
adhuc mare non gelavit
nec frenavit eius fluctus.
Est in aequore fringillus,
160 motacilla super undis:
non sunt eius ungues usti
nec capitulum gelatum.

Nocte denique secunda
Frigus magnum iam evadit,
165 turpitudini se tradit,
suscitatur supra modum.
Pleno gelu generato
frigus validum effecit:
glacies fit cubitalis,
170 nix tam alta quam est fustis;
scapha scurrae congelatur,
lintriculus Lemminkäinis.
Ahtim quoque congelare
volens, virum glaciare,
175 Frigus ungues iam urebat,
pedis digitos petebat.
Est iratus Lemminkäinen,
est iratus, indignatus;
Frigus intulit in ignem,
180 in ferrariam fornacem.

Frigus manibus tenebat,
tempestatem comprimebat.
Verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
185 "Frigus, venti flatu natum,
proles brumae pruinosa!
Ne constringe meos ungues,
pedis digitos ne pete
nec attinge meas aures
190 neve caput congelato!
Habes affatim, quod geles,
multum quoque, quod constringas
cute hominis omissa,
salvo corpore humano:
195 gela terras et paludes,
gela frigidos lapillos,
stringe salices palustres,
ure tubera populna,
coge cortices betullae,
200 abietes apprehende
cute hominis omissa,
salva pelle matre nati!
Nisi fuerint haec satis,
gela cetera maiora!
205 Saxa calida gelato
atque lapides ardentes,
rupes montium ferratas
chalybeiosque colles,
Vuoksim, rapidum torrentem,
210 illam improbam Imatram,
fauces verticis rapacis,
taetrum turbinem aquarum!

Iamne dicam tuam stirpem,
tuam laudem proclamabo?
215 Stirpem tuam bene scio
et originem omnino:
inter salices est natum

Frigus durum, in dumeto,
in culina Boreali,
220 atriis in tenebrosis
patre de pernicioso
atque de maligna matre.
Quisnam Frigus allactavit,
tempestatem nutricavit?
225 Erat parens priva lactis,
mater eius sine mammis.
Frigus vipera lactavit,
serpens colubra nutrivit
parvis uberum papillis,
230 marcescentibus mamillis;
ferus ventus cunulavit,
aër algidus lallavit
salices ad fluviales,
in uligine limosa.

235 Puer pessime moratus
factus est perniciosus.
Nomen adhuc non habebat
puerulus iste nequam.
Nomen frivolum invenit:
240 fuit Frigus nominatum.
Vehitur per saepimenta,
crepitat in fruticetis,
stat in stagnis per aestatem,
in paludibus permagnis;
245 bruma boat in pinetis
vel piniferis in silvis,
it in lucis betullinis
aut alnetis agitatur.
Gelat arbores et herbas,
250 usque quaque plagas planat,
frondes arborum manducat,
omnes flores ericarum,
aufert cortices de pinis,
assulas de truncis radit.

255 Iamne magnum evasisti
et superbum surrexisti,
cum volebas me gelare,
meas aures indurare,
pedes imos postulare,
260 ungues urere supernos?
At non potes me gelare
nec magnopere mordere!
Ignem calciis intrudam,
calceis carbones vivos,
265 vestis limbo parvas prunas,
sub corrigias scintillam,
ne me, Frigus, gelu stringas
neu pertempter tempestate.

Illuc carmine te canto,
270 ultimum in Aquilonem.
Cum reverteris iam illuc,
venerisque tuam domum,
ibi gela tuas ollas
et in foculo carbones,
275 gela manus feminarum,
filium in matris sinu,
lac ovinum in mamillis,
equulum in equae ventre!
Nisi velis oboedire,
280 illuc carmine te canto,
inter Hiisis vivas prunas,
super foculos Lemponis.
Ibi flammas penetrato,
in incude te locato,
285 ut te faber marco tundat
atque molliat martello,
marco firmiter te tundat
et martello malo modo!
Si his verbis non oboedis
290 neque minimum decedis,
locum alium recordor,
scio quandam regionem:
in meridiem te feram,
in aeternum solis aestum,
295 unde numquam libereris,
nullo tempore solvaris,

nisi properem solutum
veniamque vindicatum."

Frigus, venti flatu natum,
300 iam se sensit periturum;
coepit veniam precari.
Verbum facit, ita fatur:
"Rite reconciliemur,
ne nos invicem laedamus
305 umquam, tempore vel ullo,
lunae lumine lucente!
Si cognoris me gelare,
posthac male pervagari,
inferas me fabri foco
310 ignibusque fatigato
cum carbonibus commiscens
in fornacem Ilmarinis!
Aut in austrum fac me feras,
in aeternum solis aestum,
315 unde numquam me resolvam,
nullo tempore dimittar!"

Tum lascivus Lemminkäinen
liquit lintrem congelatam,
navem longam loco fixam,
320 ipse protinus perrexit.
Tiera socius et consors
ibi scurram sequebatur.
Lēvem glaciem calcabant,
planum campum properanter.
325 Ibant diem alterumque,
tertioque iam dierum
promunturium apparet,
vilis viculus videtur.
Prope villulam progressus
330 Lemminkäinen ita fatur:
"Suntne carnes in castello
et in villa vestra pisces
nobis, viris fatigatis,
his heroibus defessis?"
335 Non sunt carnes in castello
nec in ista villa pisces.

Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
"Ignis urat istud castrum,
340 aquis malum auferatur!"
Ipse porro pergit ire,
surgit saltum in desertum,
in inhospitales vias
et itinera haud nota.
345 Vir lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
lanam lapidi detondit,
vellit vellera de saxo,
quibus calcias confecit
350 manicasque maturavit
in algentes suos artus,
qui iam frigore rigebant.

Coepit viam explorare,
sequi semitam incertam:
355 via viros fert in silvam,
in desertum trahit trames.
Infit ibi Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
"O mi Tiera, care comes!
360 Iam incidimus in malum,
in errores sempiternos,
ultimas in regiones!"

Inde Tiera facit verba,
loquitur et ita fatur:
365 "In interitum miselli,
et in poenam infelices,
magnum bellum parabamus
contra terras Boreales
– animam ut efflaremus
370 et nos ipsos perderemus
in his sedibus sinistris,
itineribus haud notis.
Nec habemus id compertum,

id nescimus nec sentimus,
375 quae sit via, quae nos ducat,
qualis trames, qui nos trahat,
ut in saltu succumbamus
et in tesquis decidamus,
ubi corvi colunt silvas,
380 agros celebrant cornices.
Ibi corvi nos movebunt,
aves auferent inanes:
carnem alites habebunt,
caldum sanguinem cornices;
385 corvi rostrum umectabunt
cadaveribus misellis,
ossa sternent in saxeta
vel per scopulos dispergent.

Mater misera non novit,
390 mea genetrix infelix,
ubi caro moveatur,
suus sanguis prolabatur,
utrum sit in magno bello,
in certamine cernendo,
395 an in aequore marino,
amplioribus in aquis,
an coniferum per collem,
in virgultis pervagetur.
Prorsus nihil mater novit
400 de filiolo misello:
genetrix defunctum esse
putat, filium perisse.
Ita mater lamentatur,
mea procreatrix plorat:
405 'Illic filius misellae,
illic columen infirmae,
facit Morti sationem,
occat Funeri terrena.
Licet nunc per meum natum,
410 per filiolum misellae,
arcus maneant inertes,
exsiccentur ligna curva,
aves fiant bene pingues
et perdices glorientur,
415 ursi ducant duram vitam,
campi cervi volutentur!' "

Dein dixit Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus:
"Sic est, sic, misella mater,
420 ita, genetrix infelix!
Multos pullos eduxisti,
magnum numerum cygnorum:
venit ventus, hos dispersit,
venit Lempo, hos levavit,
425 unum huc, secundum illuc
quolibetque tertiumque.
Memor rerum pristinarum
tempus melius recordor,
cum ut flores florebamus,
430 bacae propriis in agris:
multi formam mirabantur,
nostram speciem spectabant.
Non ut tempore praesenti,
hac aetate nimis aegra:
435 unus ventus ante notus,
sol est solus ante visus;
eum quoque tegunt nubes,
imbres tenent involutum.

At non amo curis angi
440 nec magnopere maerere,
virgines si bene vivunt
collaetantes crine pulchrae,
omnes feminae ridentes,
bona mente novae nuptae,
445 nec me flent desiderantes
nec maerore macerantur.
Magi nos non decantabunt,
nec harioli nec magi,
ut in via moriamur
450 peregreque pereamus,
iuvenes ut obeamus,
vitam fortes finiamus.

Si quid magi decantabunt
aut praesagient prophetae,
455 domum suam revertatur,
decidat in suam sedem.
Ita canant semet ipsos,
suos filios incantent,
prolem propriam occidant
460 et familiam diffament!

Numquam olim meus pater,
numquam genitor dilectus
malefico morem gessit,
donis leniit Lapponem.
465 Ita dixit meus pater,
ipse quoque dicam ita:
probe, protege, Creator,
Deus, provide, decore,
muni manu gratiosa,
470 tuis viribus invictis,
ab insidiis virorum
et a fraude feminarum,
a sermone barbatorum
et imberbium loquelis!
475 Es auxilium aeternum,
custos stabilis et certus,
ne se filius devertat,
matre natus ne discedat
semita de Creatoris,
480 tramite, quem Deus stravit!"

Tum lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
equos fecit ex maerore
et cantherios ex curis,
485 frenos de diebus malis,
sellas de secretis iris.
Equum optimum ascendit,
insilit in eius dorsum;
est profectus cum rumore
490 Tiera comite sequente.
Ripas praeterit fragore
sabuleto consonante
ad ipsius almam matrem,
suam caram genetricem.

495 Ibi desero Kaukonem
interim ex meo versu,
Tieram linquo procedentem,
domum rursus revertentem.
Ipse versus meos verto
500 sumens semitam sequentem.

CANTIO XXXI

Mater aluit gallinas,
magnum numerum cygnorum.
Pullos posuit in saepe,
cygnos duxit ad fluenta.
5 Venit ales, hos altavit,
venit falco, hos fugavit,
penniger, qui hos dispersit:
unum tulit in Carelos,
alterum ad Russos duxit,
10 domi tertium reliquit.
Quem adduxerat ad Russos,
ille factus est mercator;
in Careliam portatus
fuit Kalervo vocatus;
15 ille vero domi lictus
Untamoinen adolevit
genitori dies duros,
matri curas allaturus.

Untamoinen rete iecit
20 in liquores Kalervonis;
illud Kalervo detraxit
piscibus in peram lectis.
Untamo, vir vigorosus,
irritatur, indignatur.
25 Fecit digitis bellantes,
pugnatores suis palmis,
ut de squamis decertaret,
de pisciculis pugnaret.
Rixabantur et pugnabant,
30 alter alterum non vicit:
quantum unus offendebat,
tantum alter rependebat.
Aliquando, vice quadam,
biduo post triduove,
35 fecit Kalervo sementem
pone domum Untamonis.
Ovis pinguis Untamonis
edit caules Kalervonis.
Kalervonis canis fremens
40 ovem laniat Untonis.

Untamo minitabatur
Kalervoni, suo fratri,
omnem stirpem Kalervonis
se, cum iuvenes tum senes,
45 necaturum, totam gentem,
domos esse crematurum.
Viros gladiis praecinxit,
armis homines, heroas,
puerulos pugione,
50 falce virgines venustas
magnum bellum suscepturus
contra fratrem et germanum.

Nurus pulchra Kalervonis
assidebat ad fenestram.
55 Per fenestram prospectabat,
verbum facit, ita fatur:
"Est fortasse fumus spissus
anne nimbulus obscurus
ultimis in illis agris,
60 in extremo novo vico?"
Nebula non erat densa

ac ne fumus quidem spissus:
erant Untamonis viri,
veniebant bellaturi.

65 Venit Untamonis turba,
viri gladiis praecincti.
Caedunt gentem Kalervonis,
stirpem penitus exstirpant
et in cineres redactam
70 aequant solo totam domum.
Una virgo Kalervonis
mansit utero laborans.
Eam Untamonis viri
secum inde portaverunt,
75 tergeret quae domum parvam
et purgaret pavimentum.
Transit temporis momentum;
puer parvulus est natus
genetrice de misella.
80 Nomine quo nominatur?
Mater vocat Kullervonem,
Untamo heroem fortem.

Puer cunulis pusillus
est impositus pupillus,
85 orphanus, ut oscillaret
incunabulis lallatus.
Infans cunis movebatur
volitantibus capillis
diem unum alterumque;
90 demum tertio dierum
ille puer, dum calcitrat,
dum calcitrat et contendit,
strictis fasciis diffractis
super stragulum surrexit,
95 rupit cunas tiliares
cunctis pannulis discissis.
Apparebat bonus esse,
probus fore putabatur.
Gens Untonis exspectabat
100 hunc puerulum adultum
fore hominem sollertem
vel fortissimum virorum,
vernam, qui valeret centum
aut adultus mille marcis.

105 Crevit duos tresve menses.
Tertioque demum mense
puer genu tenus altus
ipse secum est locutus:
"Utinam mox maior fiam,
110 corpore corroboratus,
ut ulciscar patris plagas
vindicemque fletum matris!"
Id audivit Untamoinen.
Ille verbis ita fatur:
115 "Funus fiet meae stirpis
et par patri Kalervoni!"
Cuncti viri contemplantur,
mulieres meditantur,
ubi puer exponatur,
120 quove modo perimatur.

Ponunt eum in barili,
in doliolum intrudunt;
tum in aquam apportatum
mittunt puerum in fluctus.
125 Dein veniunt spectatum
paucis noctibus peractis,
iamne puer aquis mersus
in barili sit peremptus.
Non est puer aquis mersus
130 nec peremptus in barili!
Est egressus e barili
– insidebat inter fluctus
tenens calamum aeratum
filo serico sequente;
135 quo piscatur maris pisces,
aquam aequoris metitur:
dicit esse tantum aquae,
quantum cyathis in binis,
vel, si recte metiaris,

140 partem tertii haberi.
Untamo tum contemplatur:
''Ubi puer exponatur,
ubinam perire possit,
quove modo perimatur?''

145 Servo praecipit, ut legat
dura ligna betullina,
pinos piceas ramosas,
scitas schidias taedarum
ad urendum unum natum,
150 occidendum Kullervonem.
Cogebantur, legebantur
dura ligna betullina,
pini piceae ramosae,
scitae schidiae taedarum,
155 cortices cum mille trahis,
centum strues fraxinorum.
Ignis lignis est affixus
et subiectus rogo structo;
eo puer est iniectus,
160 inter ignes aestuantes.

Diem unum alterumque
rogus ardet, tertiumque.
Advenerunt inspectatum:
inter prunas reptabundus,
165 in favillis ulnis nixus
carbonaria cum furca
puer ignem incitabat
et carbones colligebat
nullo pilo pereunte,
170 nullis crinibus crispatis!
Untamo tum stomachatur:
''Ubi puer exponatur,
ubinam perire possit,
quove modo perimatur?''
175 Puer laqueo ligatus
est de robore suspensus.

Eunt noctes duae tresve
totidem et eunt dies.
Untamo tum contemplatur:
180 ''Tempus est spectatum ire,
si sit Kullervo peremptus,
puer laqueo suspensus.''
Servum misit, qui videret.
Servus rettulit responsum:
185 ''Non est Kullervo peremptus,
puer laqueo suspensus!
Puer arborem incidit
tenens cuspidem pusillam.
Arbor est formarum plena,
190 plena quercus figurarum:
ibi viri gladiati,
ibi lanceae paratae.''

Nihil valet Untamoinen
contra puerum misellum!
195 Quidquid ille praeparavit,
qualecumque funus fecit,
puer morti non succumbit
neque moritur omnino.
Debuit iam fatigari
200 morte pueri paranda,
Kullervonem educare,
vernam, sicut suum natum.
Untamo his verbis fatur
puerum sic allocutus:
205 ''Si vis vivere honeste,
semper moribus modestis,
in hac domo licet esse,
fungi munere servili.
Merces debita pendetur,
210 merito constituetur:
cinctum capies decorum
alapisve vapulabis.''

Kullervo, cum adulescens
alte spithamam crevisset,
215 iam in opus operandum,
in laborem est coactus,

ut attenderet infantem,
cubitalem cunularet:
"Bene parvulum tuere,
220 fac, ut edat, ede tuque!
Pannulis in amne lautis
purga parva vestimenta!"
Curat parvulum paulisper:
manum fregit, excaecavit.
225 Dein tertio dierum
fecit eum morbo mori,
pannulos in amnem iecit,
cunas flammis concremavit.

Untamo tum contemplatur:
230 "Haud idoneus est iste
ad infantem attendendum,
cubitalem cunulandum!
Nescio, quo mittam istum,
in quod opus operandum.
235 An ad silvam excidendam?"
Misit ad caedendam silvam.
Kullervo, stirps Kalervonis,
ibi verbis ita fatur:
"Ego denique vir ero,
240 cum habuero securim,
multo melior aspectu
et iucundior quam ante:
par hominibus vel quinque
sive sex virorum instar."

245 It in officinam fabri.
Verbum facit, ita fatur:
"O mi faber, frater care!
Aptam asciam excude,
mihi congruam securim,
250 ferrum commodum cultori!
Ad sternendam silvam ibo,
ut betullas celsas caedam."
Faber facit instrumentum,
cito conficit securim.
255 Est conveniens securis,
ferrum commodum cultori.
Kullervo, stirps Kalervonis,
cote subigit securim;
ferrum acuit per diem,
260 lignum vesperi paravit.

Est profectus laboratum
in excelsam, magnam silvam,
optimum in arboretum,
inter truncos truculentos.
265 Caedit arborem securi,
ferit raptim plana lamna:
ictu primo boni trunci,
mali cadunt vix contacti.
Quinque truncos ferox vertit
270 nec omnino plus quam octo.
Postea his verbis fatus,
his loquelis est locutus:
"Lempo tantum laborato,
Hiisi proruat hos truncos!"

275 Super stipitem saltavit,
voce maxima clamavit,
stridit atque sibilavit.
Verbum facit, ita fatur:
"Eo succidat haec silva,
280 decidant betullae celsae,
quo perfertur meus clamor,
quo hic sibilus sentitur.
Nullum germen generetur,
nulla stipula resurgat
285 umquam, tempore vel ullo,
lunae lumine lucente,
in hoc agro, quem paravit
Kalervonis stirps praeclara!
Sed si terra ferat germen,
290 novae segetes si surgant
firmis stipulis formatis,
calamis corroboratis,
nullae spicae producantur,
nullis calamis aristae!"

295 Untamo, vir vigorosus,
venit, illum ut videret,
agrum stirpis Kalervonis,
quem egisset novus servus:
ager non videtur ager,
300 quem vir iuvenis egisset.
Untamo tum contemplatur:
"Non est aptus ad hoc opus!
Truncos optimos corrupit,
bonas arbores abscidit!
305 Nescio, quo mittam istum,
in quod opus operandum.
An ad saepes faciendas?"
Misit, faceret ut saepes.

Kullervo, stirps Kalervonis,
310 ita ponit saepimentum:
pinos piceas proceras
facit perticas transversas
et abietes excelsas
figit integras pro palis;
315 stricta vimina ligavit
de longissimis sorborum,
saepem solidam praetendit
nullis portulis relictis.
Postea his verbis fatus,
320 his loquelis est locutus:
"Qui non surgit sicut avis
volitans duabus alis,
numquam supergrediatur
saepem stirpis Kalervonis!"

325 Untamo sciebat viam,
ut veniret eam visum
saepem stirpis Kalervonis,
sarmenticiam captivi.
Saepem solidam conspexit,
330 sine rimis, sine portis
factam de tellure matre,
usque nubila directam.
Verbum facit, ita fatur:
"Non est aptus ad hoc opus!
335 Saepem solidam praetendit
nullis portulis relictis,
quam erexit usque caelum,
usque nubila levavit:
saepem nequeo transire
340 nec intrare per foramen!
Nescio, quo mittam istum,
in quod opus operandum.
An secale trituratum?"
Misit vernam trituratum.

345 Kullervo, stirps Kalervonis,
iam secale trituravit:
de secali fecit glumam
et de stipulis apludam.
Eo dominus accessit,
350 ipse venit, ut videret
opus fili Kalervonis,
Kullervonem triturantem:
de secali restant glumae,
de paleolis apludae.
355 Untamo tum stomachatur:
"Nihil valet in labore!
In quodcumque opus mitto,
puer stulte rem corrumpit.
In Rutheniamve ducam,
360 in Careliamve vendam
Ilmarini, viro fabro,
ut sit eius malleator?"

Filium tum Kalervonis
dedit in Carelos venum,
365 Ilmarini, viro fabro
et ferrario perito.
Quid pro servo faber solvit?
Plurimum pro servo solvit:
duas ollulas vetustas,
370 tres uncinos semiruptos,
quinque falces iam pertritas,
sex ligones male laesos
pro homuncione nequam,
pro hoc servulo pependit.

CANTIO XXXII

Kullervo, stirps Kalervonis,
glaucis calciis indutus,
flavis crinibus decorus,
pulchra pelle calceatus,
5 protinus in domo fabri
vesperi labores quaerit,
quos det erus vespertinos,
quos matrona matutinos:
''Hic labores nominentur,
10 nominatim numerentur,
qui sit labor subeundus
et quod opus operandum!''
Uxor Ilmarinis fabri
ibi secum cogitabat,
15 in quod opus novus servus,
vir conductus mitteretur.
Servum statuit pastorem,
ut armenta custodiret.

Illa domina maligna,
20 uxor fabri fraudulenta,
panem percoquit pastori,
pinguem tortulam paravit:
tegit triticis avenam,
intus lapidem includit.
25 Panem illitum butyro,
crassa crustula contectum
servo suo reservavit,
pro viatico pastori.
Ipsa servum sic hortatur,
30 his loquelis allocuta:
''Non est prius hic edendus,
quam armenta sint in silva!''

Dein uxor Ilmarinis
boves pascuis parabat.
35 Verbis fere his profata,
his loquelis est locuta:
''Mitto vaccas in virgulta,
lactiferas in frutecta,
inter arbores armenta,
40 cornifrontes in frondosa;
eant adipem assumptum,
pinguitudinem petitum
apertissimis ab agris,
ex nemoribus extensis,
45 ex excelsis betulletis,
humilibus populetis,
aureis abietinis,
altis silvis argentatis.

Deus, provide, decore,
50 probe, protege, Creator,
tege viis ab iniquis,
muni rebus ab adversis,
ne dolore torqueantur
neve quoquam confundantur!
55 Ut sub tecto protexisti,
in bovili custodisti,
ita tege sine tecto,
sine stabulis palantes,
ut armentum augeatur,
60 pecus dominae pinguescat,
sic volentibus benignis

et nolentibus malignis!

Si sint pessimi pastores
et pastorulae pusillae,
65 fac, ut salix fiat pastor,
alnus custos armentorum,
sorbus socia vaccarum,
prunus dux, quae domum ducat
domina non requirente,
70 aliis non anxiosis!
Si non pascere vult salix
nec sit sorbus socialis
nec armentum alnus agat
neque prunus domum ducat,
75 fac pastores meliores,
nymphas, filias naturae,
pecudes quae meas pascant
et custodiant armentum!
Tibi multae sunt ancillae,
80 quibus imperes, centenae,
sub caelorum firmamento
bonae nymphulae viventes.

Aestas, mulier electa,
austri nympha iam annosa,
85 Pinus, domina benigna,
Iunipere, virgo pulchra,
Sorbe, servula pusilla,
Prune, nata Tapionis,
Mielikki, silvarum nurus,
90 Tellervo, puella silvae!
Meum gregem custodite,
meas pecudes curate
bene totam per aestatem,
leniter frondosum tempus
95 fronde nemoris tremente,
prati gramine crescente!

Aestas, mulier electa,
austri nympha iam annosa!
Pande vestis leves limbos,
100 subligaculum distende,
quibus greges contegantur,
parvae pecudes velentur,
ne flet ventus vehementer
nec iratus manet imber!
105 Muni gregem ab adversis,
tege viis ab iniquis:
a paludibus aquosis,
a gurgitibus caenosis,
a scaturiente stagno
110 et a foveis rotundis,
ne dolore torqueatur
neve quoquam confundatur
ungulis in lutum lapsis,
in paludem pede presso
115 contra Dei voluntatem,
nutum numinis Divini!

Tibi bucinam parato
de caelorum firmamento,
cornu nectaris caelestis,
120 cornu melleum terrestre!
Illud cornu tum inflato,
bucinam fac reboare:
colles cantu fac florentes,
loca tesqua decorosa,
125 agros almos et amoenos;
luci fines fiant lenes,
mella proferant paludes,
zythum gurgites stagnorum!
Inde pasce meum gregem,
130 pecus bubulum nutrica,
pasce pabulis mellitis,
pota mellis potione!
Pasce herbis subauratis,
feni spicis argentatis
135 in scaturiente stagno,
in gurgitibus caenosis,
in torrentibus fragosis,
in fluentis fluviorum,
locis altis subauratis

140 et argenteis in agris!

Bubus puteum auratum
circa pascua parato,
unde boves bibant aquam,
sucum melleum sorbillent
145 in turgidulas mamillas,
in papillas laborantes,
ut earum venae vibrent,
lactis flumina labantur,
lactis rivuli prorumpant,
150 lactis turgeant torrentes,
lactis tubuli tumescant,
scateant canales lactis
iugiter lac largientes,
sempiterno sic fundentes,
155 ut nil valeant maligni,
suis digitis indigni,
nec lac Inferis labatur,
malevolis munus gregis!

Illi multi sunt maligni,
160 qui lac Inferis infundant,
malevolis gregis munus,
aliis armenti donum;
illi pauci sunt benigni,
qui lac sumant ab Infernis,
165 sucum lacteum a larva,
novum potum aliunde.
Antea non mea mater
opem voluit a vico
nec doctrinam alienam;
170 lac accepit ab Infernis,
sucum lacteum a larva,
novum potum aliunde.
Fecit eminus venire,
loco de longinquiore,
175 lac de Leto devenire,
ab Infernis, desub terra,
sine comite, sub nocte,
in obscuro, clandestino,
ne quis improbus audiret
180 neu vir nequam inveniret
neu malevolus vexaret
invidus nec invideret.

Mea mater ita dixit,
ita dicam ipsa quoque:
185 ubi mansit gregis munus,
ubi lictum est lac meum?
Est externis exportatum,
in cohortes vicinorum,
meretricibus mendicis,
190 sub axillam adversorum,
an arboribus adhaesit
et interiit in silvis,
in nemoribus diffusum,
locis tesquis dissolutum?
195 Lac in Leto non linquetur,
alienis dos armenti,
meretricibus mendicis,
sub axillam adversorum,
nec arboribus haerebit
200 nec in silvis interibit
in nemoribus diffusum,
locis tesquis dissolutum.
Domi lac desideratur,
horis omnibus optatur:
205 era domi praestolatur
tenens ligneum mulctrale.

Aestas, mulier electa,
austri nympha iam annosa!
Veni, pasce meas vaccas,
210 bibere da meis bubus,
fac uberibus ubertim
lac distentis destillare,
lac lactiferis ministra,
novum lacteum liquorem
215 gramine de gratioso,
de decoris rorulentis,
amoenissimis ab agris,

de caespitibus mellitis,
prato de lanuginoso,
220 de baccifera tellure,
a puellis ericarum,
nymphulis vaginularum,
a virginibus nimborum,
filiabus firmamenti,
225 ut papillas portent plenas,
usque turgidas mamillas,
mulier mulgeat ut parva,
lac eliciens ancilla!

Surge, nymphula, de valle,
230 veste pulchra, de palude,
virgo fervida, de fonte,
forma limpida, de limo!
Aquam fundito de fonte,
qua conspergas meum gregem,
235 ut armentum augeatur,
pecus dominae pinguescat,
antequam accedat era
aut aspiciat ancilla,
era nequam et ignara
240 et pastorula pusilla.

Mielikki, matrona silvae,
manu larga gregis custos!
Mitte virginem proceram,
optimam ancillularum,
245 quae custodiat armentum,
meas pecudes quae pascat
his temporibus amoenis,
aestuosa hac aestate,
quam donavit Divum numen,
250 Deus contulit clementer!

Tellervo, puella virgo,
silvae filia formosa,
vestis limbo, flavo crine
et subucula decora,
255 tu, quae custos es armenti
dominaeque boves pascis
Metsolam per silvam mitem,
Tapiolam per tranquillam!
Bene pasce meas boves
260 et custodi diligenter!
Pasce palmulis pulchellis,
rege digitis decoris,
pecte pellem, ut par pisci
sit aut lynci levitate,
265 aut sit sicut pellis phocae
aut lanugines ovinae!

Facto vespere, sub nocte,
ortis tenebris opacis,
duc armentum meum domum
270 ante dominam benignam
sic, ut adeps tegat tergum
atque lumbulos abundans!

Sole demum decedente,
ave vesperi canente,
275 ipsa mone meum gregem,
cornigeram meam mandram:
'Cornifrontes, in bovile,
lactiferae, domum vestram!
Domi bene vos habetis,
280 humi dulciter iacetis;
triste saltum peragrare
et in litore mugire.
Ut adveniatis domum,
ignem mulieres incendunt
285 in lanuginoso prato,
in baccifera tellure.'

Nyyrikki, stirps Tapionis,
puer caerula lacerna!
Longis truncis abiegnis
290 et verticibus pinorum
pontem locis fac limosis,
transitum in malis terris,
in paludibus, in caeno,

in labilibus lacunis!
295 Fac cornutas convenire
boves ungulis bifurcis
omnes ad vespernos fumos
sine damno, sine fraude,
ne paludibus mergantur
300 neve caeno comprimantur!

Cum his pecudes non parent
nec sub noctem revertuntur,
Sorbe, servula pusilla,
Iunipere, virgo pulchra,
305 seca nemoris betullam,
sume virgam ex virgeto,
flagrum sorbeum defringe,
iunipereum flagellum
trans castellum Tapionis,
310 pruniferum ultra collem!
Age boves ad bovile,
balneum dum apparatur;
domum pecudes petunto,
silvam bestiae silvestres!

315 Ursule, silvestre mālum,
gibbe, manibus mellitis!
Rite reconciliemur,
pax in finibus his fiat,
in aeternum sub hoc divo,
320 in perpetuum, in aevum,
ne prosternas ungulatam
neu lactiferam affligas
his temporibus aestivis,
aestuosa hac aestate!
325 Cum audiveris campanam
aut bucinulam pastoris,
inter caespites delapsus,
ut in prato requiescas,
auribus in fenum pressis
330 caput glebulis inferto,
aut in magnam silvam ito,
in conclavia muscosa,
montes in remotiores
atque colles alienos,
335 ne campanulam audire
possis aut pastoris vocem!

Dulcis ursule, dilecte,
pulcher, manibus mellitis!
Te non veto spatiari
340 nec dissuadeo vagari;
veto te, ne lingua lingas
neve turpi tangas ore
neve dentibus dispergas
pedibusve ne pertemptes.
345 Caute pascua peragra,
tesqua lactea latenter
vitans sonum campanellae,
vocem fugiens pastorum!
Cum est grex in locis tesquis,
350 in paludem spatiare;
cum grex in paludem abit,
tum in magnam silvam ito!

Grege collem conscendente
ipse currito sub colle;
355 cum sub colle grex vagatur,
ipse currito per collem!
Cum in agris it armentum,
in virgeto tu vagare;
at grex cum est in virgeto,
360 agros peragra silvestres!
I par aureo cuculo
aut argenteo columbo,
ut coregonus decede,
more piscis te moveto,
365 innocens ut mollis lana
aut fasciculus linorum;
ungues pilis occultato,
dentes condito gingivis,
ne grex male terreatur
370 neve pecora pavescant!

Pecudi da bonam pacem
et conciliationem,
ut bos bene pervagetur,
ungulata, decorose
375 per paludes et per terras,
sic per tesqua tenebrosa,
ut non eam umquam tangas
neque cupidus contingas!
Recordare ius iurandum,
380 quod ad Mortis amnem olim,
flumen rapidum, dedisti,
ante genu Creatoris!
Veniam tum habuisti,
ut aestate ter venires
385 ad campanam audiendam,
ad tintinnum tinnientem;
neque tamen est permissum
nec haec venia concessa,
ut delicta molireris
390 in res turpes perturbatus.

Venerit si quando furor
et voluntas morsicandi,
inter frutices furorem,
pinis impetum inferto!
395 Lignum putre pede pulsa,
sterne truncos betullinos,
verte stipites aquosos,
cava caespites bacales!
Cum est opus tibi cibo
400 atque libet manducare,
fungos comede silvestres,
frange nidos formicarum,
radices angelicarum,
offas Metsolae mellitas,
405 at non alimenta mea
nec vitalem meum victum!
Cupa Metsolae mellita
fermentatur burriendo
collibus in coloratis,
410 locis altis argentatis:
ibi cibus est edaci,
potus viro potatori,
nec deficiunt edenda
nec potando potiones.

415 Ita reconciliamur,
pacem facimus perennem,
ut ducamus dulcem vitam
bene totam per aestatem:
terrae nobis sunt communes,
420 alimonia diversa.
Sin volueris rixari,
vivere belligerando,
brumae tempore rixemur,
hieme tumultuemur!
425 Sed palude liquescente,
calescentibus lacunis
noli nobis propinquare
ad armentum audiendum!

Veneris si has in terras,
430 forte quadam in hos saltus,
telum in te hic mittemus.
Cum missores non sunt domi,
sunt mulieres peritae,
praesto dominae matronae,
435 quae pervertant tuas vias,
iter tuum ita turbent,
ut armentum numquam tangas
neque cupidus contingas
contra Dei voluntatem,
440 nutum numinis Divini!
Ukko, deus o supreme!
Urso vero veniente
verte faciem vaccarum,
meas pecudes commuta,
445 ut bos saxum videatur
aut stirps arboris armentum,
dum hoc monstrum moveatur,
dum vagetur fera fortis!

Si fuissem ursus factus,
450 fera manibus mellitis,
nollem equidem sic esse
feminis impedimento.
Agrum habes alibique,
loca vel longinquiora,
455 ubi vacuus vageris,
cito curras otiosus,
donec palmae perrumpantur
poplitesque dissolvantur,
intra silvam nigrescentem,
460 saltus angulum amoenum.
Tesqua conis sunt constrata,
est sonorum sabuletum,
via facta, qua pervadas,
litus maris, quod percurras
465 ultimum in Aquilonem,
in Lapponum planam terram.
Ibi bene habitabis,
dulce tempus ibi duces;
sine calceis aestate,
470 sine calciis autumno
vades per paludes magnas,
per limosa lata loca.

Si non illuc penetrabis
nec videbis viam rectam,
475 sume semitam, qua curras,
tramitem, per quem procedas
in desertum illud Mortis
sive Funeris in fundum!
Ibi palus spatianti,
480 ericetum exculcanti,
ibi variae sunt vaccae
cum iuvenculis diversis
vinculis in ferreatis,
in numellis numerosis.
485 Ibi macrae pinguefiunt,
ossa quoque sunt obesa.

Silva, mihi sis benigna,
placidum, nigrescens nemus!
Pecudi da bonam pacem
490 et conciliationem
his temporibus amoenis,
aestuosa hac aestate!
Kuippana, silvarum rector,
pernix barbiger silvestris!
495 Canes tuos cohibeto
catulosque coërceto
nari fungum inferendo,
mālum alteri figendo,
ne percipiant odorem
500 gregem subolfacientes!
Tege sericis ocellos,
aures fasciis circumda,
ne praesentiant euntes
neve videant vadentes!

505 Si haec adhuc non sunt satis
neque cavet tuus canis,
filium hinc prohibeto,
veta spurium venire!
De his silvis eum deduc,
510 age virgis ab his oris,
ab his pascuis angustis
latioribusque plagis!
Canem in caverna conde,
fige firmiter catellum
515 in numella deaurata
loris artis argentatis,
ne res malas moliatur
neve faciat res foedas!

Si haec adhuc non sunt satis
520 neque canis gregem cavet,
Ukko, deus deaurate,
rector rerum argentate,
aurea haec audi verba,
meas blandulas loquelas!
525 Vimen sorbeum vincito
circa simulum nasellum!

Si non sorbus tenet satis,
duc aëneam catenam;
si non aes sit satis firmum,
530 vinclum ferreum formato!
Sin dirupto ferro quoque
adhuc facere vult male,
trude perticam auratam
de maxilla per maxillam,
535 fige perticam utrimque
firme spiculis aduncis,
moveat ne malas mālas
raris dentibus diductis,
nisi ferro sint discissae,
540 armis vulsae chalybeis,
cruentatae cum cultellis
et securibus seiunctae!"
Dein Ilmarinis uxor
diligensque dispensatrix
545 grege stabulis soluto
vaccas pascuis immisit;
servus iussus est sectari,
pastor boves custodire.

CANTIO XXXIII

Kullervo, stirps Kalervonis,
viatico secum sumpto
boves agit per paludem,
ipse peragrat per campum.
5 Verbum facit vagabundus,
loquitur, dum spatiatur:
''O me masculum misellum,
vae me virum infelicem!
Incidi iam in res viles,
10 in inutilem laborem,
ut observem caudam bovis
et custodiam vitellos,
ut paludes cunctas calcem
reptans tristibus in terris!''

15 Super caespitem assedit,
restitit aprico loco.
Ibi versibus profatus
ita cantat cantiones:
''Dies, splendeas, divine,
20 orbis lucide, lucescas
fabri pecudum pastori,
armentario misello,
at ne villis Ilmarinis
neve dominae matronae!
25 Degit domina perbelle,
panem album sibi secat,
usque devorat placentas,
illas illinit butyro.
Pastor autem panem siccum,
30 crustam aridam corrodit,
ambedit avenis factam,
secat panem paleatum,
glumis mixtum in os infert
et corticeum consumit,
35 haurit ligula liquorem
de fonticulo herboso.

Alme sol, procede celer,
decide, divinum lumen,
versus silvam abietinam,
40 fugiens in fruticetum,
volans in iuniperetum,
altitudinem alnorum!
Fac pastorem iam reverti,
ut butyrum sibi secet
45 et azymum panem frangat
et placentulis pascatur!''

Uxor Ilmarinis fabri
armentario cantante,
Kullervoine cuculante,
50 iam secuerat butyrum,
panem fregerat azymum
paveratque se placentis;
pultem fecerat aquosam
servo, crambem repetitam,
55 quam catellus degustarat
iam adipibus ablatis,
affatimque canis ater,
canis canus sat superque.

Avis nemoris cantavit,
60 avicellus de dumeto:

''Tempus est, ut servus edat,
orphanus ut cenam sumat.''
Kullervo, stirps Kalervonis,
vidit diem iam vergentem.
65 Verbis fere his profatur:
''Iam est tempus manducandi,
tempus cibum capiendi
et viaticum videndi.''
Boves cubitum exegit,
70 ut quiescerent in tesquis;
ipse sedit inter herbas,
super caespitem virentem.
Manticam de tergo solvit,
unde panem manu prompsit.
75 Quem spectabat et versabat.
Dein dictis ita fatur:
''Panis specie perbellus
et lēvissimus aspectu
est persaepe paleatus
80 et re vera glumis factus.''

Strinxit cultrum e vagina,
ut paniculum secaret:
ferit lapidem cultellus,
contra petram est elapsus;
85 cultri lamna relaxata
est in duas partes rupta.
Kullervo, stirps Kalervonis,
intuens cultellum carum
incipit illacrimare.
90 Verbum facit, ita fatur:
''Unus culter erat carus,
unum ferrum praedilectum,
res a patre comparata,
a parente mihi data;
95 eam quoque petra fregi
et in lapidem impegi,
panem dominae malignae,
quem concoxerat iniqua.
Qua rependam rem amaram,
100 mulierculae derisum,
fraudem feminae malignae,
panem malae meretricis?''

Cornix canit in virgeto,
cornix canit, corvus crocat:
105 ''Heu, vir miser, fibulate,
unica stirps Kalervonis!
Cur es ita maestus mente,
corde male contristatus?
Sumpta virga de virgeto,
110 betullina, de convalle,
in paludem age boves,
fimo foedas in limosa
partim lupis lacerandas,
partim ursulis silvarum!
115 Cita lupos in catervam,
ursos universos coge!
Lupos pone loco boum
et in vaccas ursos verte,
quos pro grege domum ducas,
120 in cohortem variatos!
Sic derisum rependebis,
probra feminae malignae.''

Kullervo, stirps Kalervonis,
verbis fere his profatur:
125 ''Mane paulum, malum scortum!
Si deploro cultrum patris,
deplorabis ipsa quoque
ob lactiferas lamentans.''
Sumit virgam ex virgeto,
130 iunipereum flagellum;
vaccas pellit in paludem,
tauros arborum in stragem
partim lupis lacerandos,
partim ursulis silvarum.
135 Lupos in armentum mutat,
ursulos in vaccas vertit
factis aliis vitellis,
aliis gibbosis bubus.

Dies vergit in occasum,
140 versus vesperam se vertit,
petit silvam abietinam,
volat ad mulgendi horam.
Armentarius misellus,
Kullervo, stirps Kalervonis,
145 ursos domum incitavit,
lupos duxit in cohortem.
Adhuc ursos admonebat,
lupis suis sic suadebat:
''Femur dominae discinde
150 et dimidium surarum,
venerit cum ad videndum,
sederit cum ad mulgendum!''
Bucinam ex osse bovis,
lituum ex cornu tauri,
155 tubam pede de vaccino,
crure tibias confecit.
Bucinula bucinavit,
cornu fortiter inflavit
prope domum ter in colle,
160 sexies in primis vicis.

Illa coniux Ilmarinis,
fabri femina superba,
degit diu sine lacte,
expers agit et butyri.
165 Audit cantum a palude,
sonitum de locis tesquis.
Verbis fere his profata,
his loquelis est locuta:
''Deus, esto nunc laudatus!
170 Cornu canit, grex propinquat!
Unde servus cornu cepit,
ubi bucinam invenit,
quia canens appropinquat,
inflat ita torvam tubam,
175 ut perrumpat meas aures,
cantu caput defatiget?''
Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
''De palude cornu cepit,
180 tubam detulit de caeno.
Iam est grex in tuo vico,
stat ad stabulum in agro;
veni, facias ut fumum,
vade vaccas ad mulgendas!''

185 Uxor Ilmarinis illa
iussit vetulam mulgere:
''Ad mulgendas vaccas vade,
ad curandas meas boves!
Ipsa facere non possum
190 ob parandam panis massam.''
Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
''Semper sedulae matronae,
dominae dispensatrices,
195 vaccas antea mulserunt,
ipsae boves curaverunt.''

Dein uxor Ilmarinis
it ad fumum faciendum,
ipsa venit ad mulgendum.
200 Oculis in vaccas versis
suas pecudes inspectat;
verbum facit, ita fatur:
''Boves pulchrae sunt aspectu,
pilis pecudes decorae,
205 pelle lēves velut lynces
aut lanugines ovinae;
sunt uberibus distentis,
ex papillis laborantes.''
Sedit, vaccas ut mulgeret,
210 et elicere lac coepit.
Pressit semel et secundum,
tertiumque mox temptavit:
lupus irruit in illam
urso comite currente.
215 Lupus vultum laceravit,
ursus rupit cruris venas
et dimidium surarum

calce tibiaque fracta.
Kullervo, stirps Kalervonis,
220 ita dominae derisum,
fraudem feminae rependit,
probra mulieris malignae.

Ilmaris matrona magna
ibi solvitur in fletum
225 verbis fere his profata:
"Male, pastor, tu fecisti,
ursos domum cum egisti,
lupos areas in amplas!"
Kullervo, stirps Kalervonis,
230 ad haec ita responsavit:
"Male miser pastor feci,
neque bene tu, misella!
Panem saxeum finxisti,
lapideum concoxisti:
235 culter incidit in petram,
contra lapidem est lapsus
– culter unicus paternus,
ferreus, familiaris!"

Ait uxor Ilmarinis:
240 "Care pastor, o dilecte!
Retractatis tuis verbis
et loquelis revocatis
libera me lupi dente
et ab unguibus ursinis!
245 Te subuculis ornabo,
bellis bracis decorabo,
te frumento butyroque,
novo lacteo liquore
annum alam otiosum,
250 alterum desidiosum.
Nisi veneris solutum,
me his malis liberatum,
moriar mox mala morte
in pulvisculum redacta."
255 Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
"Mortem obi, moritura,
peri, cum sis peritura!
Locus mortuis est terra,
260 sepulcretum vita functis,
ubi dormiat et dives,
requiescat vel praepollens."

Ait uxor Ilmarinis:
"Ukko, deus o supreme!
265 Magnum arcum maturato
optans optimum tuorum;
pone spiculum aeratum
super arcum coruscantem!
Mitte missile coruscum,
270 ita iace firmum telum,
ut axillae perforentur
atque carnes umerorum:
neca natum Kalervonis,
mitte miserum ad mortem
275 chalybeia sagitta,
tuis spiculis aeratis!"
Kullervo, stirps Kalervonis,
verbis vero his profatur:
"Ukko, deus o supreme!
280 Memet tu ferire noli!
Ilmaris uxorem feri,
dele dominam dolosam,
ne hoc loco moveatur
neve quoquam ire possit!"

285 Dein uxor Ilmarinis,
coniux fabri diligentis,
morte lumina mox clausit
facie fuliginosa
in cohorte suae domus,
290 suis areis angustis.
Fuit finis iuvenillae,
pulchrae feminae matronae,
diu quam desideratam
expetiverant per annos
295 gaudium in sempiternum
Ilmarini, viro fabro.

CANTIO XXXIV

Kullervo, stirps Kalervonis,
glaucis calciis indutus,
flavis crinibus decorus,
pulchra pelle calceatus,
5 sponte statuit abire
linquens domum Ilmarinis,
antequam audiret erus
auribus uxoris mortem
et in corde contristatus
10 arma sumeret in ipsum.
Canens liquit villam fabri,
laetabundus eas terras,
sonans dulciter in dumis,
acriter in agris ustis:
15 palus tremit, terra tonat,
tesqua cantui respondent
Kullervoine sic cantante,
exsultante viro malo.

Vox in fabricam perfertur.
20 Faber opere relicto
venit foras, ut audiret,
et in vicum, ut videret,
quid in silva sic sonaret,
dulce streperet in dumis.
25 Vidit certam veritatem,
res veraces, haud mendaces:
vidit feminam defunctam,
suam mortuam formosam,
mortuam in ipsa corte,
30 inter herbas cecidisse.
Ibi mansit malleator
corde male contristatus.
Totam noctem lacrimavit,
septem dies deploravit.
35 Mens non melior est pice,
cor non candet plus carbone.

Ipse Kullervo cedebat,
ambulabat sine meta,
diem totum per deserta,
40 loca tesqua tenebrosa.
Verum vesperi, sub nocte,
humi denique resedit.
Ibi sedet vir intutus,
reputat rem orbus patre:
45 ''Quis me quoque procreavit,
quis me miserum formavit,
ut vagarer usque quaque
in aeternum sub hoc divo?
Domum alii nunc eunt,
50 petunt rursus suam sedem:
mihi domus in deserto,
est in tesquis mihi tectum,
est in vento mihi focus,
imbres loco balneorum.

55 Deus optime, nolito,
umquam, precor te, nolito,
monstrum filii creare
tam intutum, derelictum,
patre orbum sub hoc caelum,
60 matre orbum posthac quemquam,
ut me, Deus, creavisti,

me misellum formavisti,
viverem ut velut larus,
ales scopuli marini!
65 Hirundinibus lucescit
et passeribus albescit
dies laetus avicellis;
at non mihi dies ullus
umquam oritur iucundus,
70 nullo tempore lux laeta!
Nescio procreatorem
neque meam genetricem.
An me clangula confecit,
anas aluit in stagno,
75 crecca litoris creavit,
mergus posuit in petris?

Parvus sum a patre lictus,
humilis a mea matre.
Genitoribus defunctis
80 omnis obiit stirps magna;
ita soccis glaciatis,
tibialibus duratis
sum relictus super nive,
in ponticulis infirmis,
85 ut perirem in palude
et comprimerer in caeno.
Attamen non hac aetate,
etiam non mihi vacat,
ut ponticulus paludis
90 fiam, truncus lutulentus.
In palude non peribo,
dum portabo duas manus,
quinque digitos dum tendam
aut altabo decem ungues."

95 Tandem id in mentem venit,
cerebro res illa haesit,
ut Untonem visitaret
plagas puniens paternas,
patris plagas, matris fletus,
100 asperas tractationes.

Verbum facit, ita fatur:
"Untamoinen, exspectato,
funus meae stirpis, mane!
Bello contra te suscepto
105 cremabone tuas domos,
in carbunculos comburam?"

Ei mulier obvenit,
anus caerula lacerna.
Quae his verbis tum profata,
110 his loquelis est locuta:
"Quo profectus, Kullervoinen,
vadis, fili Kalervonis?"
Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
115 "Id in mentem mihi venit,
cerebro res illa haesit,
alio hinc ut abirem,
ut Untonem visitarem
funus stirpis puniturus,
120 patris plagas, matris fletus,
crematurus omnes domos,
in carbunculos usturus."

Anus verbis his profata,
his loquelis est locuta:
125 "Non est tua gens deleta,
nondum occidit Kalervo.
Pater tuus adhuc vivit,
mater sospes est et salva."
"Anus alma, mea cara!
130 Mihi sodes dic, dilecta:
ubinam est meus pater,
ubi pulchra procreatrix?"
"Ibi quidem tuus pater,
ibi pulchra procreatrix
135 in Lapponum lata plaga,
apud lacum pisculentum."
"Anus alma, mea cara!
Mihi sodes dic, dilecta:
quonam modo pervenire,

140 eo possim permeare?"

"Eo poteris venire,
peregrinus permeare,
saltus angulum transire,
currere per amnis ripam.
145 Ibis diem alterumque
tertiumque mox dierum
iter vertens versus caurum.
Obvium habebis collem:
subter collem ambulato
150 sequens eius latus laevum.
Flumen postea habebis
viam faciens a dextra:
ito sequens eam ripam
praeter amnes tres torrentes!
155 Venies in sinum longum,
promunturium extremum;
est tugurium in eo,
casa parva piscatorum:
ibi vivit tuus pater,
160 ibi pulchra procreatrix,
ibi quidem et sorores,
duae filiae formosae."

Kullervo, stirps Kalervonis,
inde coepit ambulare.
165 Iit diem alterumque
tertiumque mox dierum
iter vertens versus caurum.
Obvius fit illi collis:
subter collem ambulavit
170 sequens eius latus laevum.
Tum ad fluvium advenit:
iit sequens eius ripam,
latus fluminis sinistrum.
Praeter amnes tres torrentes
175 venit in perlongum sinum,
promunturium extremum:
est tugurium in eo,
casa parva piscatorum.

In tugurium ingressus
180 manet incolis ignotus:
"Unde, hospes, huc transisti,
ubi habitas, viator?"
"Nonne filium novisti,
non novisti tuum natum,
185 quem heroes Untamonis
secum domum portaverunt
puerulum dodrantalem,
parvum, parem matris fuso."

Mater dicere maturat,
190 vetus femina sic fatur:
"Vae te, mi miselle nate,
fibulate vir infelix!
Ergo vivus et superstes
has per terras viam facis,
195 cum te fleverim defunctum
et putaverim perisse!
Duos filios habebam,
duas filias formosas.
At ex eis iam misella
200 duos perdidi maiores:
filium in magno bello,
natam vias in ignotas.
Meus filius revertit,
nata non est reversura."

205 Kullervo, stirps Kalervonis,
ipse quaerere maturat:
"Nata quonam iit pessum,
quo germana mea cessit?"
Mater verbis his profata,
210 his loquelis est locuta:
"Ita pessum iit illa,
sic germana tua cessit:
bacas carpere volebat,
rubros rubulos sub monte;
215 periit sic meus pullus,
avis animam amisit,
mortem obiit ignotam,

unde nuntius non venit.

Quis desiderat puellam?
220 Quisnam, nisi mater alma!
Mater quaerit praeter omnes,
praeter omnes dolorosa.
Exii, misella mater,
ut requirerem puellam
225 saltus peragrans ut ursa,
solas insulas ut lutra.
Natam diem alterumque
tertiumque iam quaesivi.
Tertium post diem demum,
230 ante finem septimanae
clivum asperum ascendi,
collem altum et excelsum.

Voce filiam vocavi,
deviam desideravi:
235 'Ubinam es, mea nata?
Veni, filia, iam domum!'
Ita filiam vocavi,
deviam desideravi.
Colles contra sonuerunt,
240 loca tesqua tonuerunt:
'Noli filiam vocare,
noli voce vocitare!
Numquam illa revertetur,
nullo tempore redibit
245 domum, pristinam ad matrem,
patris veteris in portum.' ''

CANTIO XXXV

Kullervo, stirps Kalervonis,
glaucis calciis indutus,
inde coepit victitare
in parentium tutela;
5 at astutus non evasit
neque factus est vir prudens,
quod eductus erat prave
et nutritus malo more
apud pravum eductorem,
10 illum nequam nutritorem.

Volens opus operari
in laborem est profectus.
Puer abiit piscatum,
magnam tragulam tracturus.
15 Dein ita fere fatur,
reputat rem remum tenens:
''Ducens viribus pro meis
remigabo, quantum possum,
aut pro rebus remigabo,
20 ducens, quantum erit opus?''
Tum in puppi gubernator
his loquelis est locutus:
''Ducens viribus pro tuis,
remos flectens, quantum potes,
25 non navigium dirumpes
neque scalmulos confringes.''
Kullervo, stirps Kalervonis,
ducens viribus pro suis
remos flectit, quantum potest:
30 scalmis ligneis diruptis,
costis omnibus confractis
solvit barculam populnam.

Venit Kalervo spectatum.
Verbum facit, ita fatur:
35 ''Nihil vales remigator!
Scalmis ligneis diruptis,
costis omnibus confractis
totam barculam solvisti!
Pisces in sagenam coge!
40 Eris melior coactor.''
Kullervo, stirps Kalervonis,
pisces abiit coactum.
Contum tenens coactoris
verbum facit, ita fatur:
45 ''Viribusne pisces summis
pellam mea pro virtute
aut pro rata propulsabo
cogens, quantum erit opus?''
Ductor retis ita dixit:
50 ''Ad quid valet is coactor,
qui non summa vi propellit
nec propulsat pro virtute?''
Kullervo, stirps Kalervonis,
summis viribus coegit,
55 pro virtute propulsavit:
aquis penitus turbatis,
reti stuppeo soluto
pisces pinsit minutatim.

Venit Kalervo spectatum.
60 Verbum facit, ita fatur:
''Nihil vales ut coactor!

Reti stuppeo soluto
et corticibus confractis
funes quoque concidisti!
65 I tributum ad solvendum,
vectigalia vehenda!
Eris melior viator,
in itinere haud iners."
Kullervo, stirps Kalervonis,
70 glaucis calciis indutus,
flavis crinibus decorus,
pulchra pelle calceatus,
ad tributa persolvenda,
granum abiit vehendum.

75 Vectigalibus iam vectis
et tributis persolutis
iam se rapuit in traham,
in curriculum conscendit.
Est profectus versus domum,
80 suas terras repetebat.
Traha vectus vir securus
iter ibi faciebat
Väinölensibus in tesquis,
agris olim laboratis.
85 Obviam fit ei virgo
flavis crinibus decora
nartis labens per haec tesqua,
agros olim laboratos.
Kullervo, stirps Kalervonis,
90 ibi cursum iam frenavit;
coepit alloqui puellam,
illecebris invitare:
"Virgo, venias in traham,
in his pellibus recumbas!"
95 Virgo lubricis prolabens
nartis nixa sic illudit:
"Funus veniat in traham,
malus morbus super pelles!"

Kullervo, stirps Kalervonis,
100 glaucis calciis indutus,
ferit ferula veredum,
stringit verbere stridente.
Equus currit properanter,
traha labitur fragose.
105 Ita vectus vir securus
iter ibi faciebat
per apertum altum mare
aequor transiens extensum.
Obviam fit ei virgo
110 pulchra pelle calceata
per apertum altum mare
aequor transiens extensum.
Kullervo, stirps Kalervonis,
iam cantherium coërcet,
115 os adaptat temperatque
blandis verbis ita fatus:
"Scande currum, o decora,
mihi comes es, electa!"
Virgo vero sic responsat
120 calceata, voce firma:
"Mors ascendat tuum currum,
vir Infernus fiat comes!"

Kullervo, stirps Kalervonis,
glaucis calciis indutus,
125 ferit ferula veredum,
stringit verbere stridente.
Equus currit properanter
traha prorsus prolabente.
Ita vectus vir securus
130 iter ibi faciebat
Borealibus in tesquis,
latis finibus Lapponum.
Obviam fit ei virgo
pectus stagno decorata
135 Borealibus in tesquis,
latis finibus Lapponum.
Kullervo, stirps Kalervonis,
frenis equulum compescit,
os adaptat temperatque
140 blandis verbis ita fatus:

''Virgo, venias in traham,
sub coactam vestem, cara,
comedas ut mea māla
mordeasque meas nuces!''
145 Virgo vero sic responsat
pectus stagno decorata:
''Despuam in tuam traham,
nequam vir, in vilem currum!
Frigidum est sub coactis,
150 trux in traha commorari.''

Kullervo, stirps Kalervonis,
glaucis calciis indutus,
virginem in currum cepit,
rapuit in suam traham
155 positamque super pelle
veste stragula velavit.
Ibi iacens virgo fatur,
pectus stagnea rixatur:
''Fac me statim hinc abire,
160 hanc puellam liberato,
ne te videam, vir nequam,
neve precer te, probrose,
aut abrumpam calce fundum,
tuas assulas abscindam,
165 currulum frustatim frangam,
traham tuam minutatim!''

Kullervo, stirps Kalervonis,
glaucis calciis indutus,
reserat nummorum arcam
170 et operculum relaxat;
res argenteas ostendit,
vestes laneas expandit
calciasque deauratas
et cincturas argentatas.
175 Vestes virginem vicerunt,
nummi mentem mutaverunt
allectatam argentatis,
rebus aureis attractam.
Kullervo, stirps Kalervonis,
180 glaucis calciis indutus,
ibi virginem illectat,
adulatur et attillat
dextra tenens equi frena,
laeva virginis mamillas.
185 Ita virginem corrupit
pectus stagno decoratam
vestibus sub variatis,
super pelle maculosa.

Deus dedit novum mane,
190 novum diem iam ostendit.
Virgo verbis ita fatur,
sciscitatur, percontatur:
''Ex qua gente generatus,
ex qua stirpe, vir, venisti?
195 Sisne magna stirpe natus,
ortus patre potiore?''
Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
''Non sum magna stirpe natus,
200 neque magna neque parva,
sed ex gente mediocri:
filius sum Kalervonis,
natus stupidus et stultus,
puer pauper et misellus.
205 At dic ipsa tuam stirpem,
tuam gentem generosam,
si sis magna stirpe nata,
orta patre potiore!''

Virgo statim dat responsum,
210 verbum facit, ita fatur:
''Non sum magna stirpe nata,
neque magna neque parva,
sed ex gente mediocri:
filia sum Kalervonis,
215 virgo vacua, vesana,
pauper misera puella.
Olim, parvula cum essem
apud meam almam matrem,

bacas carpere volebam,
220 rubros rubulos sub monte.
Fragulas de terra legi,
rubros rubulos sub monte;
legi, noctem requievi.
Legi diem alterumque;
225 tertioque tum dierum
iter meum ignorabam:
trames traxit versus silvam,
sulcus in desertum duxit.

Ibi sedens lacrimavi.
230 Flevi diem alterumque
tertioque tum dierum
clivum asperum ascendi,
collem altum et excelsum.
Ibi voce vocitavi.
235 Saltus contra sonuerunt,
loca tesqua tonuerunt:
'Ne vocaveris, vesana,
amens, noli clamitare!
Non auditur tuus clamor,
240 non perfertur tuam domum.'
Triduo quadriduove
quinque sexve post diebus
iam ad mortem me paravi,
me commisi meae sorti.
245 Neque tamen iam decessi,
non sum mortua, misella!

Utinam tum decessissem
et paupercula perissem!
Anno postea secundo
250 tertiaque mox aestate
sicut gramen susurrassem,
flos camporum floruissem,
essem facta bona baca,
vel myrtillus rubicundus,
255 nec res asperas audissem
nec sensissem hos dolores."
Vix potuerat profari
sua fata sic locuta,
cum ex traha repens lapsa
260 cursu fluvium petivit,
amnem rapidum, ferventem
et torrentem aestuosum.
Ibi mortem oppetivit
diem obiens supremum,
265 sedem tutam sempiternam,
Dei gratiam in undis.

Kullervo, stirps Kalervonis,
praeceps desilit de traha,
incipit ubertim flere,
270 lacrimosus lamentari:
"Vae his miseris diebus,
rebus asperis, amaris,
quod germanam vitiavi,
matris filiam foedavi!
275 O mi pater, mea mater,
mei cari genitores!
Quam ob rem me creavistis,
quo me miserum tulistis?
Ego melior fuissem,
280 numquam natus, educatus,
numquam genitus sub divo,
in hac terra numquam ortus.
Neque recte fecit Funus
neque Morbus bene vidit,
285 cum me natum non necavit,
biduanum non peremit."

Cultro helcium diduxit
et ductaria dirupit,
insilit in dorsum equi,
290 costas capite stellati.
Aliquantulum provectus
paulum viae cum fecisset,
venit in cohortem patris,
almam aream parentis.
295 Mater in cohortem venit.
"Mater, quae me genuisti!

Utinam, misella mater,
cum me parvum parturires,
fumo spisso comparato,
300 bene foribus seratis
balneo me suffocasses,
biduanum peremisses;
corpus linteo volutum
aquis utinam mersisses,
305 igni cunulas iniectas
flammis utinam ussisses!
Si vicini quaesivissent:
'Cunae cur non sunt in domo,
cur est balneum seratum?' –
310 illis ipsa respondisses:
'Igne cunulas combussi,
lectulum in foci flammis.
In balneo paravi germen,
ibi maltos indulcavi.' "

315 Mater quaerere maturat,
parens ita percontatur:
"O mi fili, quid est tibi,
quid es novi narraturus?
Ut ab Inferis videris
320 vir a mortuis reversus!"
Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
"Mihi nova sunt narranda,
nam res turpes acciderunt,
325 quod germanam vitiavi,
matris filiam foedavi!
Vectigalibus iam vectis
et tributis persolutis
obviam advenit virgo,
330 quacum ludum ego lusi:
erat ea mea soror,
matris filia germana!

Ea mortem oppetivit,
diem obiit supremum
335 fluctibus in aestuosis
amne rapido fervente.
Ipse vero nunc ignoro
neque habeo compertum,
qua perimere me possim,
340 quonam modo miser mori,
ululantis lupi fauce,
ursi rictu rugientis,
an in alveo ballaenae,
dentibus marini monstri?"

345 Mater verbis ita fatur:
"Ne consciscas tibi mortem
ululantis lupi fauce,
ursi rictu rugientis
nec in alveo ballaenae,
350 dentibus marini monstri!
Est paeninsula Finnorum,
sunt Savonum lati fines,
ubi lateas ob scelus,
ob res turpes occulteris
355 annos quinque vel sex annos
aut post hos et annos novem,
donec gratiam det tempus,
anni leniant dolorem."

Kullervo, stirps Kalervonis,
360 verbum facit, ita fatur:
"In latebras non abibo
neque fugae me mandabo!
Proficiscar in os Mortis,
ante portas Inferorum,
365 petam loca proeliorum,
campos caede cruentatos.
Adhuc Unto stat superstes,
vir nefarius est vivus;
patris plagas non punivi
370 nec sum ultus fletus matris
immemor laboris mei,
asperae tractationis."

CANTIO XXXVI

Kullervo, stirps Kalervonis,
glaucis calciis indutus,
tum in pugnam profecturus
bellum gerere parabat.
5 Ensem acuit paulisper,
dein hastam asperavit.
Mater verbis ita fatur:
''Noli, fili mi miselle,
ire magnum in tumultum,
10 inter sonitum armorum!
Is, qui frustra petit bellum,
ex industria tumultum,
interficitur in bello,
facto proelio necatur,
15 perit ensibus peremptus,
suis gladiis occisus.
Capra vectus is in bellum,
hircum habens in tumultum.
Capra facile vincetur,
20 hircus humi prosternetur:
cane domum reverteris,
rana vectus in cohortem.''

Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
25 ''In palude non peribo
neque decidam in tesquis,
domiciliis corvorum,
in cornicum cultis campis,
cum in bellis interibo
30 interfectus in tumultu.
Est decorum mori bello,
inter sonitum armorum!
Morbus bellicus decorus:
cito moritur vir fortis,
35 nil aegrotat exiturus
nec macrescit moriturus.''

Mater autem sic respondit:
''Cum perieris in bello,
quid linquetur tuo patri
40 ad solamen senectutis?''
Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
''Pereat in purgamentis,
vitam finiat in vico!''
45 ''Quid manebit tuae matri
ad solamen senectutis?''
''Portans paleas perito,
in suili suffocetur!''
''Quid relictum erit fratri
50 ad subsidium futurum?''
''Is intereat in silva,
pereat in suis pratis!''
''Quid sorori relinquetur
ad subsidium futurum?''
55 ''Apud puteum occumbat,
ad lavacrum collabatur!''

Kullervo, stirps Kalervonis,
domo iamiam profecturus
patri verbis ita fatur:
60 ''Tibi, pater, valedico!
Num plorabis meam mortem,

cum cognoveris defunctum
excessisse me de gente,
de hac stirpe decessisse?"
65 Pater filio respondit:
"Non plorabo tuam mortem,
cum cognovero defunctum:
novum natum faciemus,
natum multo meliorem,
70 longe sapientiorem."
Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
"Equidem nec te deflebo,
cum audivero defunctum.
75 Parem faciam parentem:
luto vultum, saxo caput,
oculos ex oxycoccis,
barbam aridis ex fenis,
pedes salice bifurca,
80 carnes ligno putriore."

Inde fratri sic profatur:
"Tibi, frater, valedico!
Num plorabis meam mortem,
cum cognoveris defunctum
85 excessisse me de gente,
de hac stirpe decessisse?"
Frater verbis ita fatur:
"Non plorabo tuam mortem,
cum cognovero defunctum:
90 fratrem alium parabo
mihi multo meliorem,
fratrem duplo pulchriorem."
Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
95 "Equidem nec te deflebo,
cum cognovero defunctum.
Parem faciam germanum:
saxo caput, luto vultum,
oculos ex oxycoccis,
100 crines aridis ex fenis,
pedes salice bifurca,
carnes ligno putriore."

Tum germanam allocutus:
"Soror, tibi valedico!
105 Num plorabis meam mortem,
cum cognoveris defunctum
excessisse me de gente,
de hac stirpe decessisse?"
Soror ita responsavit:
110 "Non plorabo tuam mortem,
cum cognovero defunctum:
fratrem alium parabo
mihi multo meliorem,
longe sapientiorem."
115 Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
"Equidem nec te deflebo,
cum cognovero defunctam.
Parem faciam sororem:
120 saxo caput, luto vultum,
oculos ex oxycoccis,
crines aridis ex fenis,
aures autem ex nymphaeis,
corpus acerina virga."

125 Dein matrem allocutus:
"Cara genetrix, dilecta,
quae me, pulchra, peperisti,
dulcis mater, quae duxisti!
Num plorabis meam mortem,
130 cum cognoveris defunctum
excessisse me de gente,
de hac stirpe decessisse?"
Mater verbis his profata,
his loquelis est locuta:
135 "Matris mentem non novisti
et ignoras cor maternum.
Complorabo tuam mortem,
cum cognovero defunctum
te de populo deesse,
140 de hac stirpe decessisse:

fletu domum inundabo,
deploratu pavimentum,
prona plangam in his vicis,
in praesaepibus his praeceps;
145 flebo, donec nix solvatur,
donec terra fiat nuda,
donec gramina virescant,
viridantia pallescant.
Si quid pudeat plorare
150 neque possim lacrimare,
coram populo plorare,
clam in balneo plorabo,
inundabo summa scamna,
tabulatum balneare."

155 Kullervo, stirps Kalervonis,
glaucis calciis indutus,
cornu canens it in bellum,
in certamen laetabundus.
In paludibus, in terris,
160 strepitat in locis tesquis,
boat herbidis in pratis,
sonat aridis in arvis.
Fama fertur Kullervoni,
venit nuntius ad aures:
165 "Domi pater est defunctus,
tuus genitor decessit.
Veni, videas ut illum
et quo modo funus fiat!"
Kullervo, stirps Kalervonis,
170 ille statim dat responsum:
"Mortuus sit morte functus!
Domi nobis est caballus,
quo vehatur inhumandus,
efferatur in sepulcrum!"

175 Iter pergens personabat
ciens strepitum in campis.
Fama fertur Kullervoni,
venit nuntius ad aures:
"Domi frater est defunctus,
180 patris filius germanus.
Veni, videas ut illum
et quo modo funus fiat!"
Kullervo, stirps Kalervonis,
ille statim dat responsum:
185 "Mortuus sit morte functus!
Equum habent ibi domi,
quo vehatur inhumandus,
efferatur in sepulcrum!"

Iter pergens personabat
190 dulce canens in dumetis.
Fama fertur Kullervoni,
venit nuntius ad aures:
"Domi soror est defuncta,
patris filia germana.
195 Veni, videas ut illam
et quo modo funus fiat!"
Kullervo, stirps Kalervonis,
ille statim dat responsum:
"Mortua sit morte functa!
200 Equam domi nos habemus,
qua vehatur inhumanda,
efferatur in sepulcrum!"

Pergens aridis in arvis,
inter herbas personabat.
205 Fama fertur Kullervoni,
venit nuntius ad aures:
"Alma mater est defuncta,
mortem obiit mellita.
Veni, videas ut illam
210 a vicinis funerari!"
Kullervo, stirps Kalervonis,
verbum facit, ita fatur:
"Vae me filium misellum!
Est defuncta mea mater,
215 conopea quae suebat,
stragulas variegabat,
longa stamina ducebat,
magnum fusum quae torquebat;

nec adstabam morienti,
220 praesens vitam finienti!
Obiitne propter frigus
an inopia frumenti?

Domi mortua lavetur
in Saxonum saponatis,
225 veste serica veletur
linteisque vestiatur!
Tum vehatur inhumanda,
efferatur in sepulcrum,
devehatur cum plangore,
230 neniis sepeliatur!
Adhuc nequeo reverti:
est inultus adhuc Unto,
vir nefarius est vivus,
stat superstes scelerosus."

235 Cornu canens it in bellum,
versus Untolam exsultans.
Verbum facit, ita fatur:
"Ukko, deus o supreme!
Utinam des mihi spatham
240 et mucronem meliorem,
contra multos competentem,
vel adversus viros centum!"
Cepit gladium acceptum,
ensem optimum omnino,
245 quo delevit cunctam gentem,
stirpem sustulit Untonis.
Domos omnes concremavit,
in carbunculos combussit:
liquit lapides furnorum,
250 sorbum celsam in cohorte.

Kullervo, stirps Kalervonis,
domum suam se convertit,
versus villam prisci patris
et in campos genitoris:
255 vacuam in villam venit,
domum aperit desertam;
nemo venit amplexatum
aut porrigere vult manum.
Versus prunas manum vertit:
260 at sunt gelidi carbones.
Sic ingressus intellexit
matrem iam non esse vivam.
Ad fornacem manum ponit:
lapis frigidus fornacis.
265 Sic ingressus intellexit
patrem iam non esse vivum.
Pavimentum tum inspexit:
non est tersum tabulatum.
Sic ingressus intellexit
270 esse mortuam germanam.
Contulit in portum sese:
nulla puppis est in portu.
Sic reversus comprehendit
fratrem iam non esse vivum.

275 Inde solvitur in fletum;
diem flevit alterumque.
Dein dictis ita fatur:
"O dilecta mea mater!
Quidnam mihi reliquisti,
280 cum vixisti hac in terra?
Neque tamen sentis, mater,
super oculos cum plangam
et in frontem fletum fundam
vel in verticem suspirem!"
285 Ex sepulcro suscitata
mater admonet sub terra:
"Est relictus canis ater,
ut in silvam posses ire.
Deduc tecum tuum canem,
290 cum in silvam is venatum
surgens saltum in desertum,
ad puellulas silvestres,
nymphas nemoris ancillas,
arcem ad abietinam,
295 ut viaticum requiras
et preceris tibi praedam!"

Kullervo, stirps Kalervonis,
cane suo secum sumpto
coepit semitam calcare,
300 saltum scandere desertum.
Aliquantum ambulavit,
viae paululum iam fecit;
venit in id ipsum nemus,
incidit in illum locum,
305 ubi virginem corrupit,
matris filiam foedavit.
Pulchrum pratum lacrimabat,
ager almus querebatur,
herbae tenerae deflebant
310 et ericae deplorabant
virginem sic violatam,
matris filiam foedatam:
non altatur nova herba
neque floret flos ericae
315 floridus in eo solo,
illo loco tam iniquo,
ubi virginem corrupit,
matris filiam foedavit.

Kullervo, stirps Kalervonis,
320 ensem arripit acutum;
contemplatur, manu versat,
sciscitatur, percontatur,
rogat gladium, num velit,
ferat animus illius
325 carnem edere nocentem,
sontem sanguinem potare.
Viri mentem ensis vidit,
intellexit dicta verba.
His loquelis responsavit:
330 "Cur non velim libens quoque
carnem edere nocentem,
sontem sanguinem potare?
Nam et innocentem edo,
etiam insontem poto."

335 Kullervo, stirps Kalervonis,
glaucis calciis indutus,
capulum in agro fixit,
pressit penitus in terram,
in mucronem pectus vertit
340 et procubuit in illum.
Ibi mortem oppetivit,
diem obiit supremum.
Ita iuvenis decessit
morte Kullervo defunctus,
345 ita vitam vir finivit,
sic est mortuus infelix.

Sed vetustus Väinämöinen,
cum cognosset morte functum
decessisse Kullervonem,
350 verbum facit, ita fatur:
"Gentes posterae, nolite
prave prolem educare
apud stultum eductorem
aut altorem alienum!
355 Prave puer educatus
et nutritus malo more
numquam sapiens evadet
nec futurus est vir prudens,
licet vivat annos longos
360 corpore corroboratus."

CANTIO XXXVII

Ille faber Ilmarinen
suam vesperi deflebat,
flebat noctibus insomnis
et esuriens diebus;
5 multo mane querebatur,
sole novo suspirabat
iuvenillam iam defunctam,
pulchram, conditam sepulcro.
Nec manubrium martelli
10 aere factum manu versat
nec ex fabrica per mensem
pulsus potest exaudiri.
Ait faber Ilmarinen:
''Nescio, misellus homo,
15 quonam modo vitam vivam.
Sedeo vel sum supinus,
nox est longa, mens afflicta,
languent vires laborantis.

Vexor curis vespertinus,
20 tristi mente matutinus,
nocte taedium me tenet,
excitatum aegritudo.
Non me vexat vespertinus
neque dies matutinus,
25 nullum temporis momentum.
Sed desidero dilectam,
maestus sum ob meam caram,
nigris palpebris decoram.
Iamque tempore hoc tristi
30 saepe quidem, vir misellus,
meis somniis nocturnis
manu vacuum attingo,
hinc et illinc formam falsam
frustra bracchiis requiro.''

35 Faber viduus sic vivit,
sine coniuge senescit.
Flevit duos tresve menses.
Itaque iam quarto mense
aurum colligit de mari,
40 res argenteas ab undis;
lignis lectis et convectis
plevit traheas triginta;
lignum in carbones ussit,
quos in foculum portavit.
45 Auri sui tantum sumit,
tantum eligit argenti,
quantus agnus autumnalis
est aut hiemalis lepus.
Aurum in ardorem trudit,
50 fert in foculum argentum.
Servos iussit, ut sufflarent,
ut comprimerent conducti.

Servi strenui sufflabant,
follem famuli premebant
55 manibus non manicatis
atque humeris nudatis.
Ipse faber Ilmarinen
ignem excitat in foco
volens auream figuram,
60 novam nuptam argentatam.
Sed haud bene sufflant servi,

male comprimunt conducti.
Faber Ilmarinen ipse
opus suscipit sufflandi.
65 Semel iterumque sufflat
tertiaque vice demum
partem infimam fornacis,
foci fundum inspectavit,
quid ex foco proveniret,
70 quidnam flammis mitteretur.

Ovis provenit ex foco,
flammis mittitur fornacis:
auro crinis, alter aere,
factus tertius argento.
75 Alii rem admirantur,
non miratur Ilmarinen.
Ait faber Ilmarinen:
''Lupus sibi talem optat!
Nuptam auream optavi
80 et argenteam uxorem.''
Inde faber Ilmarinen
ovem trudit in fornacem.
Aurum aliud apponit
et argentum adhuc addit.
85 Servos iussit, ut sufflarent,
ut comprimerent conducti.

Servi strenui sufflabant,
follem famuli premebant
manibus non manicatis
90 atque humeris nudatis.
Ipse faber Ilmarinen
ignem excitat in foco
volens auream figuram,
novam nuptam argentatam.
95 Sed haud bene sufflant servi,
male comprimunt conducti.
Faber Ilmarinen ipse
opus suscipit sufflandi.
Semel iterumque sufflat
100 tertiaque vice demum
partem infimam fornacis,
foci fundum inspectavit,
quid ex foco proveniret,
quidnam flammis mitteretur.

105 Equus evenit ex foco,
flammis mittitur fornacis:
argento caput, crinis auro,
ungulae sunt aere factae.
Alii rem admirantur,
110 non miratur Ilmarinen.
Ait faber Ilmarinen:
''Lupus sibi talem optat!
Nuptam auream optavi
et argenteam uxorem.''
115 Inde faber Ilmarinen
equum trudit in fornacem.
Aurum aliud apponit
et argentum adhuc addit.
Servos iussit, ut sufflarent,
120 ut comprimerent conducti.

Servi strenui sufflabant,
follem famuli premebant
manibus non manicatis
atque humeris nudatis.
125 Ipse faber Ilmarinen
ignem excitat in foco
volens auream figuram,
novam nuptam argentatam.
Sed haud bene sufflant servi,
130 male comprimunt conducti.
Faber Ilmarinen ipse
opus suscipit sufflandi.
Semel iterumque sufflat
tertiaque vice demum
135 partem infimam fornacis,
foci fundum inspectavit,
quid ex foco proveniret,
quidnam flammis mitteretur.

Virgo provenit ex foco,
140 auricoma de fornace:
caput habet argentatum,
totum corpus decorosum.
Illam alii timebant,
at non timet Ilmarinen.
145 Inde faber Ilmarinen
formam auream incudit,
cudit noctem incessanter
et indesinenter diem.
Pedes perficit puellae,
150 pedes facit, format manus:
at non surgit pes puellae
neque manus amplexantur.
Aures virginis incudit:
at his auribus non audit.
155 Adaptavit os decorum,
os decorum oculosque.
Nullum verbum fit in ore
nec in oculis venustas.
Ait faber Ilmarinen:
160 ''Esset pulchra haec puella,
si loquelis loqueretur
habens animum et linguam.''

Dein virginem induxit
sub subtile conopeum,
165 in pulvinum mollicellum
lectulumque sericatum.
Inde faber Ilmarinen
bonum balneum calfecit,
apparavit et saponem;
170 virgas fregit ex virgeto,
tulit aquae tria tina,
qua fringillus lavaretur,
ales albus mundaretur
auri scoriis ab illis.
175 Faber bene balneavit
aquis usus abundanter.
Tum accubuit puellae
sub subtili conopeo,
lecti lauto lacunari,
180 ferro firmiter vestito.

Ibi faber Ilmarinen
protinus iam prima nocte
sibi stragula volebat,
multa pallia parabat,
185 duas, tres ursinas pelles
laneasque vestes quinque,
ut concumberet cum sponsa,
cum figura deaurata.
Latus quidem id calebat,
190 contra vestem quod vertebat;
id quod erat versus nuptam,
versus auream figuram,
latus frigidum fiebat
gelidumque congelabat,
195 velut glacies rigebat
et in saxum durescebat.

Ait faber Ilmarinen:
''Non est virgo mihi bona!
Quam in Väinöläm portabo
200 ad solamen Väinämöinis,
ut sit coniux sempiterna,
foveat quam suis alis.''
Quam in Väinöläm deportat.
Dein, eo cum venisset,
205 verbum facit, ita fatur:
''O vetuste Väinämöinen!
Ecce, habeas puellam
pulchram, facie formosam,
quae haud grandis est loquelis
210 nec maxillis nimis latis.''

Vetus vates Väinämöinen
aspicit figuram illam
oculis in auro fixis.
Verbum facit, ita fatur:
215 ''Mihi quam ob rem portasti
illud aureum phantasma?''

Ait faber Ilmarinen:
''Ob rem bonam id portavi,
ut sit coniux sempiterna,
220 foveas quam tuis alis.''
Ait vetus Väinämöinen:
''O tu faber, frater care!
Infer virginem in ignem,
fac ex illa res diversas
225 aut in Russiam exporta,
gere statuam Germanis,
quam uxorem ducant dites,
bello petant potiores!
Sed non decet meam stirpem
230 neque memet quidem ipsum
sponsam auream procari
aut argenteam amare.''

Ibi vetat Väinämöinen,
praemonet Suvantolanus,
235 vetat gentem germinantem,
crebrum populum crescentem,
aureas res revereri
et argenteas amare.
Verbis fere his profatus,
240 his loquelis est locutus:
''Viri miseri, nolite,
iuvenes adulescentes,
sive bona possidentes
sive bonis indigentes,
245 umquam, tempore vel ullo,
lunae lumine lucente
sponsam auream procari
aut argenteam amare!
Frigidus est fulgor auri,
250 splendor algidus argenti.''

CANTIO XXXVIII

Ille faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
liquit auream figuram,
suam sponsam argentatam.
5 Frenos inicit caballo
fulvo, curru quem subiungit.
Ipse traham est ingressus,
in curriculum conscendit.
Proficisci profitetur
10 atque statuit abire,
ut ex Borea procaret
alteram ex filiabus.
Diem unum est provectus
alterumque viam fecit;
15 die tertio pervenit
aream in Aquilonis.

Anus Aquilonis Louhi
in cohortem venit ipsa.
Ibi coepit percontari
20 voluitque sciscitari,
sua filia dilecta
quonam modo se haberet
apud virum nurus nupta,
apud socrum nova sponsa.
25 Faber autem Ilmarinen
corde maestus, aeger mente,
male pileo pendente
verbis fere his respondit:
''Noli, mea socrus cara,
30 a me quaerere nolito,
valeatne tua nata,
tua filia dilecta.
Eam Mors petivit morsu,
repens venit vitae finis.
35 Est sub terra bella baca,
tesquis tecta pulchra coniux,
nigris palpebris decora
femina sub siccis fenis.
Veni virginem procatum,
40 tuam natam iuniorem.
Da nunc, socera dilecta,
mihi filiam minorem,
quae succedat seniori
sedem occupans sororis!''

45 Anus Aquilonis Louhi
verbum facit, ita fatur:
''Male, mulier infelix,
pessime, misella, feci,
cum promisi meam natam,
50 tibi dedi seniorem,
ut obiret iuvenilla,
vitam viridis finiret:
dedi fauces in lupinas,
rictum ursi rugientis.
55 At nunc alteram non dabo
neque filiam promittam,
verrat quae farinam foci
et fuligines fornacis!
Natam potius promittam,
60 fidam filiam immittam
in torrentem resonantem,
turbinem in aestuosum,

faucibus Inferni gadi,
Leti lucio vorandam."

65 Inde faber Ilmarinen
torquet vultum, versat caput,
crines torvulos contorquet,
gyrat caput cincinnatum.
Est in atrium ingressus,
70 sese contulit sub tecta.
Verbum facit, ita fatur:
"Veni mecum, o puella,
sedem occupa sororis,
ut succedas seniori,
75 percoquas mellitum panem,
zythum facias perite!"

Parvulus in pavimento
et cantavit et dictavit:
"Abi, nequam, hac ab arce,
80 ab his portis, vir ignote!
Arcem partim pervertisti,
in peiorem mutavisti,
quondam cum huc advenisses,
cum has portas petivisses.
85 O puella, mea soror!
Cave proco delecteris,
cave facie confidas
nec mireris pulchros pedes!
Procus lupuli gingivas,
90 vulpis uncos sinu portat,
ungues ursi sub axilla,
zona cultrum cruentatum,
quo secabit tibi caput,
tergum tibi lacerabit."

95 Ipsa virgo dicit ita
Ilmarini, viro fabro:
"Non sum tecum profectura
neque volo viros vanos!
Priscam coniugem necasti,
100 meam ipsius germanam.
Forsan et me necaturus,
memet sis interfecturus.
Equidem est haec puella
meliori par marito,
105 instar proci pulchrioris,
digna curru cultiore,
sede multo meliore
latioribusque locis
quam est officina fabri,
110 focus foedus viri stulti."

Ille faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
torquet vultum, versat caput,
crines torvulos contorquet.
115 Virginem mox assecutus
bracchiis circumligavit,
instar imbris est egressus
petens praeceps suam traham;
virginem in traham trusit,
120 in curriculum coniecit.
Est profectus sine mora
iter facere paratus
dextra tenens equi frena,
laeva virginis mamillas.

125 Virgo flet et lamentatur,
verbum facit, ita fatur:
"Ad paludis bacas veni
et ad callas colligendas;
sic puellula peribo,
130 avis, animam amittam!
Audi, faber Ilmarinen!
Nisi me hinc liberabis,
calce frangam tuam traham,
currulum frustatim rumpam,
135 meis genibus testatim
cruribusque minutatim."
Ille faber Ilmarinen
verbis fere his profatur:
"Ideo sunt trahae fabri

140 ferro latera firmata,
ut sustentent calcitrantem,
virginem se contorquentem."

Virgo vero dolorosa,
cincta cingulis aeratis,
145 suos digitos distorquet,
manus flectit desperata.
Verbum facit, ita fatur:
"Nisi me hinc liberabis,
faciam me maris piscem,
150 vel coregonum undarum."
Ille faber Ilmarinen
verbis fere his profatur:
"Ita tu non dimitteris:
factus lucius te sequar."

155 Virgo vero dolorosa,
cincta cingulis aeratis,
suos digitos distorquet,
manus flectit desperata.
Verbum facit, ita fatur:
160 "Nisi me hinc liberabis,
inter silvam interibo
in mustelam commutata."
Ille faber Ilmarinen
verbis fere his profatur:
165 "Ita tu non dimitteris:
persequar te lutriformis."

Virgo vero dolorosa,
cincta cingulis aeratis,
suos digitos distorquet,
170 manus flectit desperata.
Verbum facit, ita fatur:
"Nisi me hinc liberabis,
in alaudam commutata
me post nubem occultabo."
175 Ille faber Ilmarinen
verbis fere his profatur:
"Ita tu non dimitteris:
ales aquila te sequar."

Aliquantulum provectus
180 iter fecerat pauxillum:
equus auribus arrectis
restitit iam inquietus.
Virgo capite levato,
vestigiis in nive visis
185 sciscitatur, percontatur:
"Quis hanc viam transcucurrit?"
Ait faber Ilmarinen:
"Lepus viam transcucurrit."
Virgo misera suspirat,
190 et suspirat et anhelat.
Verbum facit, ita fatur:
"Vae me virginem misellam!
Memet melius haberem
meliusque commorarer
195 sequens leporem pernicem,
curvis genibus currentem,
quam in traha huius proci,
sub coactis corrugati.
Pelle pulchrior est lepus,
200 lenius os leporinum."

Ille faber Ilmarinen
mordet labrum, versat caput;
pergit tamen ire porro.
Aliquantum est provectus:
205 rursus auribus arrectis
equus sistit inquietus.
Virgo capite levato,
vestigiis in nive visis
sciscitatur, percontatur:
210 "Quis hanc viam transcucurrit?"
Ait faber Ilmarinen:
"Vulpes viam transcucurrit."
Virgo misera suspirat,
et suspirat et anhelat.
215 Verbum facit, ita fatur:
"Vae me virginem misellam!

Memet melius haberem
meliusque commorarer
vecta vulpe vagabunda,
220 tracta trahula vulpina,
quam in traha huius proci,
sub coactis corrugati.
Pelle pulchrior est vulpes,
os venustius vulpinum."

225 Ille faber Ilmarinen
mordet labrum, versat caput;
pergit tamen ire porro.
Aliquantum est provectus:
rursus auribus arrectis
230 equus sistit inquietus.
Virgo capite levato,
vestigiis in nive visis
sciscitatur, percontatur:
"Quis hanc viam transcucurrit?"
235 Ait faber Ilmarinen:
"Lupus viam transcucurrit."
Virgo misera suspirat,
et suspirat et anhelat.
Verbum facit, ita fatur:
240 "Vae me virginem misellam!
Memet melius haberem
meliusque commorarer
sequens lupulum frementem,
rostrum suum demittentem,
245 quam in traha huius proci,
sub coactis corrugati.
Pelle pulchrior est lupus,
lenius est os lupinum."

Ille faber Ilmarinen
250 mordet labrum, versat caput.
Pergit tamen ire porro,
ut in vico pernoctaret.
Ex itinere defessus
faber artē condormiscit
255 – alter feminam seducit
hominis somniculosi.
Inde faber Ilmarinen
experrectus matutino
torquet vultum, versat caput,
260 crines torvulos contorquet.
Ait faber Ilmarinen,
meditatur, ita fatur:
"Iamne carmine suscepto
istam sponsulam incanto,
265 ut in silva sit silvestris
aut aquatilis in aqua?
Non in silvam istam canto:
aegre ferret omnis silva;
nec in aquam quidem mitto:
270 aquae pisculi paverent.
Ense potius prosternam,
pessum dabo mea spatha."

Viri mentem ensis vidit,
intellexit dicta verba.
275 Verbum facit, ita fatur:
"Non sum ideo creatus,
ut mulieres dem pessum,
male miseras prosternam."
Ille faber Ilmarinen
280 iam nunc coepit cantitare,
indignatus dictitare.
Sponsam cecinit in larum,
qui sederet super caute
et per petras personaret,
285 qui per sinus singultiret,
volans vento se libraret.

Inde faber Ilmarinen
iam se rapuit in traham.
Ita pergit ire porro
290 corde maestus, aeger mente;
vectus est in suas terras,
terras petiit pernotas.
Vetus vates Väinämöinen
obviam fit venienti.

295 Ibi coepit sciscitari:
"Frater, faber Ilmarinen!
Quam ob rem es aeger mente,
male pileo pendente
veniens ab Aquilone?
300 Aquilo, dic, quidnam agit?"

Ait faber Ilmarinen:
"Agunt bene Boreales!
Ibi Sampo stat et molit,
firmamentum circumfertur:
305 diem molit res edendas,
diem alterum vendendas,
diem tertium tenendas.
Tibi dico dictitoque
saepius rem repetendo:
310 agunt bene Boreales,
cum in Borea sit Sampo!
Ibi satus et aratus,
ibi rerum incrementum
et felicitas perennis."

315 Ait vetus Väinämöinen:
"Frater, faber Ilmarinen!
Sponsam ubinam liquisti,
ubi feminam famosam,
quia vacuus venisti
320 sine virgine reversus?"
Ille faber Ilmarinen
verbum facit, ita fatur:
"Istam ego cantu feci
larum scopuli marini.
325 Lariformis lamentatur,
gemit gavia marina,
plangit litoris in saxis,
complet scopulos clamore."

CANTIO XXXIX

Vetus vates Väinämöinen
ipse verbis his profatur:
''Heus tu faber Ilmarinen!
Adeamus Aquilonem,
5 ut Samponem capiamus,
firmamentum videamus!''
Ille faber Ilmarinen
verbum facit, ita fatur:
''Sampo poterit vix capi,
10 firmamentum deportari
tenebris ab Aquilonis,
nebulis Sariolanis!
Nam Samponem demoverunt,
firmamentum portaverunt
15 intra rupem Aquilonis,
in aëneas cavernas
novem seris obseratas;
sunt radices radicatae
in profundum novem passus:
20 una radix in tellure,
apud aquam est secunda,
tertia sub celso colle.''

Ait vetus Väinämöinen:
''Faber, o mi frater care!
25 Adeamus Aquilonem,
ut Samponem capiamus!
Magnam navem faciamus,
in quam Sampo subducatur,
firmamentum inferatur
30 rupibus ex Aquilonis,
ex aëneis cavernis,
novem seris obseratis!''
Ait faber Ilmarinen:
''Iter tutius terrestre.
35 Lempo petat mare magnum,
Funus pelagus profundum!
Ibi flatibus feremur,
ibi turbine tollemur,
digitis ut remigantes
40 palmis cursum gubernemus.''

Ait vetus Väinämöinen:
''Iter tutius terrestre,
tutius est duriusque
insuperque tortuosum.
45 Navis aquis delectatur,
libens currit levis linter,
splendet aquis in apertis
labens liquidis in undis.
Ventus cunulat carinam,
50 undis puppis propulsatur,
flatu vehitur favoni,
austro prorsum properatur.
Verum tamen nunc profecto,
quia non vis navigare,
55 iter terra faciamus
maris litora legentes!

Fac nunc mihi novum ferrum,
cude igneum mucronem,
feriam quo viros feros
60 fugans vulgus Boreale,
cum Samponem subducturi

vicum frigidum petemus,
Aquilonem tenebrosum,
Sariolam nebulosam!"
65 Ille faber Ilmarinen,
malleator sempiternus,
ferrum infert in caminum
chalybemque super prunas,
addit auri pugnum plenum,
70 manum alteram argenti.
Servos iussit, ut sufflarent,
ut comprimerent conducti.

Servi strenui sufflabant,
bene famuli premebant:
75 ferrum fluidum fluebat,
chalybs mollis curvabatur;
splendet liquidum argentum,
aurum fluctuat ut unda.
Inde faber Ilmarinen,
80 malleator sempiternus,
partem infimam fornacis,
foci fundum inspectabat:
vidit ensem figurari,
auro capulum formari.
85 Massam extulit ex igne,
rapuit res fabricandas
in incudem ex camino,
sub malleolum et marcum.
Fecit ferrum praeoptatum,
90 ensem optimum omnino,
quem et auro decoravit
argentoque variavit.

Vetus vates Väinämöinen
venit, illud ut videret.
95 Cepit igneum mucronem
manu dextera porrecta.
Eum versat, contemplatur;
verbum facit, ita fatur:
"Est ad virum ensis aptus,
100 spatha bona portatori?"

Erat ensis aptus viro,
spatha bona portatori:
luna lucet e mucrone,
sol ex acie resplendet,
105 capulus est stellis aptus;
hinnit equulus in lamna,
cattus gemit super clavo,
in vagina gannit canis.
Ensem experitur rimans
110 montis ferreas cavernas.
Ipse verbis ita fatur:
"Equidem hoc acri ferro
montes possim detruncare,
dura saxa desecare!"

115 Ipse faber Ilmarinen
verbum facit, ita fatur:
"Num quo modo vir misellus,
inops possim me munire,
expedire, custodire
120 contra terram, contra mare?
An thorace me tutabor,
me lorica loricabo,
zonis ferreis firmabo?
Est vir in thorace tutus
125 meliorque loricatus,
zona ferrea firmatus."

Tempus adest abeundi,
est profectio propinqua.
Unus vetus Väinämöinen,
130 alter faber Ilmarinen,
equum exeunt quaesitum,
albicrinem auscultatum
equuli capistris cincti,
frenos umeris ferentes.
135 Ambo quaeritant caballum,
inter arbores attendunt
diligenter prospectantes
totam caerulam per silvam.
Est in nemore repertus

140 albicrinis abiegno.
Vetus vates Väinämöinen
atque faber Ilmarinen
sibi carum capistrantes
frenant optimum caballum.
145 Tum itinere suscepto
maris litus sequebantur:
audiunt a ripa planctum,
gemitum a statione.

Vetus vates Väinämöinen
150 verbum facit, ita fatur:
''Ibi virgo fundit fletum,
pullus pipiat gallinae!
Adeamus ad videndum,
ad spectandum de propinquo?''
155 Ipse propius accessit,
est aggressus, ut videret.
Neque virgo fundit fletum
neque pipiat gallina:
navis lacrimas profundit,
160 linter ibi lamentatur.
Ait vetus Väinämöinen,
cum ad navem advenisset:
''Linter lignea, quid plangis,
quid, scalmosa, lamentaris?
165 Flesne ligneam naturam
cogitans de tuis scalmis?''

Linter lignea respondet,
scapha loquitur scalmosa:
''Navis duci vult in fluctus
170 et a tuta statione,
virgo vult ad virum duci
et ex generosa gente.
Id infelix linter fleo
doleoque dolorosa:
175 volo virum, qui deducat,
qui me deferat in fluctus.
Fabricantes dictitabant,
cantitabant construentes
me futuram longam navem,
180 navem bellicam me fore,
multa bona portaturam,
cunctis opibus onustam:
at in bellum non sum ducta
nec ad opes acquirendas!

185 Scaphis ceteris, malisque,
semper licet proeliari,
multis locis militare;
ter aestate revertuntur
res portantes pretiosas,
190 cunctis opibus onustae.
Ego navis ligno sculpta,
centum axibus aptata,
super assulis putrescens
in navalibus marcesco.
195 Viles quoque vermes terrae
habitant sub meis costis,
aves aëris atroces
nidum faciunt in mālo
et paludium bufones
200 saltitant per meas proras.
Duplo dulcius fuisset,
meliusque duplo, triplo,
esse pinulum in colle,
arborem me locis altis,
205 in qua curreret sciurus
quamque canis circumiret.''

Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
''Linter lignea, ne plange
210 nec, scalmosa, lamentare!
Mox licebit proeliari,
multis locis militare.
Si Creator te creavit,
et creavit et paravit,
215 te conicias in aquam,
usque margines in undas
nullis digitis deducta,

nullis manibus mandata,
nullis umeris propulsa,
220 nullis bracchiis levata!"
Linter lignea respondet,
scapha loquitur scalmosa:
"At non quisquam meae stirpis
nec germanae meae naves
225 aquam petunt, nisi pulsae,
maris fluctus, nisi ductae,
nisi manibus moventur
atque bracchiis vertuntur."

Ait vetus Väinämöinen:
230 "Si te duxerim in aquam,
iamne curras sine remis,
remige non remigante,
nulla palmula pulsante,
nullo velo ventis dato?"
235 Linter lignea respondet,
scapha loquitur scalmosa:
"At non quisquam meae gentis
neque navis meae stirpis
currit umquam sine remis,
240 remige non remigante,
nulla palmula pulsante,
nullo velo ventis dato."

Vetus vates Väinämöinen
dein dixit illa verba:
245 "Iamne curris remis recta,
remige te remigante,
aquam palmula pulsante,
velis tuis vento datis?"
Linter lignea respondet,
250 scapha loquitur scalmosa:
"Certe cetera stirps mea
et germanae meae naves
cucurrerunt remis rectae
remigeque remigante,
255 aquam palmula pulsante,
velis suis vento datis."

Tum vetustus Väinämöinen
equum in arena liquit,
arbore ligavit lorum,
260 frenos ramulo suspendit;
navem denique deduxit,
scapham cecinit in undas.
Lintrem ligneam rogavit,
verbum fecit ita fatus:
265 "Navis latere curvato,
linter lignea scalmosa!
Ad portandum es tam bona
quam spectantibus es pulchra?"
Linter lignea respondet,
270 scapha loquitur scalmosa:
"Ad portandos viros bona,
fundo sum tam spatiosa,
remigent ut me centeni
assidentibus millenis."

275 Tum vetustus Väinämöinen
coepit carmen cantillare.
Cecinit in unum latus
viros capite crinitos,
fortes, manibus robustos,
280 generosos, caligatos.
Alterum in navis latus
canit virgines venustas
caput stagno, zonam aere,
auro digitos decoras.
285 Adhuc canit Väinämöinen
multitudinem in transtra,
homines iam senescentes,
sederant qui semper domi,
ubi paulum erat loci
290 a iuvenibus relictum.
Ipse navem iam ingressus,
altam puppim betullinam,
aequor navigare coepit.
Verbum facit, ita fatur:
295 "Campos arbore desertos
curre, navis, amplas aquas!

Nata, scypha, sicut bulla,
ut nymphaeum inter undas!"

Iussit viros remigare,
300 iuxta virgines sedere.
Remis remigant curvatis,
at non iter celeratur.
Remos virgines movere,
viros iussit assidere.
305 Movent digitis recurvis,
at non iter celeratur.
Transfert senes remigatum,
iuxta iuvenes spectatum.
Caput remigant trementes,
310 nondum iter celeratur.
Inde faber Ilmarinen
ipse coepit remigare:
lignea iam currit linter,
iter tandem celeratur.
315 Remi procul audiuntur,
longe sonitus scalmorum.

Remigat vir laeta mente:
transtra lateraque fremunt
remo sorbeo sonante;
320 ansae strident ut perdices
palmae more lyrurorum,
prora cantat sicut cygnus,
puppis crocitat ut corvus,
scalmi clangunt sicut aucae.
325 Ipse vetus Väinämöinen
nave labitur per fluctus
in purpurea stans puppi,
tenens remulum robustum.
Terrae lingua tum apparet,
330 vilis viculus videtur.

Ibi habitabat Ahti,
Kauko lingulam colebat.
Flebat Kauko carens pisce,
panis pauper Lemminkäinen,
335 Ahti flebat parvum penum,
scurra vilitatem sortis.
Scaphae latera sculpebat
et carinam novae navis
in extrema longa lingua
340 prope viculum misellum.
Erat auribus acutis,
adhuc acriore visu.
Oculis in caurum fixis,
capite sub solem verso
345 arcum pluvium videbat,
nimbum, longe qui distabat.

At non arcus pluvialis
neque nimbus erat parvus:
navis ibi navigabat,
350 levis linter procurrebat
per apertum, altum mare,
superficiem extensam;
purus erat vir in puppi,
vir formosus remigabat.
355 Tum lascivus Lemminkäinen:
"Illam", inquit, "ignoramus,
navis nobis non est nota;
venit navigans a Finnis,
pulsa remis ab aurora,
360 cursum tenens versus caurum."

Vocat et vociferatur
et exclamat voce magna
in extrema terrae lingua
rubicundus vir trans aquas:
365 "Cuia ratis est in aqua,
cuia navis inter undas?"
Viri nautae sic loquuntur
et mulieres respondent:
"Quinam homo sis silvestris,
370 vir venator ex deserto,
cum ignores hanc carinam,
navem nostram Väinölensem,
neque noveris rectorem

neque remigem heroa?"

375 Tum lascivus Lemminkäinen:
"Iam gubernatorem novi,
remigem animadverto:
vetus vates Väinämöinen
ipse factus gubernator,
380 remex autem Ilmarinen.
Quo profecti, viri fortes,
iter facitis, heroes?"
Ait vetus Väinämöinen:
"Imus versus Aquilonem,
385 maximos in maris fluctus,
vertice spumantes undas,
ut Samponem appetamus,
firmamentum videamus
intra rupem Aquilonis,
390 in aëneis cavernis."

Tum lascivus Lemminkäinen:
"O vetuste Väinämöinen!
Etiam me, virum, sume,
sodes, tertium heroa,
395 cum Samponem sublaturus
firmamentum vis auferre!
Adhuc valeo pro viro,
si sit opus proeliari:
palmis meis do praeceptum
400 et consilium lacertis."
Vetus vates Väinämöinen
hominem tum secum sumpsit,
scurram comitem in scapham.
Vir lascivus Lemminkäinen
405 ita venit pede pernix,
pronus cedit properanter.
Secum tabulas apportat
in navigium Väinönis.

Ait vetus Väinämöinen
410 "Est in nave mea lignum,
latera sunt in hac lintre
ponderisque, quantum satis.
Cur has tabulas apportas,
adicis cur lignum lintri?"
415 Tum lascivus Lemminkäinen:
"Cautus navem non subvertit,
nec fulcimen feni metam.
Saepe maris Borealis
ventus temptat latus navis,
420 margines adversus ventus."
Ait vetus Väinämöinen:
"Propterea navis longae
costae factae sunt ferratae,
prora vero chalybeia,
425 ne procella deportetur
neve turbine tollatur."

CANTIO XL

Vetus vates Väinämöinen
nave labitur per fluctus
a paeninsula perlonga,
vili viculo relicto.
5 Aquas arat cantabundus,
laetabundus maris fluctus.
In paeninsulis puellae
prospectabant, auscultabant:
''Quae laetitia sit illa,
10 quinam cantus inter undas
melior quam umquam ante,
cantus pulchrior priore?''
Currit vetus Väinämöinen,
diem labitur per lacus,
15 diem alterum per stagna,
amnes tertium torrentes.

Vir lascivus Lemminkäinen
quasdam voces recordatus
prope rivulum rapacem,
20 apud amnem consecratum
verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
''Torrens, desine turbari,
aqua fervens, agitari!
25 Virgo fluvii spumosa!
Inside spumoso saxo,
pete petram aestuosam!
Aquas amnis amplexata
manibus circumligato,
30 spumas palmis contineto,
ne per pectora spargantur
nec irrorent nobis caput!

Anus, habitans sub undis,
apud aquas aestuantes!
35 Palmis surge super spumas,
tenus pectore te tolle,
colligas ut feros fluctus
aquas regens albescentes,
ne detrudant innocentem
40 culpa vacuum volventes!
Petrae medio torrente,
saxa maximis in spumis
frontem suam sic deponant,
ita verticem demergant,
45 ut non obstent rati rubrae,
lintri piceae labenti.

Si non suppetit, quod dixi,
Kimmo, fili tu Kammonis,
terebello terebrato,
50 furfuraculo forato
petram mediam torrentis,
latus lapidis maligni,
ne haerescat labens linter
neu carina corrumpatur!
55 Si non suppetit, quod dixi,
aquae dominus sub undis
saxa faciat muscosa,
lintrem lucii vesicam,
dum curramus inter fluctus,
60 inter vertices vehentes.

Virgo, vivens sub torrente,
apud amnem, o puella!
Fila filum nebulosum
vellere de nebuloso!
65 Super aquas filum tende,
linum caerulum in undas,
per quod currat levis linter,
prora picea labatur,
ut vir valeat meare,
70 inexpertus iter noscat!
Nympha remi gratiosa!
Sume remum gratiosum,
quo gubernes nostram navem
flumina per consecrata,
75 praeter domos invidorum,
sub venefici fenestris!
Si non suppetit, quod dixi,
Ukko, deus o caelestis,
tuo gladio guberna,
80 ense stricto rege cursum,
uti currat levis linter,
puppis pinea procedat!"

Ipse vetus Väinämöinen
nave labitur per fluctus.
85 Inter scopulos cucurrit
rapidissimis in undis;
nec haerescit levis linter,
navis vatis non resistit.
Ubi primum pervenerunt
90 inter aquas ampliores,
linter destitit prolabi
atque restitit repente.
Loco firmiter manebat
neque quoquam movebatur.

95 Ille faber Ilmarinen
et lascivus Lemminkäinen
remulis in aquam mersis
axibus tum abiegnis
navem solvere temptabant,
100 lintrem ita liberare:
at non currere vult navis
neque linter liberatur.
Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
105 "Lempis fili, tu lascive!
Inclinatus inspectato,
ubi haereat haec navis,
quanam re praepediatur
amplioribus in aquis,
110 his fluentis iam tranquillis,
utrum saxum anne truncus,
an sit aliud, quod obstat!"

Vir lascivus Lemminkäinen
se versavit ad videndum.
115 Sub naviculam inspectat,
verbum facit, ita fatur:
"Navis saxo non inhaeret,
nec in saxo nec in trunco:
est in umeris esocis,
120 scapulis aquarum canis."
Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Sunt in amne res diversae,
trunci quoque, luciique.
125 Cum in armis sit esocis,
scapulis aquarum canis,
aquam feri tuo ferro,
piscem gladio diffinde!"

Vir lascivus Lemminkäinen,
130 ille scurra rubicundus,
gladium evaginavit,
strinxit ossium rosorem.
Mare gladio cecidit,
desub latere percussit:
135 est in aquam ipse lapsus
spumas manibus dispergens.
Inde faber Ilmarinen
viri crinibus arreptis

eum extulit e mari.
140 Verbis ita fere fatur:
''Omnis generis sunt viri,
facti homines barbati,
ut centenis sint augmentum,
supplementum viris mille!''

145 Strinxit ensem, quem gerebat,
e vagina ferum ferrum,
quo petivit magnum piscem,
desub latere cecidit:
ensis est frustatim ruptus,
150 esox nil animadvertit.
Vetus vates Väinämöinen
ibi verbis his profatur:
''Vos semiviri vix estis,
homines vel ex triente!
155 Cum est opus aliquando
et requiritur vir fortis,
procul animus tum errat,
absunt omnes actiones.''

Ipse gladium educit,
160 acrem arripit mucronem.
Gladium in mare trusit,
desub latere temptavit
umeros esocis piscis,
scapulas aquarum canis.
165 Ferrum firmiter est fixum,
piscis branchiis inhaesit.
Tum vetustus Väinämöinen
piscem illum sublaturus
traxit lucium ex aqua:
170 est in duas partes ruptus;
cauda fugit versus fundum,
caput cecidit in navem.

Currere iam coepit scapha,
linter demum liberata.
175 Vetus vates Väinämöinen
navem appulit ad vadum,
raptim rapuit in litus.
Contemplatur, manu versat
caput lucii desectum.
180 Verbis fere his profatur:
''Qui veterrimus vir vestrum,
ille lucium discindat,
piscem dissecet in partes
eius capite conciso!''
185 Viri navitae loquuntur,
feminae de scapha fantur:
''Pulchriores piscatoris
palmae sunt et sanctiores.''

Vetus vates Väinämöinen
190 strinxit cultrum, quem gerebat,
ferrum frigidum eduxit,
quo dissecuit esocem,
in particulas divisit.
Verbis fere his profatur:
195 ''Quae tenerrima nympharum,
illa discoquat esocem,
apparet ut primum pastum,
prandium de pisce factum!''
Ad coquendum accesserunt
200 decem virgines certatim.
Ita lucium discoctum
prandent prandio parato.
Ossa piscis permanserunt,
sunt in litore relicta.

205 Vetus vates Väinämöinen
ibi contemplatur illa,
contemplatur, manu versat.
Verbum facit, ita fatur:
''Quid ex istis quoque fiat,
210 ex his dentibus esocis
atque maxima maxilla,
si sint apud virum fabrum,
optimum malleatorem,
manibus in sapientis?''
215 Ait faber Ilmarinen:

"Nihilo nil potest nasci,
nihil boni spina piscis,
nec in officina fabri,
optimi malleatoris,
220 manibus in sapientis."

Vetus vates Väinämöinen
verbis fere his profatur:
"Fieri fortasse potest
ex his cithara canora,
225 si sit artifex peritus,
faber fidium paratus."
Cum haud quisquam accessisset
nec adesset vir peritus,
faber fidium paratus,
230 vetus vates Väinämöinen
artifex est factus ipse,
coepit faber fabricari.
Fides ossibus esocis,
chelyn conficit aeternam.
235 Unde fidium fit capsa?
Magni piscis ex maxilla.
Unde clavuli sunt facti?
Sunt ex dentibus esocis.
Unde cepit eius chordas?
240 Cepit crines Hiisis equi.

Ita fides sunt perfectae,
cithara iam est parata,
ossibus esocis facta,
magna chelys piscis pinnis.
245 Iuvenes tum advenerunt,
advenerunt uxorati,
aderant adulescentes
et puellulae pusillae,
iuniores, seniores
250 et mulieres maturae,
ut viderent eas fides,
citharam ut inspectarent.
Vetus vates Väinämöinen
iussit iuvenes et senes
255 et aetate iam constantes
suis digitis pulsare
chelyn osseam canoram,
factam lucii maxilla.

Pulsant iuvenes et senes
260 et aetate iam constantes,
curvis digitis iuvenci,
senes capita trementes:
nec laetificat res laeta
neque cantus fit canorus.
265 Tum lascivus Lemminkäinen:
"O vos pueri vesani
vosque stupidae puellae
ceteraque turpis turba!
Nemo vestrum est cantator
270 callidusve citharoedus!
Mihi fides affertote,
citharamque mandatote
binis genibus incurvis,
denis unguibus extremis!"

275 Tum lascivus Lemminkäinen
citharam in manus cepit,
sibi sumpsit chelyn laetam,
fides digitis submisit.
Chordas temperat canoras,
280 fides versat et reversat:
at non resonat sonora,
chelys laeta non laetatur.
Ait vetus Väinämöinen:
"Non est in hac iuventute,
285 in hac gente germinante,
nec in senibus his quisquam,
cithara qui citharizet,
laetis fidibus laetetur.
Meliusne Boreales
290 cithara hac citharizent,
laetis fidibus laetentur?
Num in Aquilonem mittam?"

Borealibus mandavit,
in Sariolam rem misit.
295 Chordas pulsant Boreales
puerique puellaeque
et mariti coniugati
coniugesque maritatae.
Ipsa domina pulsabat,
300 chelyn manibus versabat
digitisque temperabat,
denis unguibus tenebat.
Chordas pulsant Boreales,
pulsant digitis diversi.
305 Nec melodia fit illa
neque modus modulatus:
chordae male torquebantur
atque crines crepitabant,
sonus obstrepebat raucus,
310 cantus asper apparebat.

Caecus dormit in recessu,
senex vetus super furno.
Somno senex tum solutus,
de fornace suscitatus
315 clamitat de suo lecto,
de recessu fremens fatur:
''Vos desistite, cessate,
iam desinite, finite!
Aures mihi vox perrumpit,
320 cantus caput defatigat;
est horribilis hic clamor,
somnum excutit in aevum!
Nisi fides Finlandensis
laeto sonitu delectat
325 neque dulci somno sopit
nec in lectulum inducit,
aut in aquam iacitote,
fluctibus immergitote,
aut reportatote rursus,
330 citharam remandatote
viri manibus, auctoris,
digitisque conditoris!''

Chelys dicere maturat,
sonat cithara his verbis:
335 ''Non in aquam vacat ire
nec subsistere sub undis!
Canam potius cantori,
crepitabo creatori.''
Diligenter deportatur,
340 demandatur modo pulchro
viri manui factoris
genibusque piscatoris.

CANTIO XLI

Vetus vates Väinämöinen,
incantator sempiternus,
digitos iam disponebat
pollicesque poliebat.
5 Sedit saxo gaudiorum,
petram carminum petivit,
clivum altum argentatum
et auricolorem collem.
Fides digitis admovit,
10 capsam genibus recurvam
cithara sub manus sumpta.
Verbum facit, ita fatur:
''Is adveniat auditum,
antea qui non audivit
15 vatem cithara canentem,
chelyn cantu resonantem!''

Tum vetustus Väinämöinen
coepit blandule pulsare
chelyn osseam canoram,
20 factam lucii maxilla.
Curvi digiti surgebant,
pollex pernix se levabat.
Iam laetitia fit vera,
sonat iubilum sonorum,
25 cantio iam est canora
musicaque modulata.
Lucii dens tinniebat,
personabat piscis cauda,
equi crines crepitabant,
30 caballini cantitabant.

Canit vetus Väinämöinen,
nec in silvis ulla talis
quadrupes est creatura,
suis cruribus discurrens,
35 quae non veniat auditum,
laetum cantum admiratum.
Se sciuri protendebant
inter frondes saltitantes;
admovebant se mustelae
40 super saepibus sistentes,
alces arvis insultabant,
lynces quoque laetabantur.

Lupus surgit de palude,
ursulus de locis tesquis,
45 suis ligneis de lustris,
de frondoso fruticeto.
Lupus currit iter longum,
ursus peragrat per tesqua;
tandem sistit super saepe,
50 conicit se contra portam:
saepes proruit in rupem,
decidit in terram porta.
Tum abietem ascendit,
pinum bestia petivit,
55 cantionem ut audiret
musicamque miraretur.

Tapiolae senex vigil,
erus ipse Metsolensis
omni populo stipatus,
60 et puellis puerisque,

collis petiit cacumen,
ut symphoniam sentiret.
Ipsa domina silvarum,
Tapiolae vigil era,
65 glaucis calciis induta,
rubris taeniis decora,
sistit in betulla trunca,
currit in recurvam alnum,
citharam ut auscultaret
70 et symphoniam sentiret.

Quot sunt aëris volucres,
binis alis volitantes,
tot venerunt velut imber,
festinanter festinantes
75 almum cantum auscultatum,
laetum sonum admiratum.
Postquam aquila percepit
fides illas Finlandenses,
pullulis in nido lictis
80 ipsa coepit volitare
versus cantum Väinämöinis,
vatis modulationem.
Ales advolat ab alto,
falco penetrans per nubes,
85 anas a profundis aquis,
cygnus liquidis de stagnis.
Et pusilluli fringilli,
avicellae garrientes,
cardueles ter centenae
90 et alaudae prope mille
mirabantur volitantes
aut in umeris sedentes
patre gaudium ciente,
cantitante Väinämöine.

95 Ipsae nymphae vento natae,
venti virgines venustae,
laetum cantum mirabantur
citharoedum auscultantes;
quaedam aëris in arcu
100 pluviali refulgebat,
quaedam super nubis parvae
limbo rubro rutilabat.
Virgo Lunae, pulchra nympha,
Solis filia frugalis,
105 ambae pectines tenebant,
sua licia levabant
telam auream texentes,
argentatam argutantes
apud nimbulum rubentem,
110 arcum pluvium extremum.
Auribus cum percepissent
sonum citharae canorum,
pecten labitur e palma,
cadit radius e manu,
115 filis aureis diruptis
sonat staminum argentum.

Neque fuit creatura,
animal in aqua vivens,
piscis multis pinnis motus,
120 nec aquaticum id agmen,
quod non venerit auditum,
laetum cantum admiratum.
Natant lucii luctantes,
aquae canes se torquentes,
125 salmo vadit vado licto,
coregonus ex altis aquis.
Percae, parvuli leucisci
aliique cum alburnis
in cannetum convenerunt
130 properantes prope litus,
vatis versus ut audirent
et symphoniam sentirent.

Ahto quoque, rex aquarum,
senex herbida cum barba,
135 ortus est in summam aquam,
inter lotos est illapsus;
ibi cantum auscultabat.
Ille quidem ita fatur:

"Antea hanc non audivi
140 umquam, tempore vel ullo,
cantionem Väinämöinis,
vatis exsultationem!"
Fulcae, nymphulae sorores,
inter calamos, cognatae,
145 crines suas pectinabant,
comam capitis comebant
pectinibus argentatis,
peniculis deauratis.
Novum sonum perceperunt,
150 cantum citharae canorum:
pecten lapsus est in aquam,
peniculus inter undas.
Coma remanet incompta,
crines capitis confusi.

155 Maris domina matrona,
pectus iuncis decorata,
ipsa iam e mari surgit
et ex fluctibus emergit;
in cannetum celeravit
160 et in scopulum conscendit,
ut audiret illum sonum,
cantionem Väinämöinis,
cum vox esset inaudita
atque cantio canora.
165 Illa cantu consopita
ventrem vertit versus terram
super petra picturata,
magnae cautis in cavernis.

Ibi vetus Väinämöinen
170 canit diem alterumque.
Neque fuit ullus heros
neque quisquam ita fortis,
neque femina nec homo
nec puellula comata,
175 cui non lacrimas cieret,
cuius cor non commoveret.
Plangunt iuvenes et senes,
plangunt caelibes virorum,
plangunt viri coniugati
180 plangunt et adulescentes,
puerique virginesque
atque servulae pusillae,
cum vox esset inaudita,
vatis cantio venusta.

185 Ipsiusque Väinämöinis
lacrimae delabebantur.
Guttis oculi madebant,
aquae stillae destillabant
oxycoccis crassiores,
190 pisis volubiliores,
ovulis rotundiores,
avis capite maiores.
Aquis oculus umebat,
umefactus est uterque.
195 Guttae decidunt in genas
et in faciem formosam,
tum de facie formosa
in maxillas eius magnas,
de maxillis eius magnis
200 super pectora superba,
de pectoribus superbis
super genua robusta,
dein de genibus robustis
super eius bonos pedes,
205 porro pedibus de bonis
super terram subter pedes;
quinque pallia pertransit
umor, zonas sex auratas,
caerulos vestitus septem,
210 octo laneas lacernas.

Lacrimae sic labebantur
a vetusto Väinämöine
versus litus maris glauci,
litore de maris glauci
215 subter limpidos liquores,
super fundum limo fuscum.

Tum vetustus Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
''Estne hac in iuventute,
220 inter iuvenes iucundos,
in hac gente generosa,
in familia famosa,
meas lacrimas qui legat
desub limpido liquore?''
225 Ibi iuvenes tum dicunt
atque senes sic responsant:
''Non est in hac iuventute,
inter iuvenes iucundos,
in hac gente generosa,
230 in familia famosa,
tuas lacrimas qui legat
desub limpido liquore.''

Tum vetustus Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
235 ''Illi, lacrimas qui levet
colligatque meas guttas
desub limpido liquore,
detur mantum plumis factum.''
Corvus volitans advenit.
240 Ait vetus Väinämöinen:
''Corve, lacrimas levato
desub limpido liquore!
Mantum plumeum donabo.''
Corvus eas non collegit.
245 Fulca, verbis his auditis
advolavit, avis glauca.
Ait vetus Väinämöinen:
''Saepe quidem, fulca glauca,
rostrum umidas in undis,
250 aquis maris recrearis:
ito, lacrimas levato
desub limpido liquore!
Feres maximam mercedem:
mantum plumeum donabo.''

255 Fulca voluit levare
lacrimulas Väinämöinis
desub limpido liquore
et de fundo limo fusco.
Lacrimas e mari lectas
260 vatis manibus mandavit:
iam in aliud mutatae,
in formosius formatae
gemmis pulchris generatis
erant factae margaritae,
265 regibus ut resplenderent
dominosque delectarent.

CANTIO XLII

Vetus vates Väinämöinen,
alter faber Ilmarinen
tertiusque Lempis natus,
Kaukomieli, homo bellus,
5 in profundum sunt profecti,
in extensos maris aestus,
frigidum in vicum versus,
Boream in tenebrosum,
ubi viri devorantur
10 heroesque demerguntur.
Quisnam debet remigare?
Ille faber Ilmarinen
ibi debet remex esse,
summis remis remigare,
15 et lascivus Lemminkäinen
remigare remis imis.

Vetus vates Väinämöinen
ipse puppim est ingressus.
Aequor ita navigabat
20 penetrans per eius fluctus
maximosque maris aestus,
undas vertice spumantes,
versus portus Boreales,
stationes pridem notas.
25 Et cum eo pervenissent,
iam itinere confecto
navem suam appulerunt,
proram piceam duxerunt
in cylindros chalybeios,
30 stabilem in stationem.

Ut ad domum advenerunt,
iam in ipsam intraverunt.
Quaerit anus Aquilonis
advenas sic allocuta:
35 "Quemnam nuntium affertis
aut quid audivistis novi?"
Vetus vates Väinämöinen
ad haec ita responsavit:
"Nuntius est de Sampone,
40 firmamento, res virorum.
Adsumus, ut videamus
et Samponem dividamus."
Anus ipsa Borealis
verbum facit, ita fatur:
45 "Perdix binis non partitur
nec sciurus viris trinis.
Bene Sampo hic susurrat
fungiturque firmamentum
intra rupem Aquilonis,
50 in aëneis cavernis.
Bonum est et mihi, magnam
quod possideo Samponem."

Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
55 "Nisi nobis erit data
pars dimidia Samponis,
illam totam hinc sublatam
in navigium feremus."
Anus Aquilonis Louhi
60 illud aegrius ferebat.
Convocavit Boreales,

iuniores gladiatos
et armatos seniores
contra vatem pugnaturos.

65 Vetus vates Väinämöinen
fidibus in manus sumptis
ad canendum cum sedisset,
coepit dulciter cantare.
Omnes volunt auscultare,
70 laetam musicam mirari,
omnes viri bona mente,
omnes feminae ridentes,
seniores lacrimantes,
genu nixi iuniores.
75 Multitudo fatigatur,
vulgus somno consopitur:
condormiscunt auditores
et succumbunt spectatores,
senes atque iuniores,
80 cantione Väinämöinis.

Tum vir prudens Väinämöinen,
vates ille sempiternus,
sinum suum manu temptat
atque sacculum rimatur.
85 Acus sumpsit somnolentas,
levit oculos sopore;
superciliis consertis
claustris palpebras coniunxit
multitudinis defessae,
90 quiescentium heroum:
longo somno soporavit,
ut diutius dormiret
tota domus Borealis
atque populus vicinus.

95 Iam Samponem it quaesitum,
firmamentum contemplatum,
intra rupem Aquilonis,
in aëneas cavernas,
novem seris obseratas,
100 decem pessulis occlusas.
Ibi vetus Väinämöinen
coepit carmen cantillare
ante fores cavernarum,
apud arcem saxo factam:
105 iam moventur arcis portae
cardinesque ferreati.
Ipse faber Ilmarinen
ibi socius illius
unxit pessulos butyro,
110 cardines illevit lardo,
limen ne lamentaretur
neve cardines creparent.
Claustra digitis laxavit,
obices levavit rastro:
115 iam repagula rumpuntur
firmis foribus apertis.

Tum vetustus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
"O lascive Lempis fili,
120 mihi maxime dilecte!
Ito, sumito Samponem,
firmamentum relaxato!"
Vir lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
125 expeditus et iniussu,
promptus et non excitatus,
it, ut capiat Samponem
et relaxet firmamentum.
Ait illuc profecturus,
130 abiturus gloriatur:

"Ita valeam vir fortis
et sim filius Ukkonis,
ut Samponem demovebo,
loco vertam firmamentum
135 usus solo dextro pede
aut calcaneo contingens!"
Lemminkäinen se movebat,
se movebat et vertebat

et Samponem amplexatus
140 genu nixus laborabat;
eam autem nusquam movit
nec devolvit firmamentum:
sunt radices radicatae
novem passus in profundum.

145 Bovem habent Boreales
bonum, corpore robustum,
costis admodum compactum
atque venulis venustum;
cornua sunt passum longa,
150 sesquipassum crassum rostrum.
Bove pascuis deducto,
vomere de campo capto
stirpes exarat Samponis,
ligamenta firmamenti:
155 iam movetur loco Sampo
solviturque firmamentum.
Tum vetustus Väinämöinen,
alter faber Ilmarinen
tertiusque Lemminkäinen
160 magnam demovent Samponem
desub saxis Aquilonis,
ex aëneis cavernis.
Eam deferunt in lintrem,
inferunt in suam navem.

165 Sic Sampone secum sumpta
in carinam, firmamento,
navem suam deduxerunt
centum axibus aptatam.
Navis irruit in aquam,
170 usque margines in undas.
Quaerit faber Ilmarinen,
verbum facit, ita fatur:
"Quonam Sampo devehetur,
quo portabitur locorum
175 de his sedibus sinistris,
agris tristibus Arctois?"

Vetus vates Väinämöinen
ita fere verbis fatur:
"Illuc Sampo devehetur,
180 deducetur firmamentum
in opacam longam linguam,
insulam sub nebulosam,
ut sit ibi fortunata
sedem habens sempiternam.
185 Ibi spatium est parvum,
locus, licet limitatus,
integer, inviolatus,
viri gladio non tactus."

Tum vetustus Väinämöinen
190 abiit ab Aquilone,
est profectus bona mente,
laetus patrias in terras.
Ibi dictitat his verbis:
"Ratis, Boream relinque,
195 proram verte versus domum,
puppim terris peregrinis!
Vente, cunula carinam,
aqua, navem agitato,
opem ferto remiganti,
200 levamentum gubernanti
amplioribus in aquis,
ubi pontus est apertus!

Si sint palmae nimis parvae
et infirmi remigantes
205 et minores moderantes,
pueri gubernatores,
affer, Ahto, tuos remos,
lintrem, domine liquoris,
palmas novas, meliores,
210 remulum robustiorem!
Ipse remis apprehensis
remex factus remigato!
Linter lignea fac currat,
scalmos ferrea feratur
215 maximos per maris aestus,

undas vertice spumantes!"

Ita vetus Väinämöinen
aequor ibi navigabat.
Ille faber Ilmarinen
220 et lascivus Lemminkäinen
aquas remis agitabant,
agitabant, remigabant
in extensis altis aquis,
illis fluctibus immensis.
225 Tum lascivus Lemminkäinen:
"Olim, tempore priore,
remex aquis abundabat
atque versibus cantator.
At nunc ipsum, in praesenti,
230 numquam licet auscultare
navigantis cantionem,
cantilenam inter undas."

Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
235 "Dedecet in nave cantus,
inter undas cantilena.
Carmen facit virum pigrum,
versus remigem morantur.
Dies aureus labatur,
240 opprimat nos nox repente
amplioribus in aquis,
in his fluctibus immensis."
Vir lascivus Lemminkäinen
verbum facit, ita fatur:
245 "Verum tamen tempus currit,
dies aufugit amoenus,
advenit nox festinanter
et crepusculum arrepit,
etsi numquam cies cantum
250 nec cantillas tota vita."

Vetus vates Väinämöinen
mare glaucum navigabat
diem unum alterumque.
Tertioque iam dierum
255 vir lascivus Lemminkäinen
repetendo requisivit:
"Cur non canis, Väinämöinen,
nec cantillas, care vates,
cum Samponem bonam nanctus
260 viam rectam repperisti?"
Vetus vates Väinämöinen
dat veraciter responsum:
"Immaturum est cantare
et praeproperum laetari.
265 Canere decebit demum,
aptum erit exsultare
nostris ianuis iam visis,
porta propria crepante."

At lascivus Lemminkäinen:
270 "Ipse factus gubernator,
quantum possem, cantitarem,
omni nisu cucularem;
alias fors non licebit
neque dabitur potestas.
275 Cum nolueris cantare,
ipse sum iam cantaturus."
Vir lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
os adaptat temperatque
280 musicamque modulatur.
Ita coepit cantillare,
miser maluit crepare
voce sua truculenta,
raucum gutture sonante.

285 Rugiebat Lemminkäinen,
Kaukomieli cantitabat:
os movetur, barba tremit
atque mentum agitatur.
Cantus longius auditur,
290 ultra mare modulamen,
in sex vicis exauditur
et trans aequora septena.

Grus sedebat trunco nixa
super caespite palustri,
295 ossa pedum numerabat,
crura sua sublevabat.
Illa valde consternatur
cantione Lemminkäinis.
Grus emisit vocem miram,
300 sonum taetrum consternata;
statim coepit volitare,
transvolat in Aquilonem.
Et cum eo pervenisset,
in paludem Borealem,
305 magna voce iam clamavit
et morose mugiebat:
Aquilonem suscitavit,
malas vires sic expergit.

Surgit anus Aquilonis
310 excitata longo somno.
Aream in armentorum,
ad granarium cucurrit;
suas pecudes inspectat,
modum aestimat frumenti:
315 nihil deest armentorum
nec frumentum est ablatum.
It in rupem lapidosam,
ad aëneas cavernas.
Ait, eo cum venisset:
320 ''Vae his miseris diebus!
Peregrinus est ingressus,
omnes seras relaxavit,
portas arcis agitavit,
ferra cardinum divulsit.
325 Sitne Sampo hinc subducta,
inscientibus ablata?''
Erat Sampo iam subducta,
firmamentum vi direptum
desub rupe Boreali,
330 ex aëneis cavernis,
novem seris obseratis,
decem pessulis occlusis.

Anus Aquilonis Louhi
illud aegrius ferebat
335 putans suam rem labare
minuique dignitatem.
Nympham nebulae precatur:
''Virgo, nympha nebulosa!
Cribro nebulam cribrato,
340 ventilabro fac vaporem,
duc caliginem de caelo,
fumum aëris ex auris
in extensos maris aestus,
ubi pontus est apertus,
345 fugiat ne Väinämöinen
neve quoquam possit ire.

Si non suppetit, quod dixi,
Iku-Turso, maris monstrum,
tolle caput de profundis,
350 tuum verticem ex undis!
Kalevensibus subversis
merge mari Väinölenses,
perde homines malignos
sub profundas maris undas!
355 Fac sic Sampo revertatur,
ut non nave devolvatur!
Si non suppetit, quod dixi,
Ukko, deus o supreme,
tu rex aureus aurarum,
360 rector rerum argentatus,
move magnam tempestatem,
vires excita caelorum!
Crea ventum, undam mitte
adversissimam carinae,
365 fugiat ne Väinämöinen
neve quoquam iter pergat!''

Virgo, nympha nebulosa,
spirat nebulam in mare,
auras facit vaporosas;
370 tenet vatem Väinämöinem
per continuas tres noctes

ita clausum glauco mari,
ut non possit pervenire
nec moveri suo loco.
375 Cum tres noctes quievisset
ita clausus glauco mari,
ait vetus Väinämöinen,
verbis ita fere fatur:
''Neque peior quidem homo
380 neque pigrior vir ullus
potest nebulis immergi
aut vaporibus devinci.''
Aquam gladio cecidit,
ense pelagus percussit.
385 Umor gladio cedebat,
ense liquor est discissus:
sursum nebula surrexit,
vapor vanuit in auras.
Sic caligine discussa
390 unda rursus resplendebat,
mare magnum videbatur,
mundus altus apparebat.

Transit temporis momentum,
interest haud longa mora.
395 Iam auditur magnum murmur
iuxta ratem rubicundam;
fluctus altus exaltatur
contra scapham Väinämöinis.
Ille faber Ilmarinen
400 ibi valde consternatur:
sanguis faciem reliquit,
color cecidit de genis.
Vestem traxit super caput,
super aures adaptavit,
405 bene vultum vir velavit
etiam oculis opertis.
Ipse vetus Väinämöinen
aquas proximas aspexit,
iuxta navem vultum vertit.
410 Novellastram rem notavit:
Iku-Turso, maris monstrum,
iuxta ratem rubicundam
caput tollit de profundis,
suum verticem ex undis.

415 Vetus vates Väinämöinen
eius aures apprehendit.
Aures tenens monstrum levat,
sciscitatur, percontatur,
verbum facit, ita fatur:
420 ''Iku-Turso, maris monstrum!
Quam ob rem sic surrexisti,
cur ex fluctibus emersus
ante homines appares,
prolem Kalevae praesertim?''
Iku-Turso, maris monstrum,
425 non est verbis delectatus
nec magnopere turbatus
neque statim dat responsum.

Vetus vates Väinämöinen
430 iterumque percontatur,
tertiumque sciscitatur:
''Iku-Turso, maris monstrum!
Quam ob rem sic surrexisti,
cur ex undis emersisti?''
435 Iku-Turso, maris monstrum,
vice tertia tum demum
verbis fere his respondet:
''Eam ob rem sic surrexi
his ex fluctibus emersus:
440 ego nempe cogitabam
stirpe Kalevae necata
restituere Samponem.
Si me miseris in undas
vili vita reservata,
445 numquam iterum emergam
ante homines apparens.''

Tum vetustus Väinämöinen
miserum in mare misit.
Ita fere verbis fatur:

450 "Iku-Turso, maris monstrum!
Ne surrexeris e mari
nec emerseris ex undis
ante homines apparens
post hoc lumen hodiernum!"
455 Itaque post diem illum
Turso non e mari surget
ante homines apparens,
donec erunt sol et luna,
donec dies erit almus
460 atque caelum admirandum.
Tum vetustus Väinämöinen
pergit porro navigare.

Transit temporis momentum,
interest haud longa mora.
465 Iam supremus deus Ukko,
ipse dominus aurarum,
flatus iussit, ut afflarent,
saevos ventos, ut saevirent.
Surgunt flatus ad afflandum,
470 turbines ad saeviendum.
Zephyrus flat violenter,
caurus ventus vehementer,
auster gravius anhelat,
foede stridet subsolanus,
475 eurus mugit malo more,
acer aquilo conspirat.
Frondes arborum avellit,
spinas eripit pinetis,
ericetis omnes flores
480 et vaginulas fenorum.
Traxit limum lutulentum
super limpidos liquores.

Valde venti tum spirabant,
undae navem verberabant.
485 Fidem osseam ferentes,
chelyn piscis pinnis factam,
vehunt vulgo Vellamonis,
qua gauderet gens Ahtonis.
Ahto citharam conspexit
490 suis liberis stipatus:
pulchrum barbiton susceptum
domum suam sustulerunt.
Tum vetustus Väinämöinen
largis lacrimis obortis
495 verbis ita fere fatur:
"Occidit sic opus meum,
cara chelys iit pessum,
perit gaudium aeternum!
Non sum posthac habiturus
500 umquam, tempore vel ullo,
chelyn dentibus esocis,
fidem ossibus confectam."

Ibi faber Ilmarinen
maxime sollicitatur.
505 Verbum facit, ita fatur:
"Vae his miseris diebus,
quod in pontum sum profectus,
in hoc pelagus profundum,
quod calcavi rotans lignum
510 perticamque tremebundam!
Iamque coma ventum vidit,
crinis saevam tempestatem,
barba mea dies diros
ante quoque his in aquis;
515 saepe numero non sensit
huius modi tempestatem,
fluctus adeo furentes,
vertice spumantes undas.
Turbines nunc sunt tutela,
520 soli fluctus defensores!"

Vetus vates Väinämöinen
de his rebus ita censet:
"Non in navibus est flendum
nec in lintre lamentandum!
525 Planctus liberat non malo
nec lamentum die diro."
Inde verbis ita fatus,

his loquelis est locutus:
''Aqua, filium vetato,
530 unda, natum prohibeto,
Ahto, pelagus placato,
aquae, Vellamo, catervas,
ne liquores super latus,
intra costas conspergantur!
535 Surge, vente, caelum usque,
pete nubila suprema,
tuam stirpem, nationem,
et originem et ortum!
Lintrem ligneam ne vertas,
540 puppim pineam ne mergas!
Verte potius pineta,
altas abietes prosterne!''

Vir lascivus Lemminkäinen,
Kaukomieli, homo bellus,
545 verbum facit, ita fatur:
''Ades, aquila Turjana!
Pinnulas tres apportato,
aquila, tres, corve, duas
in tutelam parvae puppis
550 marginesque malae navis!''
Ipse tabulas adiecit
marginesque praeparavit;
lintris latera supplevit
latis tabulis adiunctis,
555 ne traicerentur undae
neu trans latus spargerentur.
Latere iam satis lato
erant margines firmatae
contra torvam tempestatem
560 maximosque maris fluctus,
currerent cum inter undas,
inter vertices vehentes.

CANTIO XLIII

Anus Aquilonis Louhi
convocavit Boreales.
Omnes arcubus ornavit,
viros gladiis praecinxit;
5 navem Aquilonis armat
barca bellica parata.
Viros collocat in nave
et sic ordinat heroas,
uti fulca suos pullos,
10 anas parvulos disponit:
centum viros gladiatos,
arcubus armatos mille.
Navis arborem erexit
et antemnas apparavit;
15 tum in mālum vela pandit,
lina levat in antemnas,
– erant vela velut nimbus,
glomus nubium in caelo.
Inde vela dedit ventis,
20 vela dedit, maturavit,
ut appeteret Samponem
de navigio Väinönis.

Vetus vates Väinämöinen
vada caerula verrebat.
25 Verbum facit, ita fatur,
ita loquitur de puppi:
"O lascive Lempis fili,
mihi maxime dilecte!
Navis arborem ascende
30 et antemnam festinanter!
Oras caeli prospectato,
prospectato, respectato,
sintne clari caeli fines,
turbidine sint an clari!"

35 Vir lascivus Lemminkäinen,
ille scurra rubicundus,
expeditus et iniussu,
promptus et non excitatus,
navis arborem ascendit
40 et antemnam festinanter.
Spectat ortum, occidentem
et meridiem et caurum
et per oram Borealem.
Dein dictis ita fatur:
45 "Clarus aër est anticus,
at turbidulus posticus:
nubes est in aquilone,
nimbi limbulus in cauro."

Ait vetus Väinämöinen:
50 "Ea prorsus es mentitus!
Illa nubes non videtur
neque nimbi limbus ullus:
est velivola carina.
Diligentius spectato!"
55 Diligenter rursus spectat.
Verbis fere his profatur:
"Procul insula videtur,
eminus est in conspectu;
plenae pōpuli falconum
60 et betullae lyrurorum."

Ait vetus Väinämöinen:
"Ea prorsus es mentitus!
Hi falcones vix videntur
neque vero sunt lyruri:
65 homines sunt Boreales.
Bene tertium spectato!"
Vir lascivus Lemminkäinen
adhuc tertium prospexit.
Verbis fere his profatus,
70 his loquelis est locutus:
"Venit barca Borealis,
centiscalma sulcat undas!
Viri centum remos ducunt
assidentibus millenis!"

75 Tum vetustus Väinämöinen
cognita iam veritate
verbum facit, ita fatur:
"Ilmarinen, remigato,
remigato, Lemminkäinen,
80 omnis turba remigato,
ut hic lembus elabatur
et effugiat phaselus!"
Ilmarinen remigabat,
remigabat Lemminkäinen,
85 remigabat omnis turba.
Remis pineis reflexis
scalmi sorbei sonabant,
ratis pinea tremebat;
prora fremit more phocae,
90 puppis murmurat ut torrens,
aqua fervet et rebullit,
bullae fugiunt spumosae.

Viri remigant certatim,
freta verberant feroces:
95 at non iter celeratur,
linter lignea non fugit
prae velivola carina,
illa barca Boreali.
Tum vetustus Väinämöinen
100 iam se sensit periturum
imminente die diro.
Cogitat et meditatur,
quid sit sibi faciendum.
Verbis ita fere fatur:
105 "Et recordor rationem,
rem reperio novellam."

Manu fomites prehendit
et pyritas appetivit.
Sumpsit silicis lapillum
110 fomitisque parvum frustum;
quos in mare iaculatur
super umerum sinistrum.
Verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
115 "Ex his cautes scopulosa
crescat, insula celata,
in qua barca Borealis
centiscalma perfringatur
attemptata tempestate,
120 maris fluctibus afflicta!"

Ibi scopulus concrevit,
rupes maris est creata,
lóngior in ortum versus
et in boream obliqua.
125 Venit barca Borealis,
velox sulcat maris undas:
incidit in illas cautes,
haesit scopulis infixa.
Lintre lignea dirupta,
130 centicosta nave fracta
māli decidunt in mare
atque lintea labuntur
venti flatibus vehenda,
vernis auris agitanda.

135 Anus Aquilonis Louhi
currit pedibus in aquam
navem suam sublatura,

lintrem aquis levatura.
Neque navis vult levari,
140 scapha nequit commoveri
cunctis costulis confractis,
scalmis omnibus amissis.
Cogitat et meditatur.
Verbis ita fere fatur:
145 "Quidnam est nunc faciendum,
quod consilium sequendum?"

Iamque faciem convertit
ausa formam transformare.
Quinque falculas capessit,
150 sex ligones male laesos:
quos in ungues commutavit,
in digitulos convertit;
partem barculae confractae
suo corpori supponit,
155 vertit margines in alas,
gubernaculum in caudam;
centum milites sub alis,
mille ponit subter cauda,
centum viros gladiatos
160 sagittariosque mille.
Se distendit, ut volaret,
sicut aquila surrexit.
Pinnis nixa volitabat
Väinämöinem petitura:
165 nubes ala tangit una,
aquam altera perstringit.

Maris coniux speciosa
illa verbis ita fatur:
"O vetuste Väinämöinen!
170 Capite sub solem verso,
oculis in caurum fixis
paululum post te spectato!"
Vetus vates Väinämöinen
capite sub solem verso,
175 oculis in caurum fixis
paululum post se respexit:
venit anus Aquilonis,
avis volitat novella,
umeros falconis instar,
180 corpus autem aquilina!
Incidit in Väinämöinem.
Devolat in navis mālum,
raptim ruit in antemnam
sistens arbore suprema:
185 iamiam navis delapsura
in obliquum ferebatur.

Ibi faber Ilmarinen
se committit Creatori,
divo numine confisus.
190 Verbis fere his profatur:
"Probe, protege, Creator,
Deus, provide, decore,
ne se filius devertat,
matre natus, peccaturus,
195 semita de Creatoris,
tramite, quem Deus stravit!
Ukko, deus manifeste,
tu qui pater es caelestis!
Scorteam da coruscantem,
200 da camisiam candentem,
quibus proelier protectus
et munitus geram bellum,
pereat ne carum caput
neve decidat capillus
205 ferro fulgido ludente
et mucrone minitante!"

Ipse vetus Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Heus, matrona Borealis!
210 Iam Samponem dispertitum
venis lingulam in longam,
insulam sub nebulosam?"
Ait anus Aquilonis:
"Non dispertiam Samponem
215 socio te, vir vesane,

tecum, vetus Väinämöinen!"
Ipsa petiit Samponem
de navigio Väinönis.

Tum lascivus Lemminkäinen
220 stringit gladium, quem gerit,
acrem arripit mucronem
latere de suo laevo;
ungues aquilae temptabat,
palmas pedum verberabat.
225 Vir lascivus Lemminkäinen
ferit et his verbis fatur:
"Cadant viri, cadant enses,
decidant somniculosi
viri centum desub alis,
230 decem pinnis ab extremis!"
Ait anus Aquilonis
haerens in supremo mālo:
"O lascive Lempis fili,
Kauko miser, vir dolose!
235 Tuam matrem decepisti,
es mentitus genetrici
bella numquam te gesturum
annis sex aut annis decem,
licet esset opus auro
240 aut cupiditas argenti!"

Vir vetustus Väinämöinen,
vates ille sempiternus,
vidit tempus advenisse,
opportunum tum adesse.
245 Iam de mari remum traxit,
palmam querneam ex undis,
qua mulierem percussit,
ungues aquilae cecidit:
omnes ungues sunt confracti
250 uno minimo manente.
Desub alis decidentes
viri sunt in mari mersi,
viri centum desub alis,
mille milites de cauda.
255 Ales ipsa devolavit
in carinam sic delapsa,
ut de ramis gravis tetrix
aut ex arbore sciurus.
Tum Samponem appetebat
260 anulari digitillo.

Quam in fluctus fecit labi,
ita fudit firmamentum
lintris latere de rubro
maris caerulas in undas:
265 ibi frangitur sic Sampo,
firmamentum, frustillatim.
Quaedam frusta deciderunt,
partes maximae Samponis,
subter limpidos liquores,
270 super fundum limo fuscum;
ex his opes excreverunt,
aquae filiis thesauri.
Ita tempore iam nullo,
lunae lumine lucente,
275 opes defuerunt aquis
aut thesauri maris deo.

Partes aliae Samponis,
frusta minima, manserunt
maris caerulis in undis,
280 eius fluctibus profundis,
venti flatibus vehenda,
altis aquis agitanda.
Illa vento vehebantur,
frusta ferebantur aestu
285 maris caerulis in undis
atque fluctibus profundis.
Vento mota versus terram,
undis acta sunt in litus.

Vetus vates Väinämöinen
290 vidit pontum propulisse,
maris aestum emisisse,
undas demum eiecisse

illa frustula Samponis,
parvas partes firmamenti.
295 Qua re valde delectatus
verbum facit, ita fatur:
"Ibi seminis est ortus
et origo fortunarum,
ibi satus et aratus,
300 ibi rerum incrementum!
Illinc illucescet luna,
almus sol illuminabit
latos fines Finlandenses,
amoenissimos hos agros!"

305 Anus Aquilonis Louhi
verbum facit, ita fatur:
"Et remedium recordor,
reperimus rationem
contra satum et aratum,
310 incrementum armentumque,
contra lunas lucescentes,
tuos soles splendescentes:
lunam intra rupem trudam,
saxo solem occultabo;
315 faciam, ut frigus stringat,
aër algidus retardet
et aratum et sementem
frumentumque segetemque;
imbrem ferreum defundam,
320 chalybeium demittam
in agellulos amoenos,
tuas messes meliores.
Ursum suscito de tesquis,
dentiferum de dumeto,
325 qui cantherios confringat
enecetque tuas equas,
pecuaria qui sternat
et iuvenculas divellat.
Peste populum exstinguam,
330 tuam stirpem exstirpabo,
ne iam posthac audiatur
in hoc mundo memorari."

Tum vetustus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
335 "Lappo me non incantabit
nec detrudet Turjalanus!
Deus tenet tempestates,
claves sortis fert Creator;
non sub alis invidentis
340 nec in manu sunt maligni.
Fidem habens Creatori
cum confido meo Deo,
vermes amovet ab agris,
inimicos a frumento,
345 ne corrodant meas messes
neve segetes subvertant
neu furentur meas fruges
nec invideant frumento.

Tu, matrona Borealis,
350 malas res in rupem trude,
preme pessimas in petram,
morbos selige sub montem;
noli lunam luminosam
trudere vel solem umquam!
355 Facias, ut frigus stringat,
aër algidus retardet
tuam segetem ipsius,
semen a te seminatum!
Imbrem ferreum defunde,
360 chalybeium disperge
super sulcos tibi ductos,
agros ultimos Arctoos!
Ursum suscita de tesquis,
feram felem de virgeto,
365 uncimanum de deserto,
dentiferum desub dumis
viculos in Boreales,
Aquilonis in armenta!"

Dein anus Aquilonis
370 verbum facit, ita fatur:
"Mihi decidit potestas,

aestimorque iam minoris:
opes sunt in mare missae,
Sampo fluctibus confracta!"
375 Plangens domum est profecta,
eiulans in Aquilonem.
Memorabile nil duxit
domum totius Samponis;
tamen paululum portavit
380 anulari digitillo:
fert operculum Arctois,
manicam Sariolanis.
Hinc egestas est sub Arcto
et penuria Lapponis.

385 Vetus vates Väinämöinen,
cum in terram appulisset,
frusta repperit Samponis,
parvas partes firmamenti
in litoribus marinis,
390 in subtili sabuleto.
Frusta detulit Samponis,
parvas partes firmamenti
in opacam longam linguam,
insulam sub nebulosam,
395 ut crescentes augerentur
et effunderent ferentes
hordeaceum humorem
secaliciumque panem.

Ibi vetus Väinämöinen
400 verbis fere his precatur:
"Da, Creator, dona, Deus,
fac feliciter degamus,
bene vitam victitemus
neque male moriamur
405 in his finibus Finnorum,
terris caris Carelorum.
Probe, provide, Creator,
protege, decore Deus,
ab invidiis virorum
410 et a fraude feminarum!
Invidos terrestres caede,
vince magos vel marinos!
Tuos filios defendens,
semper liberis succurrens
415 sis subsidium nocturnum
et custodia diurna,
ne sol splendeat inique
neu lucescat male luna,
ne flent venti vehementes
420 neve grandine gravemur,
neu nos frigus gelu stringat
neu temptemur tempestate!

Saepimentum ferro factum,
saxis moenia munita
425 meis opibus circumda,
utrobique meae genti,
et de terra caelum usque
et de caelo terram usque,
ut sit mihi domus dulcis
430 et subsidium securum,
ne malignus me manducet
neve laedat vir iniquus
umquam, tempore vel ullo,
lunae lumine lucente!"

CANTIO XLIV

Vetus vates Väinämöinen
cogitabat cerebello:
''Canere nunc decet demum,
aptum est iam exsultare
5 rebus nostris renovatis
in his domibus decoris!
At amissa mea fides
cecidit in aevum omne
patrias in pisculentas,
10 sedes saxeas salmonum,
deis pelagi profundi
catervisque Vellamonis.
Eam Ahto numquam reddet,
numquam nobis redonabit.

15 O tu faber Ilmarinen!
Olim operatus bene
hodieque laborato!
Rastrum ferreum excude
spissis spiculis ornatum,
20 spissis spicis, longo ligno,
pectinem ut maris fluctus
undas vertens in acervos,
maris calamos in metas,
omne litus occaturus,
25 ut inveniatur fides,
chelys ut recipiatur
ex hoc sinu pisculento,
sede saxea salmonum!''

Ille faber Ilmarinen,
30 malleator sempiternus,
rastrum ferreum excudit
et manubrium aeratum.
Spicula sunt centum passus,
lignum longum vel quingentos.
35 Tum vetustus Väinämöinen
ferreum rastellum sumpsit.
Viae paululum progressus
aliquantum ambulavit
ad cylindros chalybeios,
40 stabilem in stationem.
Erant ibi duae naves,
duae puppes expeditae
in cylindris chalybeis
stabilique statione:
45 una navis nova navis,
navis altera vetusta.

Ait vetus Väinämöinen
tum navigio novello:
''I, navigium, in aquam,
50 labere sic inter fluctus,
ut lacertis non leveris
neque pollice pellaris!''
It navigium in aquam,
ratis labitur in fluctus.
55 Vetus vates Väinämöinen
ipse puppim est ingressus,
verreret ut vada ponti,
fluctus raderet rastello.
Cunctas cumulat nymphaeas,
60 pectit maris purgamenta,
cavat faeces calamorum

et reliquias iuncorum,
omnes occat foveasque
atque scopulos scrutatur:
65 non invenit, non recepit
ossibus esocis factam
chelyn, perditam in aevum,
suum nablium amissum.

Vetus vates Väinämöinen
70 domum versus ambulabat
corde maestus, aeger mente,
male pileo pendente.
Verbum facit, ita fatur:
''Amplius non restat illa
75 chelys dentibus esocis,
fides ossibus confecta.''
Agrum peragrans silvestrem
pergeret cum praeter saltum,
audit arborem plangentem,
80 betullinam, lacrimantem.
Statim arborem accessit,
ad betullam est aggressus.

Sciscitatur, percontatur:
''Quidnam fles, betulla bella,
85 arbor viridis, quid plangis,
lactea, quid lamentaris?
Non portaberis in bellum,
non in proelium posceris.''
Bene loquitur betulla,
90 arbor viridis responsat:
''Ita quidem quidam dicunt
cogitantque sic complures,
me laetari mea vita,
exsultare meis rebus:
95 gracilis sum gravis curis,
laetor, licet sim afflicta,
modulor diebus duris,
mentis murmuro maerore.

Stulta defleo stuporem,
100 plango meam paupertatem,
quod sum expers et misella,
perquam inops et infelix
in his sedibus sinistris,
amplis pascuis apertis.
105 Arbores beatiores
id exoptant incessanter,
ineat ut dulcis aestas
anni tempore tepente.
Aliter ast ego stulta,
110 ego metuo misella,
cortices ne devellantur
neve frondes auferantur!

Saepe quidem fit misellae,
infelici mihi saepe,
115 ut puelli primo vere
ad me propius aggressi
suis dissecent cultellis
ventrem medium sucosum.
Pastor pessimus aestate
120 aufert mihi zonam albam
ad vaginas ligulasque
vasculaque facienda.
Saepe quidem fit misellae,
infelici mihi saepe,
125 ut puellulae sub ramis,
iuxta truncum iucundantes
meis frondibus desectis
fasces faciant virgarum.

Equidem infelix saepe,
130 saepe misera betulla
aut prosternor ad cremandum
aut in struem ligni scindor.
Nempe iam ter hac aestate,
his temporibus amoenis,
135 homines sub meis ramis
ascias exacuerunt
contra meum carum caput,
vilem vitam ablaturi.

Tale gaudium aestivum
140 fuit tempore teporis.

Neque melior est bruma,
dulcior non hiems nobis.
Semper mihi iam mature
maeror faciem commutat,
145 vertex vertitur deorsum,
oris color exalbescit
recordanti dies diros,
malum tempus meditanti.
Fert dolores mihi ventus,
150 frigus curas tristiores:
ventus aufert pulchram pellem,
frigus viridem vestitum.
Ita pauper et infelix,
ego, misera betulla,
155 denudata derelinquor,
omni veste spoliata,
horream ut propter frigus,
propter gelu gemebunda."

Ait vetus Väinämöinen:
160 "O frondosa, noli flere,
arbor pulchra, ne plorato,
lactea, ne lacrimato!
Tibi datur sors beata,
nova dulciorque vita;
165 gaudio mox lacrimabis,
exsultabis rebus laetis."
Tum vetustus Väinämöinen
fidem facit de betulla.
Dolat diem aestivalem,
170 lyram novam dum laborat
in opaca longa lingua,
insula sub nebulosa.
Capsam fidium cavavit,
corpus citharae canorae,
175 de betulla duriore,
ligno crispo betullino.

Ait vetus Väinämöinen,
verbum facit, ita fatur:
"Ibi fidium est capsa,
180 corpus citharae perfectum.
Unde piruli petantur,
unde capiantur clavi?"
Erat quercus in cohorte,
in posticis arbor alta;
185 aequos ramulos habebat,
glandulam in quoque ramo,
globum aureum in glande
et in globulo cuculum.
Is cuculus cum cuculat
190 multis modis modulatus,
aurum oris effervescit
et elabitur argentum
in auricolorem collem,
altum clivum argentatum:
195 inde cochleas in chelyn,
clavulos in capsam cepit.

Tum vetustus Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Cepi cochleas in chelyn,
200 clavulos in crispum lignum.
Adhuc caret aliquanto,
nabliolum nervis quinque.
Unde nablio dem nervos,
chordas citharae canoras?"
205 Abiit quaesitum nervos.
Agrum peragrat silvestrem:
ibi nymphula sedebat
in convalle iuvenilla.
Illa virgo neque flebat
210 neque prorsus laetabatur;
ipsa sibi cantitabat,
tereret ut tempus serum,
sperans sponsum adventurum
mente meditans dilectum.

215 Vetus vates Väinämöinen

tibialibus omissis
nudis pedibus accessit.
Dein, eo cum venisset,
coepit petere capillos
220 verbis ita fere fatus:
''Da, puella, tuos crines,
cara femina, capillos,
ut ex iis fiant fides,
nervi nablii sonori!''
225 Dat puella suos crines,
tenuissimos capillos;
donat crines quinos, senos,
dat capillulos septenos:
inde fiunt novae fides,
230 nervi nablii sonori.
Ita chelys est perfecta.

Tum vetustus Väinämöinen
sedit in terrestri saxo,
super lapide scalari.
235 Nablium in manus sumpsit,
sibi citharam canoram.
Summa parte sursum versa,
capsa genibus innixa
nervis chelyn temperabat
240 sonos chordae moderatus.
Ita sonis temperatis
nablium iam expeditum
posuit sub suis palmis,
super genibus transversum.
245 Decem unguibus demissis
quinque digitos tetendit,
ut ascenderent per nervos
et per sonos saltitarent.

Ibi vetus Väinämöinen
250 cum sic fidibus cantaret
usus digitis proceris
et pollicibus recurvis,
iam sonabat lignum crispum,
betullinum recinebat,
255 avis aurum cuculabat,
coma virginis gaudebat.
Väinö digitis pulsabat,
chelys chordis resonabat:
boant montes, sonant saxa,
260 tremunt rupes universae,
ludunt lapides in undis,
fluunt loci glareosi,
pini gestiunt gaudentes,
trunci tesquis insultantes.

265 Fratriae Kalevalenses
tum operibus omissis
velut flumen affluebant,
accurrebant sicut amnis,
iuvenillae surridentes
270 et matronae mente laeta,
ut audirent cantionem
musicamque mirarentur.
Quotquot aderant virorum,
stabant capite nudato,
275 quotquot erant feminarum,
mentum manu sustinebant.
Fusis lacrimis puellae
puerique genu nixi
cantum eius audiebant,
280 musicam admirabantur.
Ore profitentur uno,
omnes dicere maturant:
''Antea non est auditus
cantus adeo canorus
285 umquam, tempore vel ullo,
lunae lumine lucente!''

Exauditur dulcis cantus,
sex in vicis est auditus.
Nec est talis creatura,
290 quae non veniat auditum
eam citharam canoram,
chelyn cantu resonantem.
Omnes bestiae silvarum

ungue nixi conquiniscunt,
295 audiant ut cantionem
et melodiam mirentur.
Aves alites aurarum
super frondibus subsidunt,
pisciunculi diversi
300 apud litus aggregantur.
Vermes quoque subterreni
super humum emergentes
se vertebant, audiebant
eam citharam canoram,
305 eam lyram exsultantem
psallentemque Väinämöinem.

Ibi vetus Väinämöinen
sic canebat, ut decebat,
modulatus more pulchro.
310 Canit diem alterumque
musica non intermissa,
postquam semel cibum sumpsit,
postquam cingulo se cinxit,
postquam induit se veste.

315 Dumque domi modulatur
in conclavi pinis structo,
tum tonabat totum tectum,
pavimenta personabant:
canit culmen, clamat limen,
320 fenestellae collaetantur,
furni lapides moventur,
boat pila betullina.

Dum in abietina silva
ambulat aut in pineto,
325 abietes annuebant,
pini celsae curvabantur,
coni coacervabantur,
spinae ramis excidebant.
Cum in luco moveretur
330 aut per nemus permearet,
lucus ludos faciebat,
nemus gaudium ciebat,
flores nubere volebant,
novi surculi nutabant.

CANTIO XLV

Anus Aquilonis Louhi
aure nuntium audivit
Väinölenses victitare,
crescere Kalevalanos
5 captis frustulis Samponis
fragmentisque firmamenti.
Quam rem aegrius ferebat,
secum semper cogitabat,
qualem mortem maturaret
10 faceretque quale funus
illi vulgo Väinölensi,
populo Kalevalensi.
Sic Ukkonem apprecatur,
venerandum veneratur:
15 "Ukko, deus o supreme!
Caede gentem Kalevensem
imbre ferreo suffuso,
tuis acubus acutis!
Aut fac morbo moriatur,
20 exstirpetur stirps maligna,
homines in amplis aulis,
in bovilibus femellae!"

Erat olim in Infernis
Loviatar, iam vetusta,
25 pessima puella Mortis,
caeca, maxime maligna,
ortus omnium malorum
et ruina mille rerum.
Erat facie funesta,
30 cute corporis deformis.
Illa nigra Mortis nata,
caecis oculis puella,
lectulum in via sternit,
loco pessimo stramenta.
35 Feris ventis tergum vertit,
costas contra tempestatem,
flabris frigidis dat dorsum,
vultum orienti soli.
Venit venti ferus flatus,
40 impetus ex oriente,
stultam flando fecundavit,
uterum cum umectavit
in virgeto virgae privo,
in deserto desolato.

45 Plenum uterum portabat,
ventrem gravidum gravantem;
menses duos, tres portavit,
quartum quoque, quintum quoque,
mensem septimum, octavum,
50 nonum quoque mensem plenum,
sicut solent numerare,
et dimidium sequentis.
Exeunte nono mense,
decimo iam ineunte
55 venter feminae durescit,
uterus fit dolorosus;
nec sunt nati nascituri
neque geniti gignendi.
Sedem suam commutavit,
60 locum alium delegit.
Moecha fetus emissura,
meretrix, procreatura

abit inter duas rupes,
quinque montium cavernas:
65 nec est ibi proles parta
neque genita gignenda.

Quaerit locum pariendi,
sedem proli deponendae
gurgites per scatebrosos
70 et per fontes fluctuosos:
ibi locum non invenit
neque ventris levamentum.
Filios parturiebat
fetus iam depositura
75 in turbinibus torrentis
et verticibus aquarum,
tribus fluviis sub pronis
et sub novem ripis ruptis;
nec est adhuc proles parta
80 nec levatus malus venter.
Foeda femina plangebat,
complorabat, malum monstrum,
nescia, quo se conferret,
quo proficiscendum esset,
85 ut exoneraret ventrem,
procrearet suam prolem.

Deus loquitur de nube,
ait caelitus Creator:
"Triquetrum est in palude
90 balneum, adversum mare,
tenebris in Aquilonis,
nebulis Sariolanis.
Illuc ito paritura,
ventris onus levatura.
95 Ibi quidem te requirunt
et exspectant tuum genus."
Mortis filia nigella,
Infernalis foeda virgo,
venit ad Arctoas domos,
100 balneum Sariolanum,
filios ut procrearet,
prolem ut progeneraret.

Anus Aquilonis Louhi,
raris dentibus matrona,
105 in lavacrum latebrose
eam duxit, clandestino,
ut in vico nemo sciret
nullis nuntiis allatis.
Balneum clam apparavit,
110 celeriter calefecit;
zytho limina collevit
cardinesque madefecit,
limen ne lamentaretur
neve cardines creparent.
115 Inde verbis his profata,
his loquelis est locuta:

"Diva, nata de natura,
nympha nitida, decora,
natu maxima cunctarum,
120 prima mater creatorum!
Genu tenus mari mersa,
lumbis tenus inter undas
sume sputum acerinae,
mucilaginem a gado,
125 quibus ossium iuncturas
linas, latera secuta;
poenis liberes puellam,
feminam tormentis ventris,
hoc durissimo dolore,
130 ventris opere molesto!

Si non suppetit, quod dixi,
Ukko, deus o supreme,
defer te desideratus,
ambules huc advocatus!
135 Est in poenis haec puella,
ventris duris in tormentis
inter fumos balneares,
in lavacro vicinorum.
Cape clavam aureatam

140 manu dextera porrecta!
Qua disperge detrimenta
portae postibus percussis,
laxa claustra Creatoris
ita pessulis perfractis,
145 ut tam magnus sicut parvus
parvis viribus pervadat!"

Ibi mulier maligna,
caecula puella Mortis,
iam deponit suos fetus,
150 creat filios furentes
vestibus sub variatis,
sub subtili conopeo.
Novem natos procreavit
nocte quadam aestivali,
155 in calore balneari,
uno balneo parato,
semel utero praegnante,
ventre duro doloroso.

Natos suos nominavit,
160 filiolos educavit,
sicut suos quaeque fetus,
mater prolem procreatam:
primus filius fit Dolor,
factus Colicus secundus,
165 tertius Articularis,
quartus Phthisicus vocatus,
quintus Tumor nominatus,
sextus fit Porriginosus
septimusque Cancerosus,
170 Pestifer octavus natus.
Unus non est nominatus,
pessimusque postumusque.
Illum autem iussit ire,
ut in mari magus esset
175 vel veneficus paludum
invidusque locis cunctis.

Anus Aquilonis Louhi
ceteros abire iussit
in opacam longam linguam,
180 insulam sub nebulosam.
Feros fetus incitavit,
misit morbos insolentes
contra vulgus Väinölense,
ut stirps Kalevae periret.
185 Languent viri Väinölenses,
stirps laborat Kalevensis
morbis novis, inauditis,
quorum nomina haud nota:
putrefiunt pavimenta,
190 vestes stragulae tabescunt.

Tum vetustus Väinämöinen,
vates ille sempiternus,
est profectus liberatum,
vitas hominum salvatum,
195 Morti bellum illaturus,
contra morbos pugnaturus.
Lapides concalefecit
in fornace balneari
puris lignulis paratis,
200 truncis, fluctibus allatis.
Aquam furtim apportavit,
virgas tulit veste tectas;
molliit venustas virgas,
ramos fovit centifrondes.
205 Fecit melleum vaporem,
blandum halitum, halare
furni fervidis de petris,
de lapidibus ignitis.
Verbis fere his profatus,
210 his loquelis est locutus:

"Veni, Deus, in vaporem,
o caelestis, in calorem,
ut efficias salutem
et concordiam condones!
215 Dele semina malorum
sacris sordibus exstinctis,

tolle nimium vaporem,
malam exhalationem,
ne comburat tuos natos,
220 filios a te creatos!
Quantum ingeram aquarum
petris fervidis fornacis,
is mellitus fiat vapor
et in nectar effervescat!
225 Fluat rivulus mellitus,
lacus nectaris labatur
per lapideam fornacem
balneumque musco tectum!

Ne quis temere nos rodat
230 neve necet sine morbo
nec invito Creatore,
Divi numinis iniussu!
Qui nos temere corrodat,
in se vertat sua verba,
235 malas meditationes,
in se cogitationes!
Si non sim sic animosus,
fortis filius Ukkonis,
detraham ut detrimenta
240 et dissolvam dira facta,
est is ipse divus Ukko,
qui gubernat polum caeli
et in nube commoratur
aetheraque moderatur.

245 Ukko, deus o supreme,
in excelsis numen celsum!
Defer te desideratus,
advocatus adventato,
ut cognoscas hos dolores
250 depellasque dies diros
detrahasque detrimenta
destruasque malos morbos!
Ferrum flammeum afferto,
mihi gladium ignitum,
255 quo cohibeam malignos,
malos sedem sempiterne,
morbos mandem viis venti,
plāgas plăgas in patentes.

Illuc ego morbos mitto,
260 illuc urgeo dolores,
in lapideas cavernas
et in ferrea saxeta,
lapides ut ibi laedant
contra saxa saevientes.
265 Lapis nihil lamentatur
neque saxum flet dolorem,
licet multum inferatur,
in immensum ingeratur.

O Morbona, Mortis virgo,
270 quae morborum saxo sedens,
ubi flumen tripertitum
in tres alveos se findit,
molam agitas morborum,
Morbi montem circumvertis!
275 Quaeso, collige dolores
in caeruleas cavernas
aut in aquam fac labantur,
mitte maris in profunda,
ubi ventus non sentitur
280 neque lucet lux diei!

Si non suppetit, quod dixi,
o Morbosa, bona mater,
Plaga, mulier electa,
veni mecum, me secuta,
285 ut efficias salutem
et concordiam condones!
Fac, ne doleant dolores
neve morbi sint molesti,
ut infirmus requiescat,
290 aeger dormiat securus
et sollicitus sanetur
et morbosus moveatur!

Morbos modio collectos,
in aëneum iniectos,
295 illuc cura transportandos,
hos dolores perdomandos
medium in Morbi collem,
Morbi montis in cacumen!
Ibi coquito dolores
300 in patellulis pauxillis,
digito haud nimis latis,
satis pollici profundis!

Saxum est in summo monte,
saxo medio foramen,
305 terebello terebratum,
furfuraculo foratum:
eo vulnera vehuntur,
mali morbi defiguntur,
dolor vehemens infertur,
310 dies diri deprimuntur,
ne quid nocte moliantur
neve die desolvantur."

Dein vetus Väinämöinen,
vates ille sempiternus,
315 adhuc membra laesa levit,
unxit artus ulcerosos
opobalsamis novenis,
odoriferis octonis.
Verbis fere his profatus,
320 his loquelis est locutus:
"Ukko, deus o supreme,
vir vetuste, tu caelestis!
Excites ex ortu nubem,
nimbum erigas ex cauro,
325 ex occasu quoque mittas!
Funde mel et aquam funde,
delinas ut dolorosa
unguens artus ulcerosos!

Ipse quidem nihil possum
330 sine gratia Divina.
Opem offerat Creator,
opem Deus mihi praestet,
postquam oculis inspexi,
meis manibus temptavi,
335 ore meo dictitavi,
meo spiritu sufflavi.
Quod non sequor mea manu,
consequantur manus Dei,
quod non digitis attingo,
340 tangant digiti Divini!
Dei digiti decori,
Dei palmae sunt peritae.

Nunc, o Numen, incantatum
veni, Deus, dictítatum,
345 omnipotens, observatum!
Fac, ut nocte convalescant
et interdiu sanescant,
ne quem sentiant dolorem
neu tormentis torqueantur
350 neu condoleant in corde
neu sit parva quidem poena
neve minimum malorum
umquam, tempore vel ullo,
lunae lumine lucente!"
355 Vir vetustus Väinämöinen,
vates ille sempiternus,
detrimenta sic detraxit
et destruxit malos morbos.
Maleficiis amotis,
360 sanitate restituta
leto gentem liberavit,
morte stirpem Kalevensem.

CANTIO XLVI

Nuntius in Aquilonem,
frigidum in vicum fertur
Väinölenses resolutos,
Kalevalam liberatam
5 esse morbis eis missis,
plagis novis, inauditis.
Anus Aquilonis Louhi,
raris dentibus matrona,
illud aegrius ferebat.
10 Verbum facit, ita fatur:
''Et recordor rationem,
viam aliam cognovi:
ursum suscito de tesquis,
uncimanum de deserto
15 opes contra Väinölenses,
in armentum Kalevense.''
Ursum suscitat de tesquis,
bestiam de duris terris
illos in Väinönis fines,
20 pastiones Kalevenses.

Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
''Frater, faber Ilmarinen!
Cude mihi novum telum,
25 cuius cuspis sit triquetra
et manubrium aeratum!
Est sternendus nobis ursus,
fera pelle pretiosa,
ne cantherios confringat
30 neve necet meas equas,
pecuaria ne petat
neu iuvenculas divellat.''
Faber illi telum facit,
neque longum neque breve,
35 sed mediocri mensura:
lupus est in ferro sculptus,
prope cuspidem stat ursus,
alces currit ad circellum,
equus medium per lignum,
40 cervus calcat scapum summum.

Ceciderunt nives novae,
tantum pulveris minuti,
quam est agnus autumnalis
altus aut hibernus lepus.
45 Ait vetus Väinämöinen,
verbum facit, ita fatur:
''Avet animus nunc meus,
ut in Metsolam profectus
visam virgines silvestres,
50 nymphas nemoris ancillas.
Abeo nunc vir venatum,
heros foras laboratum.
Utinam sim silvae gratus,
tibi, Tapio, probatus!
55 Fac, ut prospera fortuna
pulchram bestiam prosternam!
Mielikki, matrona silvae,
cara coniux Tapionis!
Canem tuum catenato,
60 catellulum coerceto
vico caprifoliorum,
nubilario quercino!

Ursule, silvestre mālum,
manu mellea, globose!
65 Me cum audis accedentem,
virum bonum venientem,
ungues pilis occultato,
dentes condito gingivis,
ne quo tempore me tangant
70 neu perniciter perstringant!
Dulcis ursule, dilecte,
pulcher, manibus mellitis!
Inter caespites decumbe,
super rupe gratiosa,
75 subter pinulos nutantes,
abietes anhelantes!
Illic, ursule, te verses
et reverses, o mellite,
ut in nido pulchra perdix
80 aut ut anser in cubili!"

Ibi vetus Väinämöinen
audit canem allatrantem,
caniculum gannientem,
apud aulam ursi simi,
85 parvis oculis insignis.
Verbum facit, ita fatur:
"Esse cuculum putavi,
caram avem cantitantem;
at cuculus non cuculat,
90 avis cara non cantillat:
est pulcherrimus catellus,
meus optimus molossus,
apud ostium stat ursi,
est in area venusti!"

95 Vetus vates Väinämöinen
illic ursulum invenit;
molli lectulo subverso
torum aureum turbavit.
Verbis fere his profatus,
100 his loquelis est locutus:
"Deus, esto nunc laudatus,
benedictus, o Creator,
qui dedisti nobis ursum,
praedam silvae pretiosam!"
105 Caram feram contemplatus
verbum facit, ita fatur:
"Dulcis ursule, dilecte,
pulcher, manibus mellitis!
Noli, sodes, stomachari!
110 Non a nobis es prostratus:
ipse quidem es delapsus,
sic de trunco decidisti,
ut sint fractae tuae bracae
et lacernula frondosa.
115 Solum lubricum autumno,
dies atri, tenebrosi.

Avis aurea silvestris,
pulcher ursule, pilose!
Domo demum derelicta
120 desere natale solum,
tectum tuum betullinum,
casam virgulis constructam!
Iter incipe, famose,
laus lucorum, iam procede,
125 exi, pedibus tu pernix,
glaucis calciis percurre
ab his areis angustis,
semitis haud spatiosis,
in conventum collectorum,
130 multitudinem virorum!
Ibi te non male tractant
neque vivunt vili more:
melleum dant ibi cibum,
nectar porrigunt pro potu
135 peregrino venienti,
propinquare cupienti.

Proficiscere profecto
de hoc lustro limitato
sub sublime, celsum culmen
140 atque tectum speciosum!

Ita labere per nives,
ut nymphaea nat in lacu;
in sarmentis sic saltato,
ut in ramulis sciurus!"
145 Inde vetus Väinämöinen,
incantator sempiternus,
sonans ambulat per agros,
modulans per loca tesqua
comite cum celebrato,
150 hirto hospite sequente.
Domi sonitus sentitur,
modulatio sub tectis.

Domi homines dixerunt,
pulcher populus clamavit:
155 "Age, strepitum audite,
verba viri venatoris,
avicellae fritinnitum,
nymphae nemoris avenam!"
Vetus vates Väinämöinen
160 iam in aream advenit.
Domo homines egressi,
pulcher populus profatur:
"Est iam aurum adventurum,
ambulatne iam argentum,
165 pelle pulcher pervagatur,
pretiosus viam carpit?
Mellivorum silva misit,
lyncem dominus lucorum,
quod venitis sic canentes,
170 cantillatis prolabentes?"

Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Causa carminis est lutra,
donum Dei, nobis datum;
175 sic venimus concinentes,
cantillamus prolabentes. –
Neque tamen capta lutra,
nec est lutra nec lynx illa:
viam facit vir famosus,
180 laus silvarum spatiatur,
pervagatur vir vetustus,
labitur vir lacernatus.
Si sit gratus hospes noster,
fores raptim aperite;
185 sed si vobis sit invisus,
eas firmiter serate!"

Homines sic responderunt,
pulcher populus clamavit:
"Urse, salve, qui venisti,
190 manu mellea, measti
in cohortes decoratas,
in has areas amoenas!
Sic speravi sempiterne,
omnem vitam sum oppertus
195 sonum tubae Tapionis,
silvae fistulam stridentem,
aurum ambulans silvestre
et argentum adventurum
in has areas angustas,
200 semitas haud spatiosas.
Exspectabam, ut annonam,
ut aestatem revertentem,
sicut narta novam nivem,
lapsum lubricum exoptat,
205 sicut virgo sibi sponsum,
genas rosea maritum.

Ad fenestras sedi serus,
apud cellam matutinus,
septimanas apud saepem,
210 menses viculis in primis,
totam brumam in cohorte,
donec nivibus solutis
appareret terra nuda,
terra nuda glareosa,
215 arenosa videretur,
visa rursus viridaret.
Meditabar matutinus,
cotidie cogitabam,

ubi moraretur ursus,
220 ubi carus cunctaretur,
an in Aestios transgressus
esset Finnia relicta."

Tum vetustus Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
225 "Quonam hospitem inducam,
meum ursulum dilectum?
Num in horreum immittam
aut in nubilari ponam?"
Homines sic responderunt,
230 pulcher populus clamavit:
"Illuc hospitem inducas,
nostrum ursulum dilectum,
sub sublime, celsum culmen
atque tectum speciosum.
235 Ibi cibi sunt concocti,
ibi pocula parata,
tersa cuncta tabulata,
pavimentula purgata;
omnis mulier ornata
240 mundis vestibus venustis,
vitta varia decora,
cultu candido sollemni."

Tum vetustus Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
245 "Urse, dulcis avicella,
manu mellea, globose!
Adhuc restat ambulare,
tibi tesqua peragrare.
Proficiscere, probate,
250 ambula nunc, aureate,
nigris calciis procede
bracis laneis prolapsus,
ubi parus viam fecit,
passer pedibus percurrit,
255 sub excelsum tecti culmen,
sex trabiculas transversas.
O femellae, praecavete,
ne perterreantur boves
neve pecora pavescant
260 neu grex dominae turbetur,
cum est ursus intraturus,
invasurus rostrum hirtus!
Limen pueri relinquant,
deserant puellae postes,
265 cum est heros intraturus,
ingressurus vir honestus!
Ursule, silvestre mālum,
bella bestia globosa!
Noli virgines timere,
270 plexis crinibus decoras,
neve metuas matronas
calciatas dolorosus!
Quot sunt domi feminarum,
omnes fugiant post furnum,
275 cum vir fortis intraturus,
adventurus est adultus!"

Ait vetus Väinämöinen:
"Vos iubemus hic salvere,
sub hoc culmine sublimi,
280 sub hoc tecto specioso!
Ubi blandulum relinquam,
ponam hospitem hirsutum?"
Homines sic responderunt:
"Salve, salve, qui venisti!
285 Hic deponas avicellum,
linquas ursulum dilectum,
in subsellio supremo,
lecto longo ferreato,
ubi pellis praetemptetur
290 atque villus videatur!
Ursule, ne perturberis
neve graviter id feras,
quod est tempus praetemptandi,
hora villos iam videndi!
295 Non peribit tua pellis
neque villi sic visentur,

ut femellis fiant vestes
aut amictus miserorum."

Tum vetustus Väinämöinen
300 ursi corium detractum
in granario deponit,
carnes inicit in ollam,
in aënum deauratum,
vas, cui cupreus est fundus.
305 Erat olla iam in igne,
vas aëneum in flammis
et repletum et refertum
carnis frustis copiosis;
erant mixtae micae salis,
310 quae portantur e longinquo,
sales de Saxonum terra,
qui per aquas Duinenses,
freta salsa, pervehuntur
et in portu deponuntur.

315 Coctis carnibus ursinis,
ollulis ab igne sumptis
est portata bona praeda,
avicella iam allata
in extremam longam mensam,
320 in aureolos catinos,
ubi sucum sorbillaret
et cervisiam potaret.
Erat mensa pino facta,
lances aere levigatae,
325 ex argento cochleare,
culter auro coloratus.
Erant vasa cumulata,
lances usque labra plenae
silvae dotibus dilectis,
330 data praeda pretiosa.

Ibi vetus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
"Senex, pectus deaurate,
domine Tapiolane,
335 mater Metsolae mellita,
alma domina silvarum,
pulcher puer Tapionis,
pulcher, pileo rubello,
Tellervo, puella silvae
340 populo cum Tapionis!
Nunc in nuptias iuvenci,
in convivium venite!
Nunc est satis cibi cocti,
satis cibi, satis potus,
345 satis his convivis ipsis
et vicinis sat superque."

Ibi homines dixerunt,
pulcher populus clamavit;
"Ubinam est ursus natus,
350 ubi crevit pretiosus?
Num in paleis est natus,
num in balneo creatus?"
Tum vetustus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
355 "Non in paleis est natus
ursus super glumis tritis!
Illic ursus est exortus,
manu melleus creatus
prope lunam, subter solem,
360 in umerulis trionum,
apud virgines ventorum
atque nymphulas naturae.

Nympha polum peragrabat,
virginula firmamentum,
365 nubis oram persecuta
et confinium caelorum
glaucis calciis decora
et cothurnis coloratis,
portans calathum lanarum,
370 vas sub ala pilis plenum.
Flocculum in aquam iecit,
pilum posuit in undis.
Eum ventus cunulavit,

aër almus agitavit,
375 flatus languidus libravit,
unda movit usque litus,
appulit in dulcem terram,
in paeninsulam mellitam.

Mielikki, matrona silvae
380 diligensque dispensatrix,
floccum arripit ab aqua,
lanam tenuem ab undis.
Quam perniciter deponit
pulchris pannis fasciatam
385 in acernea fiscella,
in cunabulis decoris.
Restes sustulit cunarum,
funes aureos altavit
in crassissimum ramorum,
390 robustissimam in frondem.
Carum cunulat in cunis,
suos agitat amores
sub abiete florenti,
patula sub pino spissa.
395 Ursulum sic educavit
pilo nobilem nutrivit
prope lucum rorulentum
in nemoribus mellitis.

Crevit ursus speciosus,
400 valde factus est formosus:
brevi pede, curvo genu,
et rostratus et rotundus,
vultu lato, naso simo,
pelle hispida decorus.
405 Sed non erat dum dentatus
ursus unguibus ornatus.
Mielikki, matrona silvae,
verbis ita fere fatur:
'Ungues urso conformare,
410 dentes quoque velim dare,
si non fiat vitiosus,
neque mala moliatur.'

Ursus dedit ius iurandum
super genibus matronae,
415 coram Deo Creatore,
apud os omnipotentis,
mala se non moliturum
nec facinora facturum.

Mielikki, matrona silvae
420 diligensque dispensatrix,
abit dentes petitura,
ungues urso quaesitura
solidissimis a sorbis,
a iuniperis scabrosis,
425 a radicibus robustis,
truncis duris resinosis:
unguem ibi non invenit
neque dentem deprehendit.
Pinus crescit locis tesquis,
430 abies in alto colle:
rami pinus argentati
et abietis aurati.
Quos cum manibus cepisset,
ungues urso conformavit,
435 et coniunxit cum maxillis,
in gingivulis infixit.

Tum delicias dimisit,
dulcem ursulum direxit,
ut paludem pererraret
440 stringeretque fruticetum,
agros ultimos ambiret
et per tesqua peragraret.
Iussit pulchre pervagari,
ursum currere decore,
445 tempus ducere iucundum,
dies almos agitare
in paludibus et terris,
pone campos chorearum,
sine calceis aestate,
450 sine calciis autumno;
habitare tempus taetrum,

malo frigore morari
intra pruneum conclave,
ad abietinam arcem,
455 sub arboribus amoenis,
iucundis iuniperetis,
quinque laneis lacernis,
octo palliis opertum. –
Inde spolia paravi,
460 praedam domum deportavi."

Iuniores dein dicunt,
sciscitantur seniores:
"Quibus rebus delectatus
saltus fuit studiosus,
465 silvae dominus benignus,
tibi Tapio tam faustus,
unicum ut condonaret,
suum mitteret mellitum?
Fuit ursus iaculandus
470 aut sagitta sauciandus?"
Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Valde fuit delectatus
saltus, nostri studiosus,
475 silvae dominus benignus,
mihi Tapio tam faustus.

Mielikki, matrona silvae,
Tellervo Tapiolana,
silvae nympha speciosa,
480 silvae servula pusilla,
viam facere volebant,
mihi semitam signare,
viae margines notare
et itinera monstrare.
485 Ramis arborum desectis
callem surculis signarunt
usque limen ursionis,
prope praedam pretiosam.
Dein, eo cum venissem,
490 iam itinere confecto,
ursus neque iaculandus
neque fuit sagittandus:
est delapsus sua sponte,
ipse decidit de trunco;
495 pectus ramis est perruptum,
venter virgis laceratus."

Dein verbis his profatus,
his loquelis est locutus:
"Unice mi dulcis urse,
500 deliciolum dilectum!
Solve capitis velamen
et mandibulam demitte,
nobis raros dentes dona
atque maximas maxillas!
505 Neque graviter id feras,
si qui factus erit nobis
fragor ossium fractorum,
stridor dentium praedirus!

Nasum ursicino tollo,
510 adiuvet qui meum nasum;
neque tamen totum tollo,
ne sit naso spoliatus.
Aurem ursicino tollo,
adiuvet quae meam aurem;
515 neque tamen totam tollo,
ne sit aure spoliatus.
Oculum ursinum tollo,
adiuvet qui meum visum;
neque tamen totum tollo,
520 ne sit visu spoliatus.
Frontem ursicino tollo,
adiuvet quae meam frontem;
neque tamen totam tollo,
ne sit fronte spoliatus.
525 Rostrum ursicino tollo,
adiuvet quod meum rostrum;
neque tamen totum tollo,
ne sit rostro spoliatus.
Linguam ursicino tollo,

530 adiuvet quae meam linguam;
neque tamen totam tollo,
ne sit lingua spoliatus.

Eum dicam nunc heroa,
putem esse virum verum,
535 qui decerpat ursi dentes,
ordinem ossiculorum,
de maxilla male molli
suis digitis duratis."
At non affuit vir alter
540 nec advenit talis heros.
Ipse dempsit ursi dentes,
ordinem ossiculorum,
genu contra calvam presso,
suis digitis duratis.

545 Ursi dentibus iam demptis
verbum facit, ita fatur:
"Ursule, silvestre mālum,
bella bestia globosa!
Iter est suscipiendum,
550 via tibi facienda
de hoc lustro limitato,
ex his atriis haud altis
sedem in sublimiorem
et maiorem mansionem.
555 Proficiscere, probate,
pretiose, iam procede
lictis semitis suinis
et tramitibus porcorum,
in virgeta montuosa,
560 versus montis celsum culmen
patulamque spissam pinum,
centiramum grandem truncum!
Ibi bene habitabis
dulciterque tempus duces,
565 cum campanas auscultabis,
tintinnabula vaccarum."

Vetus vates Väinämöinen
inde domum iam revertit.
Iuniores sciscitantur,
570 pulcher populus profatur:
"Quonam spolia portasti,
praedam tuam properasti?
Num in glacie liquisti,
nive tabida texisti,
575 in paludem depressisti,
locis tesquis defodisti?"
Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur;
"Super glacie non liqui,
580 nive tabida non texi:
ibi canes commoverent,
aves mergerent malignae;
in paludem non depressi
nec defodi locis tesquis:
585 ibi vermes devorarent,
ederent formicae fuscae.

Eo spolia portavi,
parvam praedam properavi:
collis aureum in culmen
590 et aëneam in arcem.
Arbore suspendi pura,
centiramo grandi trunco,
de crassissimo ramorum
robustissimaque fronde,
595 ut gens hominum gauderet
et viator laetaretur.
Os in orientem verti
oculosque contra caurum.
Non cacumine suspendi:
600 de cacumine suspensam
ventus calvam vitiaret,
vernus flatus depravaret;
nec reliqui prope terram:
calvam lictam prope terram
605 sues ibi submoverent,
porci verterent rostrati."

Tum vetustus Väinämöinen
coepit carmina cantare
in honorem horae serae
610 gaudiumque vespertinum.
Ait vetus Väinämöinen,
verbum facit, ita fatur:
"Taeda, mihi lumen funde,
ne lux desit cantitanti!
615 Est momentum modulandi,
os vult cantu resonare."
Ibi canit atque psallit,
totum vesperum laetatur.
Cantionibus finitis
620 ipse denique sic dixit:

"Deus, denuo concede,
iterum, Creator clemens,
ut hoc more modulemur,
rite rursus res geramus
625 in his festis ursionis,
viri nuptiis hirsuti!
Deus, denique concede,
denuo, Creator clemens,
uti semita signetur,
630 signis arbores notentur
his conventibus heroum,
viris fortibus collectis!

Deus, denique concede,
denuo, Creator clemens,
635 tonet tuba Tapionis,
sonet fistula silvestris
in his areis haud amplis,
angustissimis in aulis.
Velim vesperi psallatur
640 et cotidie canatur
his in agris, his in arvis,
latis finibus Finnorum
inter iuvenes florentes,
in hac gente germinante."

CANTIO XLVII

Vetus vates Väinämöinen
diu fidibus canebat,
et canebat et psallebat
aliterque laetabatur.
5 Sonitus in domos lunae,
ad fenestras solis fertur.
Luna domo venit foras,
sistit in betulla trunca;
sol ex arcibus egressus
10 petit pineum cacumen,
audiat ut cantionem
et melodiam miretur.

Anus Aquilonis Louhi,
raris dentibus matrona,
15 apprehendit ibi solem
manibusque lunam cepit,
lunam de betulla trunca,
solem arbore de summa.
Quos mox domum deportavit
20 tenebras in Boreales.
Abdit lunam, ne lucescat,
intra petram picturatam,
cantat solem, ne splendescat,
chalybeium in collem.

25 Ibi verbis ita fatur:
''Liberaberis non ante,
lunae lumen, ut lucescas,
nec, sol splendide, solveris,
quam advenerim solutum,
30 ipsa quidem deportatum
cum caballis meis novem,
natis ex eadem equa!''
Cumque lunam portavisset
atque diem deduxisset
35 intra rupem Aquilonis,
montis ferream in molem,
adhuc flammam est furata,
ignem de Väinönis vico:
vicus flammis fit privatus,
40 tuguria tenebrosa.

Nox iam erat sempiterna,
longa, taetra, tenebrosa.
Erat nox in Kalevala,
Väinölensibus in vicis,
45 eadem in celso caelo,
ubi sunt Ukkonis sedes.
Est molestum sine flamma,
labor esse sine luce,
hominibus taediosum,
50 taediosum et Ukkoni.

Ukko, deus ille summus,
mundi maximus creator,
incipit id admirari.
Cogitat et meditatur,
55 quid sit ante lunam novi
et pro sole quid vaporis,
cum non luceat lux lunae
neque soles oriantur.
Nubis oram peragrabat
60 et confinium caelorum

glaucis calciis decorus
et cothurnis coloratis;
lunam quaerere volebat
atque solem invenire:
65 neque luna reperitur
nec sol usquam invenitur.

Flammam fecit dius Ukko,
ignem sursus suscitavit
ensis igneo mucrone,
70 suo gladio nitenti,
usus unguibus incendit,
membris suis suscitavit
in excelsis firmamenti,
altis arcibus astrorum.
75 Igne sursus suscitato
eius condidit scintillam
in crumina deaurata,
in argenteo saccello.
Iubet nympham agitare,
80 venti virginem lallare,
ut ex igne fiat luna
et sol novus oriatur.

Nympha super nube longa,
apud finem firmamenti,
85 illum ignem cunulabat,
parvam flammulam lallabat
cunulis in deauratis,
funiculis argentatis.
Tigna tremunt argentata,
90 clangunt cunae deauratae,
nubes nutant, caelum gemit,
firmamentum inclinatur,
cum scintilla cunulatur,
illa flammula lallatur.

95 Ignem virgo cunulabat,
illam flammulam lallabat,
suis digitis versabat,
meris manibus movebat:
ignis decidit incautae,
100 flamma fatuae puellae,
manus fugiens moventis,
nymphae digitos versantis.
Laceratur celsum caelum
ut fenestrulis formatis.
105 Est igniculus emissus,
rubra deruit scintilla
caelos pervolans corusca,
stridens, penetrans per nubes,
novem decidens per caelos,
110 transiens sex firmamenta.

Ait vetus Väinämöinen:
"Frater, faber Ilmarinen!
Exeamus, ut visamus,
properemus, ut discamus,
115 quinam fuerit is ignis,
nova flammula coruscans
ex excelsis firmamenti
infimam in terram matrem,
sitne lucens globus lunae
120 an orbiculus solaris!"
Iter incohant heroes.
Ambulabant, agitabant,
eo quomodo venirent
qualiterque reperirent,
125 ubi flamma caelo lapsa,
ignis ille decidisset.

Amnis oberat adversus,
instar maris mediocris.
Ibi vetus Väinämöinen
130 cymbam coepit fabricare,
lignum sculpere sub silva.
Simul faber Ilmarinen
remos fecit abiegnos,
palmas pineas robustas.
135 Est navigium paratum
et cum scalmis et cum remis;
ita navem deduxerunt.

Remigabant, navigabant
ubique per Nevam amnem,
140 Nevam rupem circumvecti.

Ilmatar, venusta virgo,
natu maxima nympharum,
navigantibus occurrit,
allocuta sic profatur:
145 "Quinam estis vos virorum
et quo nomine vocati?"
Ait vetus Väinämöinen:
"Nautae sumus navigantes,
ego vetus Väinämöinen,
150 ille faber Ilmarinen.
Sed dic ipsa tuum genus
et quo nomine voceris!"
Femina his verbis fatur:
"Mulier maxima sum natu,
155 primogenita nympharum,
prima mater creatorum,
instar quinque nuptularum,
specie sex sponsularum.
Quo profecti, viri fortes,
160 iter facitis, heroes?"

Ait vetus Väinämöinen,
verbum facit, ita fatur:
"Ignis nobis est exstinctus,
foci flammula sublata.
165 Diu sumus sine luce,
in caligine latemus.
Nunc in mente meditamur
ignem ire requisitum,
qui de caelis est delapsus,
170 decidit de summis nimbis."

Femina haec verba fecit,
his loquelis est locuta:
"Ignis acer inquirenti,
flamma fervida petenti.
175 Ignis facinus iam fecit,
flamma damnum apportavit!
Iam emicuit scintilla,
ruit globulus rubellus
de divina sua domo,
180 locis ab Ukkone factis,
penetrans per polum planum,
per amoenas eius auras,
intrans per foramen fumi,
per siccatam summam trabem
185 tugurium novum Tuuris,
amplum atrium Palvoinis.

Dein eo cum venisset,
in tugurium novellum,
maleficia molitus
190 foeda scelera commisit:
fregit pectus puellarum,
pressit virginum papillas,
genu pueri perrupit,
barbam domini combussit.
195 Mater natum nutriebat
in cunabulis misellis.
Ignis, eo cum venisset,
scelus pessimum patravit:
natum concremat in cunis,
200 matris ubera comburit.
It ad Inferos is infans,
puer parvulus in Letum,
quippe qui sortitus mortem
ortus esset, ut obiret
205 in doloribus ignitis,
in aerumnis aestuosis.

Mater magis sapiebat
nec ad Inferos descendit;
ignem canere sciebat,
210 coruscantem cicurare,
uti per foramen acus
et securis penetraret,
tubum terebrae transiret
et agellulum ambiret."

215 Vetus vates Väinämöinen
ipse quaerere maturat:
"Quonam ignis iit inde,
quo scintillae volaverunt
Tuuris agris ab extremis?
220 Versus silvam an ad mare?"

Mulier hoc dat responsum,
verbum facit, ita fatur:
"Ignis inde profecturus
cum coruscans vagaretur,
225 primum multas terras ussit,
multas terras et paludes;
demum decidit in aquam,
fluctus lacus Aluensis –
lacus erat exarsurus
230 et scintillas emissurus.

Ter in aestivali nocte,
novies in autumnali
ad abietes augescens
extra ripas exundavit
235 ignea vi violenta,
flamma fervida subactus.
Pisces liquit locis siccis,
percas aridis in agris.
Ibi pisces prospectabant,
240 percae corde cogitabant,
quidnam esset faciendum:
perca flebat suum penum,
piscis praedia dilecta,
arcem suam acerina.

245 Exit perca, piscis pinguis,
igniculum insecutum:
eum non est assecuta.
It coregonus alburnus:
is igniculum gluttivit,
250 flammam fervidam voravit.
Aquas Alue recepit
intra ripas revertentes,
pristinam in suam sedem
nocte quadam aestivali.
255 Transit temporis momentum:
dolor occupat gulosum,
labor gravis voratorem,
angor anxius esorem.

Natat huc et natat illuc.
260 Natat diem alterumque
inter scopulos salmonum
et coregonorum cautes,
promunturia per mille
et sub insulis centenis.
265 Promunturia monebant,
omnis insula dicebat:
'Non est in his almis aquis,
in hoc Aluensi lacu,
qui manducet malum piscem,
270 piscem pessimum det pessum
his aerumnis aestuosis
et ardoribus affectum.'

Id audivit alba tructa;
ēst coregonum alburnum.
275 Transit temporis momentum:
dolor occupat gulosum,
labor gravis voratorem,
angor anxius esorem.
Natat huc et natat illuc.
280 Natat diem alterumque
inter scopulos salmonum
liminaque luciorum,
promunturia per mille
et sub insulis centenis.
285 Promunturia monebant,
omnis insula dicebat:
'Non est in his almis aquis,
in hoc Aluensi lacu,
qui consumat malum piscem,
290 piscem pessimum det pessum
his aerumnis aestuosis

et ardoribus affectum.'

Lucens lucius advenit,
albam tructam devoravit.
295 Transit temporis momentum:
dolor occupat gulosum,
labor gravis voratorem,
angor anxius esocem.
Natat huc et natat illuc.
300 Natat diem alterumque
inter scopulos larorum
vel per cautes gaviarum,
promunturia per mille
et sub insulis centenis.
305 Promunturia monebant,
omnis insula dicebat:
'Non est in his almis aquis,
in hoc Aluensi lacu,
qui manducet malum piscem,
310 piscem pessimum det pessum
his aerumnis aestuosis
et ardoribus affectum.' ''

Vetus vates Väinämöinen
atque faber Ilmarinen
315 rete texunt tiliare,
iunipereum coniungunt;
id corticibus colorant,
fucant corio saligno.
Vetus vates Väinämöinen
320 feminas piscatum misit.
Eunt feminae piscatum,
tractum tragulam sorores.
Remigabant, navigabant
sinus singulos sequentes
325 inter scopulos salmonum
et coregonorum cautes,
in marinis fulvis ulvis
et iucundis in iuncetis.
Summo studio nitentes
330 hinc et inde piscabantur
– male retia mittebant,
perperam et extrahebant:
eum piscem non ceperunt,
quem certatim cupiebant.
335 Fratres eunt remigatum,
viri retia missuri.
Quae mittebant et tendebant,
piscabantur hinc et inde
praeter sinus scopulosque
340 et per cautes Kalevenses:
non ceperunt eum piscem,
ipsum, quem desiderabant.
Lucens lucius non venit
ex his almis artis aquis
345 nec ex pelago profundo:
parvi pisces, rete rarum.

Quin et pisces querebantur,
luciique colloquuntur,
a coregono cyprinus,
350 a salmone quaerit salmo:
''Mortuine Kalevenses,
viri clari, ceciderunt,
rete linteum qui nectunt,
filis faciunt sagenam,
355 magno conto pisces cogunt
longa pertica pellentes?''
Audit vetus Väinämöinen.
Verbum facit, ita fatur:
''Non sunt mortui heroes
360 neque cecidit gens nostra.
Mortuo succedunt duo,
quorum conti meliores,
ligna multo longiora,
retia maiora duplo.''

CANTIO XLVIII

Vetus vates Väinämöinen,
incantator sempiternus,
coepit secum cogitare,
animo rem agitare,
5 necteret ut sibi rete
centum maculis, ex lino.
Iamque verbis his profatus,
his loquelis est locutus:
''Estne vir, qui linum serat,
10 linum serat, agrum aret,
faciam ut mihi rete
macularum centenarum
ad mactandum malum piscem,
piscem pessimum perdendum?''

15 Tractus terrae reperitur,
locus quidam non combustus
in palude spatiosa,
inter duos duros truncos.
Trunci radix est effossa:
20 lini semen invenitur
abditum a verme Mortis,
a serpente subterrena.
Erat cumulus carbonum,
cineris acervus assus
25 lintre lignea combusta,
nave quadam concremata.
Ibi linum seminatur,
in favillas inaratur,
apud lacum Aluensem,
30 in agellum argillosum.
Inde planta germinavit,
se diffudit celsus caulis,
linum longum est exortum
eadem aestiva nocte.

35 Nocte fuit seminatum,
luna lucida humatum;
separatum et mundatum
et evulsum et purgatum,
celeriter carminatum,
40 fortiter est pectinatum.
Linum tum in aquam latum
est mature maceratum.
Festinanter est eductum
et siccatum sine mora.
45 Dein domum est portatum
leviterque levigatum,
properanter ligno tusum,
minutatim comminutum.
Bene spatula purgatum,
50 expolitum horis seris,
mox in glomus glomeratum
et in colum est collectum
eadem aestiva nocte
inter diem alterumque.

55 Fila filiae deducunt,
glomerant in acum glores,
fratres texunt in sagenam,
socrus religant ad restes.
Acus vere vertebatur,
60 culter ligneus currebat,
cum sagena pararetur,

everriculum ex lino,
eadem aestiva nocte,
immo vero seminocte!
65 Ergo rete fuit factum,
filis linteis ligatum:
centum passuum est fundus,
latus latum septingentos.
Id ponderibus exornant
70 et corticibus decoris.

Eunt iuvenes piscatum.
Senes domi meditantur:
''Num captabunt eum piscem,
quem tam sedulo sectantur?''
75 Piscabantur hinc et inde
summo studio nitentes,
recte retia ducebant
aut trahebant in transversum.
Paucos pisces captaverunt:
80 acerinas maledictas,
percas, pisces ossuosos,
et leuciscos biliosos;
eum piscem non ceperunt,
ad quem rete fuit factum.

85 Ait vetus Väinämöinen:
''O tu faber Ilmarinen!
Exeamus nosmet ipsi
sumptis retibus piscatum!''
Exeunt heroes ambo,
90 sua retia demittunt.
Alam iaciunt sagenae
apud insulam marinam,
alam alteram sagenae
apud lingulam herbosam;
95 restem vero retis ferunt
vatis veteris in portum.
Rete iaciunt et tendunt,
ducunt passim hinc et inde.
Pisces capiunt permultos:
100 percas perquam numerosas,
sariones, fariones,
et cyprinos et salmones,
aquae pisces omne genus;
eum piscem non ceperunt,
105 ad quem rete fuit factum,
filis linteis ligatum.

Tum vetustus Väinämöinen
rete retibus adauxit;
alas fecit ampliores
110 paene passibus quingentis,
funem ferme septingentis.
Verbum facit, ita fatur:
''In profundum reti misso,
procul litore profecti
115 extrahamus his ex aquis
adhuc alium piscatum!''
Sic in mare reti misso,
procul litore profecti
ex his aquis extraxerunt
120 adhuc alium piscatum.

Ibi vetus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
''Vellamo, matrona maris,
pectus iuncis decorata!
125 Tuam tunicam mutatum,
veni, vestem cambiatum!
Habes habitum iuncosum,
maris pallium spumosum,
quod ventorum nympha fecit,
130 Undae filia donavit:
ego tunicam donabo,
dabo puro lino factam,
texuit quam nympha Lunae,
Solis filia filavit.

135 Ahto, maris moderator
gurgitumque gubernator!
Virgam quinque passus longam
sume, passuum vel septem,

qua pertemptes vada vasta,
140 fundum pelagi confundas,
gregem suscites spinosum,
cogas piscium catervam
in reticulum trahendum,
in sagenam demittendam,
145 de profundis pisculentis
et latibulis salmonum,
medio de magno mari,
aquis altis, tenebrosis,
quae sunt semper sine sole
150 nec arenis ambiuntur!"

Masculus e mari surgit,
heros undis exaltatus
sistit aquis in apertis.
Verbum facit, ita fatur:
155 "Est coactor vobis opus,
teneat qui longum lignum?"
Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Est coactor nobis opus,
160 teneat qui longum lignum."
Masculus, pusillus heros,
rapit arborem ab acta,
longum lignum de pineto,
ad quod lapidem ligavit.
165 Sciscitatur, percontatur:
"Viribusne pisces summis
pellam, mea pro virtute,
an pro rata propulsabo?"

Vates prudens Väinämöinen
170 verbum facit, ita fatur:
"Si pro rata propulsabis,
sat superque laborabis."
Masculus, pusillus heros,
pisces cogere tum coepit
175 et pro rata propulsabat;
pisces plurimos coegit
in reticulum trahendum,
in sagenam demittendam.
Faber remulis incumbit;
180 vetus vates Väinämöinen
ipse tragulam trahebat,
filo factam educebat.
Ait vetus Väinämöinen:
"Iam est piscium caterva
185 in his tragulis trahendis,
in his retibus demissis."

Sic extrahitur sagena,
solvitur, exoneratur
in carinam Väinämöinis:
190 captant piscium catervam,
ad quam rete fuit factum,
filis linteis ligatum.
Vetus vates Väinämöinen
lintrem appulit ad litus,
195 ad extremum rubrum gradum
pontis glauci litoralis.
Purgat piscium catervam,
struem separat spinosam:
capit lucium lucentem,
200 quem tam diu petiverunt.

Tum vetustus Väinämöinen
ibi reputat rem secum:
"Manu tangere praesumam,
sine manicis ferratis
205 saxeisque chirothecis,
digitabulis aeratis?"
Solis filius audivit.
Verbum facit, ita fatur:
"Lucium dilacerarem,
210 pisci manum admoverem,
si haberem patris cultrum,
ferrum mei genitoris."
Culter lapsus est de caelo,
ferrum decidit de nimbis
215 aureum et argentatum
Solis subolis in sinum.

Solis filius superbus
arripit cultellum illum;
eo dissecat esocem,
220 lacerat os largum piscem.
In esocis intestinis
alba tructa reperitur
et in ventre huius tructae
est coregonus alburnus.
225 Tum coregono dissecto
glaucum globulum invenit
intimis in intestinis,
chordae tertio recessu.

Glaucum globulum evolvit:
230 ecce, globulo de glauco
ruber globulus est lapsus.
Rubrum globulum dissolvit:
intra globulum rubellum
ignis repperit scintillam,
235 quae deveniens de caelo,
per nubicula delapsa
ab octavo firmamento
penetraverat per auras.
Väinämöine cogitante,
240 ignis quomodo ferretur
in caliginem casarum,
tenebras tuguriorum,
iam emicuit scintilla
Solis filii de manu.
245 Usta barba Väinämöinis
adhuc acrius is ignis
genas fabri calefecit,
eius manus ustulavit.

Tum perrexit ignis ire
250 super undas Aluenses.
In iuniperetum fugit:
arsit illa tota tesqua;
it in silvam abiegnam:
celsas arbores combussit.
255 Adhuc longius prolapsus
partem Bothniae vastavit
et confinium Savonum
et Careliam utrimque.
Vetus vates Väinämöinen
260 ipse coepit ambulare,
surgit saltum in desertum
flammam fervidam secutus.
Mox igniculum invenit
sub stipitibus duobus,
265 intra siccum alni truncum
putri caudice conclusum.

Ibi vetus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
''Flamma, Dei creatura,
270 ignis, opus Creatoris!
In profundum sine causa,
frustra procul es profectus!
Facis melius, cum redis
in fornacem petris factam,
275 cum inclusus in favillis,
in carbonibus, celaris,
ut per diem tenearis
foci lignis betullinis
et per noctem occulteris
280 fundo fervidae fornacis.''

Rapuit scintillam ignis
intra fomites ardentes,
duros fungos betullinos,
ollulam ex aere factam.
285 Ignem ollula portavit
cortice cum betullino
in opacam longam linguam,
insulam sub nebulosam:
casae rursus calefiunt,
290 domus lumine lustrantur.

Ipse faber Ilmarinen
pronus procidit in pontum
et in scopulum discessit;

sedit litoris in saxo
295 flammis acribus affectus
et aerumnis aestuosus.
Ignem ibi restinguebat,
flammae plagas leniebat.
Verbis fere his profatus,
300 his loquelis est locutus:
"Ignis, Dei creatura,
o scintilla, Sole nata!
Quid te tantum irritavit,
ureres ut mihi genas,
305 ustulares mihi lumbos
laederesque mihi latus?

Qui sum ignem sublaturus,
flammae plagas leniturus,
ignis vires repressurus,
310 flammam ita restincturus,
ut non mordeat me diu
neque laedat nimis longe?
Veni, filia Turjana,
virgo, labere de Lappis
315 pedes nive calceata,
vestis limbis glaciatis,
ollam porta pruinosam
cyathumque glacialem!
Funde frigidum liquorem,
320 aquam algidam asperge
corporis in combusturas,
ignis in malignas iras!

Si non suppetit, quod dixi,
veni, fili Borealis,
325 puer ex extremis Lappis,
vir de tenebris procere,
sicut abies silvestris
sive pinus est palustris,
manus gelu manicate,
330 pedes gelu calceate,
caput gelu pileate,
cincte gelida cinctura!
Fer de Borea pruinam,
gelu gelido de vico!
335 Boreas est pruinosus,
vicus gelidus gelatus:
amnes algent, lacus frigent,
omnis aër albet nive;
saltant lepores brumales,
340 ursi ludunt glaciales
monte medio nivoso,
apud collem albicantem;
cygni gelidi labuntur,
natant anates algentes
345 amne medio nivali,
apud algidum torrentem.
Trahe trahula pruinam,
curru glaciem deporta
de minacibus montanis
350 collibusque scopulosis!
Qua refrigera pruina,
gela glacie nivali
vulnera, quae fecit ignis,
quas perussit flamma plagas.

355 Si non suppetit, quod dixi,
Ukko, deus o supreme,
nubila qui tenes nutu
aetheraque moderaris,
excites ex ortu nubem,
360 molem mittas ex occasu
et lateribus coniunctis
illas inter se collidas!
Plue nivem, plue gelu,
optimum unguentum plue
365 corporis in combusturas,
artus penitus ambustos!"
Ita faber Ilmarinen
illum ignem restinguebat,
flammae vires leniebat.
370 Est vir faber recreatus,
factus fortis, sicut ante,
post flammarum laesiones.

CANTIO XLIX

Dies adhuc non resplendet
neque lucet alma luna
Väinölensibus in vicis,
campis in Kalevalanis.
5 Algor arripit frumentum,
vita foeda fit armentis,
avicellis inconsueta,
hominibus taediosa,
quod sol non resplendet umquam
10 neque lucet alma luna.
Lucius scit maris fossas,
ales avium volatus,
ventus vero navis cursum;
nesciunt homunciones,
15 quando dies dilucescat,
noctes quando tenebrescant
in opaca longa lingua,
insula sub nebulosa.

Iuvenes consiliantur,
20 seniores contemplantur,
quonam modo sine luna,
sine sole victitetur
in his finibus desertis,
agris tristibus Arctois.
25 Virgines consiliantur,
rem reperiunt puellae.
Petunt officinam fabri.
Verbis fere his profantur:
''Surge, faber, a fornace,
30 malleator, de cubili
ad cudendam novam lunam,
novam orbitam solarem!
Male sumus sine luna,
insolenter sine sole.''

35 Surgit faber a fornace,
malleator de cubili
ad cudendam novam lunam,
novam orbitam solarem.
Lunam auro fabricatur,
40 solem facit ex argento.
Venit vetus Väinämöinen,
prope ianuam resistit.
Verbum facit, ita fatur:
''O mi faber, frater care!
45 Quid in officina cudis,
omne tempus ita tundis?''
Ille faber Ilmarinen
verbum facit, ita fatur:
''Lunam fabricor ex auro,
50 solis orbem ex argento,
pendeant quae celso caelo,
super sexto firmamento.''

Tum vetustus Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
55 ''Heus tu, faber Ilmarinen!
Iam res vanas fabricaris!
Aurum non, ut luna, lucet
nec argentum modo solis.''
Faber lunam figuravit,
60 fabricatus est et solem.
Ea tollere volebat,

ut decebat, baiulare,
lunam abietem in altam,
solem in proceram pinum.
65 Sudor liquitur per caput,
ros per frontem portatoris
in hoc arduo labore,
opere hoc operoso.
Ita lunam elevavit,
70 solem sursum sublevavit,
lunam abietem in summam,
solem in cacumen pini:
neque tamen luna lucet
nec sol potest resplendere.

75 Tum vetustus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
''Tempus sortibus est uti,
signum quaerere virorum,
quo sol vaserit a nobis,
80 quorsum luna sit elapsa.''
Ipse vetus Väinämöinen,
vates ille sempiternus,
secat assulas ex alno,
assulas quas locat rite;
85 sortes incipit versare,
eas digitis movere.
Verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:

''Precor gratiam Divinam,
90 rectum postulo responsum.
Verum dicas, Dei signum,
referas, sors Creatoris,
quo sol vaserit a nobis,
quorsum luna sit elapsa,
95 cum temporibus iam nullis
videantur in excelsis?
Dicas rem pro veritate
nec pro viri voluntate,
porta nuntios veraces,
100 affer fata certiora!
Si sors erit ementita,
gradu suo depelletur:
sors in flammas iacietur,
signum ignibus peribit.''

105 Tulit nuntios veraces
sors virorum, responsavit,
dixit solem discessisse,
lunam illuc interisse,
intra rupem Aquilonis,
110 in aëneas cavernas.
Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
''Nunc in Boream profectus,
semitas in Boreales,
115 lunam faciam lucere,
solem aureum splendere.''
Est profectus properanter
tenebras in Boreales.
Iit diem alterumque
120 tertioque iam dierum
portam videt Borealem,
cernit lapidosos colles.

Primum invocans clamavit
apud amnem Aquilonis:
125 ''Huc appellite barcellam,
ut traiciam trans flumen!''
Cum non clamor sit auditus
nec navigium appulsum,
struem colligit lignorum,
130 siccos suros abiegnos;
ignem suscitat in ripa,
fumum facit satis spissum.
Ignis surgit versus caelum,
fumus aëre spissescit.
135 Anus Aquilonis Louhi
ad fenestrulam apparet.
Spectat versus fretum imum,
verbum facit, ita fatur:
''Quinam ardet ignis ille

140 apud fretum insulanum?
Minor est quam flamma belli,
maior igne piscatoris."

Inde puer Borealis
est in aream egressus,
145 ut videret et audiret
et attente prospectaret:
"Illic fluminis trans undas
spatiatur fortis heros."
Ibi vetus Väinämöinen
150 iterum vociferatur:
"Huc appelle, Borealis,
lintrem mihi Väinämöini!"
Dicit puer Borealis,
ita fatur et responsat:
155 "Non sunt liberae hic lintres.
Digitis huc remigato,
palmis cursum gubernato
amnem tranans Aquilonis!"

Ibi vetus Väinämöinen
160 cogitat et meditatur:
"Non est vir, qui pedem refert
rebus nondum expeditis."
It ut lucius in mare,
ut coregonus in flumen,
165 brevi fretum tranatavit,
cito spatium confecit.
Movet pedem alterumque,
tangit ripam Borealem.
Aiunt tum Aquilonales,
170 mala murmurat caterva:
"Aulam Aquilonis intra!"
Intrat aulam Aquilonis.
Aiunt Aquilonis viri,
mala murmurat caterva:
175 "Intra domum Aquilonis!"
Domum Aquilonis intrat:
in vestibulum fert pedem,
ansam ostii prehendit
et in atrium ingressus
180 sese contulit sub tectum.

Ibi viri mulsum sumunt,
sucum nectaris sorbillant,
viri gladiis praecincti,
armis bellicis, heroes
185 contra caput Väinämöinis,
ut occiderent cantorem.
Advenam interrogarunt
verbis ita fere fati:
"Quem fert nuntium misellus,
190 quid vult sibi vir natator?"
Vetus vates Väinämöinen
verbum facit, ita fatur:
"Novus nuntius de luna
et de sole vobis fertur.
195 Quonam vasit sol a nobis,
quo disparuit lux lunae?"

Aiunt Aquilonis viri,
turba turpis ita fatur:
"Eo vasit sol a vobis,
200 sol evasit, luna fugit,
intra petram picturatam,
montis ferream in molem.
Nec solventur nisi dictis,
nisi verbis vindicentur."
205 Tum vetustus Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
"Cum non luna liberatur
nec sol solvitur de saxo,
manu comminus conserta
210 gladiis digladiemur!"

Stringit ensem, rapit ferrum,
nudat aciem atrocem:
luna lucet in mucrone,
sol in capulo resplendet,
215 equus est in lamna sculptus,
cattus gemit super clavo.

Enses ergo metiuntur,
gladios experiuntur:
erat longior tam paulo
220 ensis vatis Väinämöinis,
hordeaceum quam granum
aut caulisculus est altus.
Eunt foras in cohortem,
aequis passibus in campum.
225 Tum vetustus Väinämöinen
ferit gladio corusco,
ferit semel et secundum:
ut radices rapulorum
aut ut capita linorum
230 calvas desecat virorum.

Tum vetustus Väinämöinen
iit, ut videret lunam
atque solem liberaret
latere de lapidoso,
235 chalybeio de colle,
montis ferrea de mole.
Aliquantum ambulavit,
viae paululum iam fecit:
videt insulam virentem.
240 Ibi bella stat betulla,
sub betulla magnum saxum
et sub saxo iacet rupes,
novem ianuis ornata,
centum seris obserata.

245 Sulcum repperit in saxo,
falsam lineam in rupe.
Gladium evaginavit,
signum secuit in saxum
ensis igneo mucrone,
250 suo gladio nitenti:
saxum statim est diffusum,
in tres partes rupes rupta.
Vetus vates Väinämöinen
rimam lapidis inspectat:
255 zythum colubrae compotant,
angues malti sucum sorbent
intra petram picturatam,
fulvam lapidis cavernam.
Tum vetustus Väinämöinen
260 verbum facit, ita fatur:
"Ita dominae misellae
minus zythi sortiuntur,
colubrae quod zythum potant,
angues sorbent malti sucum."

265 Caput viperae cecidit,
collum colubrae dirupit.
Verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
"Numquam, tempore nec ullo
270 post hoc lumen hodiernum
colubrae compotent zythum,
angues nostri malti sucum!"
Tum vetustus Väinämöinen,
vates ille sempiternus,
275 manu ianuas temptavit,
seras viribus verborum:
ianuae non patefiunt,
serae verbis non moventur.

Tum vetustus Väinämöinen
280 verbis ita fere fatur:
"Armis orbus est anilis,
carens ascia vir vilis."
Dein domum est profectus
corde maestus, aeger mente
285 adhuc sole non soluto,
luna nondum liberata.
Tum lascivus Lemminkäinen:
"O vetuste Väinämöinen!
Cur me tecum non sumpsisti
290 socium incantatorem?
Claustris omnibus laxatis
atque pessulis perfractis
esset luna liberata
et sol ortus ad splendendum."

295 Vetus vates Väinämöinen
verbis ita fere fatur:
"Serae verbis non solvuntur,
claustra magicis loquelis,
neque manibus movendo
300 neque bracchiis torquendo."

It in officinam fabri.
Verbum facit, ita fatur:
"Heus tu, faber Ilmarinen!
Cude mihi tridens rastrum
305 et duodecim fac vectes,
claves insuper permultas,
quibus lunam saxo solvam,
solem liberem ex rupe!"
Ille faber Ilmarinen,
310 malleator sempiternus,
res optatas fabricavit;
duodecim vectes fecit,
claves insuper permultas
et hastarum bonum fascem,
315 neque magnas neque parvas,
sed mediocres mensura.

Anus Aquilonis Louhi,
raris dentibus matrona,
alas peperit pennatas
320 et ad auras assurrexit.
Volat primum prope domum,
dein longius decedit
pelagus trans Boreale,
fabricam ad Ilmarinis.
325 Faber aperit fenestram,
ventum cogitat venturum:
ventus veniens non erat,
erat ales, falco canus.
Ille faber Ilmarinen
330 verbum facit, ita fatur:
"Quid es, ales, petiturus
sedens mea sub fenestra?"
Avis coepit ita loqui,
falco factus est verbosus:
335 "Heus tu, faber Ilmarinen,
malleator sempiterne,
quam es artifex expertus,
faber admodum peritus!"
Ait faber Ilmarinen,
340 fabulatur ita fatus:
"Illud minime mireris,
quod sum artifex peritus,
caelum ipsum qui procudi,
firmamentum malleavi."
345 Avis coepit sciscitari,
falco, verbis ita fatus:
"Quidnam, faber, ibi facis,
artifex, quid fabricaris?"

Ille faber Ilmarinen
350 hoc falconi dat responsum:
"Ferrum facio collare
anum ad Aquilonalem,
ut hoc vinclo vinciatur
prope collem scopulosum."
355 Anus Aquilonis Louhi,
raris dentibus matrona,
iam se sensit perituram
imminente die diro.
Statim coepit volitare,
360 abiit in Aquilonem.
Lunam rupe liberavit,
solem scopulo dissolvit.

Ipsa facie mutata
in columbam se convertit;
365 pennis nixa pervagatur
fabricam in Ilmarinis.
Volat volucris ad fores,
ceu columba petit limen.
Ille faber Ilmarinen
370 verbum facit, ita fatur:
"Quid, o volucris, volasti

in hoc limen, o columba?"
Ait volucris ad fores,
in liminibus columba:
375 "Ideo sum apud limen,
ut hunc nuntium apportem:
lunam esse iam exortam,
solem scopulo solutum."

Ille faber Ilmarinen
380 ipse voluit videre.
It ad fores officinae,
caelum aspicit attente:
cernit lunam relucentem,
solem videt resplendentem.
385 Adiit ad Väinämöinem,
verbum facit, ita fatur:
"O vetuste Väinämöinen,
incantator sempiterne!
Veni lunam contemplatum,
390 almum solem inspectatum!
Iam in ipso caelo pendent,
suis sedibus antiquis."
Vetus vates Väinämöinen
est in aream egressus,
395 ubi capite levato
oculos in caelum vertit:
orta luna, sol solutus
locum ceperant in caelo.

Tum vetustus Väinämöinen
400 ipse coepit dictitare.
Verbis fere his profatus,
his loquelis est locutus:
"Salve, luna, quae lucescis
monstrans faciem formosam,
405 salve, dies, qui diluces
surgens aureus sublime!
Luna, rupe liberata,
dies, saxis es solutus –
ut cuculus aureatus
410 aut argenteus columbus
solitas in sedes ortus,
in itinera priora.
Surge semper matutinus
et post lumen hodiernum!
415 Dona nobis sanitatem,
feram fer in nostras manus,
praedam praebe venatori,
piscatori da fortunam!
I nunc salvus tuum iter,
420 tuam semitam salubris,
orbem optime conclude
sero vesperi serenus!"

CANTIO L

Marjatta, venusta virgo,
diuturna domi crevit,
domi celsi genitoris,
apud caram genetricem.
5 Quinque conterit catellas,
sex circellulos consumit
portans claves genitoris
in cinctura resplendentes.
Limen medium consumit
10 vestis limbo specioso,
trabem mediam transversam
vitta serica crinali,
postes partim ianuarum
sua manica subtili,
15 tabulatum pavimenti
calcibus calceolorum.

Marjatta, venusta virgo,
illa parvula puella,
diu curat castitatem,
20 sempiterno sanctitatem.
Bonos pisces comedebat
pineumque mollem panem,
sed non edit gallinarum
ova, gallo fecundata
25 neque carnem eius ovis,
quae iam noverat vervecem.
Mater misit ad mulgendum:
illa noluit mulgere.
Verbis ita fere fatur:
30 "Nulla mihi par puella
tangit uber talis vaccae,
quae cum tauris fuit iuncta,
si non stillat de iuvenca
nec lac vitulis demanat."
35 Pater equo vehi iussit:
in vehiculum non venit.
Frater equam trahae iunxit:
virgo verbis ita fatur:
"Equa tali vehi nolo,
40 ad quam equus est admissus,
si non equuli me vehunt
nec equini pulli portant."

Marjatta, venusta virgo,
sine viro quae vivebat
45 virginalis, verecunda,
crine plexo, pudibunda,
custos gregis tandem facta
est cum ovibus egressa.
Pecora per montes ibant,
50 agni per cacumen collis;
virgo vero vagabunda
per alnetum ambulabat,
cum cuculus cuculabat,
argutabat argentatus.

55 Marjatta, venusta virgo,
prospectabat, auscultabat.
Sistit in bacali grumo,
colle medio manebat.
Ibi verbis ita fata,
60 his loquelis est locuta:
"Avis aurea, cucula,

argutator, argentata,
avis garrula, garrito,
fragum dulce, dictitato:
65 degam diu capillata,
longum tempus gregis custos
ambulans in amplis agris,
in nemoribus extensis?
Unam, duas vel aestates,
70 an et quintam atque sextam
atque decimam aestatem,
an nec plenam hanc praesentem?''

Marjatta, venusta virgo,
diu gregem custodivit.
75 Vita gravis est pastorum,
maxime pastorularum:
serpens serpit inter herbas
et lacertulae labuntur.
Illi non asserpsit serpens
80 neque labilis lacerta.
Baca sibilat silvestris,
ruris rubidus myrtillus:
''Virgo, venias me carptum,
genas rosea, collectum,
85 pectus stagnea, petitum,
zonam aerea, delectum,
ante cochlea quam edat,
anguis ater me manducet!
Centum visum advenerunt,
90 mille iuxta me sederunt,
centum sponsae, mille nuptae
et infantes infiniti,
nemo tamen, qui me tangat,
qui decerpat me misellum.''

95 Marjatta, venusta virgo,
aliquantum ambulavit,
venit, bacam ut videret,
ut decerperet myrtillum
suis digitis decoris
100 palmulisque suis pulchris.
Bacam repperit in colle,
ruri rubidum myrtillum:
talis tamen illa baca,
is myrtillus videbatur,
105 ut non posset manu carpi
neque facile prehendi.

Fustem arripit de terra,
quo decussit eam bacam.
Baca tollitur de terra
110 super calceos decoros,
de calceolis decoris
super genu generosum,
genibus de generosis
super sinum speciosum,
115 tum in fibulam cincturae,
de cinctura super pectus,
de pectoribus in mentum,
mento licto super labra;
tum in os infertur illa,
120 labitur iam super linguam,
licta lingua versus fauces
et in ventrem est delapsa.

Marjatta, venusta virgo,
satiatur et impletur,
125 praegnans redditur de baca,
crassa fit ingravidata.
Coepit esse sine cinctu,
sine zona, veste laxa,
clandestino balneare,
130 ortis tenebris lavari.
Mater semper cogitabat,
genetrix rem reputabat:
''Marjatta quid agit nostra,
quidnam avicella cara,
135 cum sic vivit sine cinctu,
sine zona, veste laxa,
it in balneum latenter
et in tenebris lavatur?''

Infans potuit profari,
140 parvulus haec dicta dare:
"Marjatta se habet nostra
sic, puellula misella,
quia diu pecus pavit
gregem nimis custodivit."
145 Plenum uterum portavit,
ventrem gravidum gravantem,
mensem septimum, octavum,
nonum quoque mensem plenum,
sicut solent numerare,
150 et dimidium sequentis.
Ita decimo tum mense
virgo coepit nixurire:
venter feminae durescit,
uterus fit dolorosus.

155 Petit balneum a matre:
"Mea mater, o dilecta!
Sedem praepara securam,
mihi calidum conclave,
ut sit requies puellae,
160 locus mihi laboranti!"
Mater potuit profari,
genetrix sic responsare:
"Vae, vae tibi, malum scortum!
Quis compressit te virorum?
165 Sine coniuge vir caelebs
fuit aut vir coniugatus?"
Marjatta, venusta virgo,
ad haec ita dat responsum:
"Non compressit me vir caelebs
170 neque quisquam coniugatus.
Bacam petere de colle,
rubrum volui myrtillum,
bonam bacam libens legi,
super linguam labi feci.
175 Versus fauces iit inde
et in ventrem est delapsa:
sic impleta, satiata,
gravis utero sum facta."

Petit balneum a patre:
180 "O mi genitor dilecte!
Sedem mihi da securam,
praebe calidum conclave,
quo misella sublevetur,
ubi gravida laboret!"
185 Pater potuit profari,
genitor sic responsare:
"Abi longius, scortillum,
meretrix, a nobis procul,
pete lustra lapidosa,
190 ursi saxeas speluncas,
ibi fetus emissura,
meretrix, procreatura!"
Marjatta, venusta virgo,
sic prudenter responsavit:
195 "Non sum ego malum scortum
neque meretrix omnino.
Grande genus generabo,
mater ero magnae prolis,
quae potentium est potens,
200 valet plus quam Väinämöinen."

Iam in poenis est puella,
nescia, quo possit ire,
unde balneum rogare.
Verbum facit, ita fatur:
205 "Piltti, minima servarum,
mea melior ministra!
Quaere balneum in vico,
lavacrum ad Saram amnem,
quo misella sublevetur,
210 ubi gravida laboret!
Veni velox, cito curre,
citius desideraris!"
Piltti, servula pusilla,
verbum facit, ita fatur:
215 "A quo balneum requiram,
a quo petam adiumentum?"

Nostra Marjatta respondet,

verbum facit, ita fatur:
"Pete balneum a Ruoto,
220 lavacrum ad fauces Sarae!"
Piltti, servula pusilla,
erat docilis, submissa,
expedita vel iniussu,
prompta vel non excitata:
225 est egressa velut vapor,
foras fugit sicut fumus.
Limbo manibus levato
vestem digitis tenebat:
properanter properavit
230 currens versus domum Ruoti.
Clivi consonant cum currit,
colles cadunt cum ascendit,
saltant strobili per tesqua,
labat terra glareosa.
235 Est ingressa domum Ruoti,
aedificium intravit.

Turpis Ruotus tunicatus
ēst et bibit, ut potentes,
apud mensam linteatus,
240 puris palliis indutus.
Ait Ruotus apud cibum,
mensa nixus sic obiurgat:
"Quidnam dicis, virgo nequam,
quid, infelix, ita curris?"
245 Piltti, servula pusilla,
verbum facit, ita fatur:
"Quaero balneum in vico,
lavacrum ad Saram amnem,
quo misella sublevetur,
250 anxia reficiatur."

Ruoti domina deformis
manibus in lumbos fixis
spatians in pavimento
solo medio movetur.
255 Ipsa quaerere maturat,
verbum facit, ita fatur:
"Cuinam balneum requiris
et cui petis adiumentum?"
Piltti servula respondit:
260 "Nostrae Marjattae requiro."
Ruoti domina deformis
verbis ita fere fatur:
"Balneum non vacat nostrum
nec lavacrum apud Saram.
265 Balneum in usto colle,
stabulum stat in pineto,
ubi pariat scortillum,
prolem meretrix producat:
cum spiraverit caballus,
270 ibi quidem balneato!"

Piltti, servula pusilla,
cito rursus est reversa,
properanter properavit.
Ait, cum remeavisset:
275 "Non est balneum in vico
nec lavacrum apud Saram.
Ruoti domina deformis
verba fecit ita fata:
'Balneum non vacat nostrum
280 nec lavacrum apud Saram.
Balneum in usto colle,
stabulum stat in pineto,
ubi pariat scortillum,
prolem meretrix producat:
285 cum spiraverit caballus,
ibi quidem balneato!'
Tali modo mihi dixit,
sic maligna responsavit."

Marjatta, submissa virgo,
290 est in lacrimas effusa.
Verbis ita fere fatur:
"Tempus est me hinc abire,
ut solebat olim serva
seu domestica conducta,
295 – collem petere combustum,

in pinorum silvam ire!"
Limbo manibus levato
vestem digitis tenebat,
fractis virgis frondibusque
300 contra solem se tegebat.
Tendit pede properante,
ventre graviter vexata
in conclave pinis cinctum,
stabulum in saltu situm.

305 Verbis fere his profata,
his loquelis est locuta:
"Mihi subveni, Creator,
ades numine benigno
in hoc opere molesto,
310 his gravissimis in horis!
Poenis libera puellam,
tolle ventris iam tormenta,
ne dolore demergatur
neu succumbat suis malis!"
315 Itaque, cum pervenisset,
verbis ita fere fatur:
"Spira nunc, caballe care,
trahae tractor, mihi suffla,
fac vaporem balnearem,
320 sparge calidum spiramen,
quo reficiar misella,
virgo sublever vexata!"

Almus equus anhelavit,
respiravit trahae tractor
325 super ventrem laborantem:
quicquid equus exspiravit,
est ut balnearis vapor,
aquis iactis excitatus.
Marjatta, submissa virgo,
330 sancta, parvula puella
balneavit in vapore,
quantum ventri fuit satis.
Ibi parit parvam prolem,
dulcem filium deponit
335 super fenis saetulosi
in praesaepio caballi.

Lavit puerum pusillum
fasciisque fasciavit,
sumpsit natum super genu,
340 suo gremio suscepit.
Filiolum occultabat,
educabat dulcem natum,
suum mālum aureatum,
baculum inargentatum.
345 Sinu parvulum pascebat,
suis manibus versabat.
Super genu natum sumit
et in gremio deponit
volens comam pectinare,
350 crines pueri polire.

Puer cecidit de genu,
est de gremio dilapsus.
Marjatta, submissa virgo,
animo iam anxiata
355 properavit quaeritatum.
Quaerit puerum pusillum,
suum mālum aureatum,
baculum inargentatum:
molas manibus subvertit
360 atque soleas traharum,
versat cribra cribratorum,
versat amphoras aquales,
levat ligna, vellit gramen,
spargit herbulas subtiles.
365 Diu filium quaesivit,
suum parvulum, pusillum:
quaerit celsis in pinetis,
in truncetis, ericetis,
omnes eruit ericas
370 et scrutatur fruticeta,
suffodit iunipereta,
ramos arborum rimatur.

Ambulabat agitata,
levi pede procedebat:
375 obviam fit ei Stella.
Stellam prona veneratur:
"Stella, Dei creatura!
Non novisti meum natum,
ubi filius sit parvus,
380 meum mālum aureatum?"
Stella sapit responsare:
"Si novissem, non narrarem.
Is me quoque procreavit,
degerem ut dies duros,
385 in frigoribus resplendens
ut in tenebris micarem."

Ambulabat agitata,
levi pede procedebat:
obviam fit ei Luna.
390 Lunam prona veneratur:
"Luna, Dei creatura!
Non novisti meum natum,
ubi filius sit parvus,
meum mālum aureatum?"
395 Luna sapit responsare:
"Si novissem, non narrarem.
Is me quoque procreavit,
degerem ut dies duros,
vigilarem solas noctes
400 et interdiu dormirem."

Ambulabat agitata,
levi pede procedebat:
tum Sol incidit in ipsam.
Solem prona veneratur:
405 "O Sol, Dei creatura!
Non novisti meum natum,
ubi filius sit parvus,
meum mālum aureatum?"
Sapiens Sol responsavit:
410 "Ego novi tuum natum!
Is me quoque procreavit,
degerem ut dies dulces,
ambularem aureatus,
argutarer in argento.
415 Certe novi tuum natum!
Vae, misella, tuo nato!
Illic filius est parvus,
tuum mālum aureatum,
in palude pectus usque,
420 tesquis mersus tenus alis."
Marjatta, submissa virgo,
natum in palude quaerit.
Est inventus in palude,
inde domum reportatus.

425 Marjattae deinde nostrae
crevit filius formosus.
Nesciebant appellare,
nomine quo vocaretur.
Mater 'flosculum' dicebat,
430 'vilem' vero peregrinus.
Baptizator quaerebatur,
spectabatur, si quis esset.
Venit senex, Virokannas,
filium qui baptizaret.
435 Senex verbis his profatus,
his loquelis est locutus:
"Non baptizo sceleratum,
misero non do baptismum,
nisi prius sit probatus
440 et probatus iudicatus."

Quisnam debet rem probare,
rem probare, iudicare?
Vetus vates Väinämöinen,
incantator sempiternus,
445 ille debet rem probare,
rem probare, iudicare!
Vetus vates Väinämöinen
ibi iudicat hoc modo:
"Puer de palude captus,
450 ruris baca procreatus,

rursus ruri deponatur
iuxta grumulum bacalem
aut portetur in paludem
ligno capite percusso!"

455 Semimenstris sic profatur,
puer quindecim dierum:
"Heu tu, vetule vesane,
senex stulte, somnolente,
stupide qui iudicasti,
460 ius iniuste reddidisti!
Non ob culpas graviores
nec ob scelera peiora
in paludem es portatus
ligno capite percusso,
465 cum tu iunior aetate
matris filium mandasses,
tuum caput ut salvares,
te redimeres ut ipsum.
Neque porro tu tum quidem
470 in paludem es portatus,
cum iam iunior aetate,
pessum virgines dedisti
sub profundas maris undas,
super fundum limo fuscum."

475 Senex prolem properanter,
sine mora baptizavit,
ut rex esset Carelorum,
custos cunctae potestatis.
Est iratus Väinämöinen,
480 est iratus et confusus.
Tum profectus lento gradu
petit litora marina.
Ibi coepit incantare,
carmen ultimum cantavit:
485 canit aeream carinam,
cumbam cupream, contectam.
Ipse puppim est ingressus,
abiit in altum mare.
Ait adhuc abiturus,
490 profecturus sic profatur:

"Sine tempora labantur,
soles occidant et surgant,
rursus me desiderabunt,
exspectabunt et optabunt,
495 ut reficiam Samponem
faciamque novas fides,
ut apportem novam lunam
et resolvam novum solem,
cum nec erit sol nec luna
500 neque gaudium sub divo."
Ita vetus Väinämöinen
labitur per maris fluctus
in aënea carina,
cumbam cupream gubernans
505 versus terras celsiores,
imos fines firmamenti.
Ibi haesit cum carina,
suis ratibus remansit.
Nablium post se reliquit,
510 Finnis fides decorosas,
genti gaudium aeternum,
cantiones suae stirpi.

* * *

Claudi meum os oportet,
linguam meam religari,
515 cantum desini canorum,
finem fieri verborum.
Equus etiam quiescit,
cum cucurrit iter longum;
ferrum quoque hebetatur,
520 cum cecidit recens fenum;
aqua labens acquiescit
flexus fluminis perlapsa,
et exstinguitur vis ignis,
arserit cum longam noctem;
525 cur non vates fatigetur,
versus cur non requiescant

gaudia post vespertina,
post crepusculum canorum?

Sic audivi dictitari,
530 alios sic arbitrari:
"Amnis torrens, quamvis magnus,
non effundit omnem aquam,
neque bonus citharoedus
artem aperit ex toto.
535 Sensus melior servatus
quam finitus praemature."
Sic desisto, fine facto,
desino, relictis rebus.
Versus meos glomeratos
540 et in orbem intricatos
in subsidiis depono
clausos osseis claustellis,
unde numquam resolventur,
nullo tempore tollentur,
545 nisi claustris relaxatis
et maxillis dilatatis
dentibusque dissipatis,
lingua celeri currente.

Ergo quid si nos cantamus
550 modulantes modis multis,
concinentes per convalles
si sub silvis sibilamus?
Iam non vivit mea mater,
iam non vigilat genetrix,
555 non auscultat adamata
neque discit hoc dilecta:
arbores me hic auscultant,
rami pinei me discunt,
fovent frondes betullinae,
560 amplexantur altae sorbi.

Parvus sum a matre lictus,
orbus mea genetrice,
ut alauda super saxo
sive turdulus in rupe,
565 qui volarem ut alauda,
turdi more modularer
apud feminam ignotam,
ad arbitrium novercae.
Quae me pepulit pusillum,
570 orbum expulit pupillum
versus limina ventosa,
atrium aquilonale,
ut intutum ferret turbo,
flatus frigidus misellum.

575 Ita coepi circumire,
velut volucris volare,
tener terras peragrare,
miser puer permeare,
ut sentirem omnes ventos
580 et perciperem procellas,
ut horrerem propter frigus,
propter gelu gemebundus.
Multos homines inveni,
sunt complures, quos cognovi,
585 qui loquuntur lingua dura,
lingua crepitant crudeli.
Unus linguam obtrectavit,
alter accusavit vocem;
dixit raucum me sonare,
590 nimis aspere cantare,
malo more modulari
neque recte recitare.

Cari homines, nolite
id insolitum putare,
595 quod pusillus male canto,
puer perperam susurro!
Ego non sum eruditus
neque vates visitavi,
nulla verba foris cepi
600 nec loquelas e longinquo.
Ceteri sunt eruditi,
ego domo non discessi,
ne deessem meae matri,

ne relinquerem relictam.
605 A domesticis sum doctus
sub cantheriis cellarum,
apud fusum meae matris,
apud asciam germani,
idque didici pusillus,
610 puerulus tunicatus.

Verum tamen nunc profecto
viam vatibus sulcavi,
viam feci fronde fracta,
caesis ramulis monstravi.
615 Ibi semita nunc patet,
novus sulcus est sulcatus
ad poetas pleniores,
vates ad verbosiores
iuventutis iuvenilis,
620 huius gentis germinantis.

Finis.

Argumenta cantionum

CANTIO I

Carmen incipit; 1–102. – Virgo, vento nata, in mare descendit, ubi vento et aqua marina fecundata fit coniux maris; 103–176. – Fulca nido super eius genu facto ova peperit; 177–212. – Ova de nido devoluta franguntur; ex fragmentis eorum terra, caelum, sol, luna nubesque formantur; 213–244. – Maris coniux paeninsulas, sinus et alia litora, loca profunda et vada in mari creat; 245–280. – Väinämöinen, ex maris coniuge natus, diu undis circumlatus in litore denique consistit; 281–344.

CANTIO II

Väinämöinen in terram arboribus adhuc carentem ascendit, ubi Sampsa Pellervoinen ab eo adducitur, ut arbores serat; 1–42. – Quercus primo non oritur, sed iterum sata provenit et per omnem terram ita extenditur, ut suis frondibus lunam et solem obscuret; 43–110. – Masculus ex mari ortus quercum caedit; luna et sol rursus in conspectum veniunt; 111–224. – Aves in arboribus concinunt; gramina, flores bacaeque in terra crescunt; solum hordeum nondum germinat; 225–236. – Väinämöinen nonnullis hordei seminibus in litore repertis arbores ad agrum praeparandum caedit, una tamen betulla relicta, ubi alites requiescant; 237–264. – Aquila gavisa, quod sibi celsa arbor relicta sit, Väinämöini ignem facit, quo caesas arbores comburat; 265–286. – Väinämöinen hordeum serit, satis crementum precatur et in futura quoque tempora omnia fausta exoptat; 287–378.

CANTIO III

Väinämöinen rerum scientia corroboratus clarescit; 1–20. – Joukahainen domo proficiscitur, ut eum scientia vincat, et inferior factus ad certamen singulare provocat; qua de re Väinämöinen iratus Joukahainem in paludem cantat; 21–330. – Joukahainen in palude anxius factus denique sororem Väinämöini se daturum esse pollicetur, qua re Väinämöinen placatus eum ex palude liberat; 331–476. – Joukahainen tristi animo domum profectus matri

infelicem eventum itineris narrat; 477–524. – Mater, cum Väinämöinem sibi generum futurum audit, valde gaudet, filia autem contristata plorare incipit; 525–580.

CANTIO IV

Väinämöinen sorori Joukahainis frondes in nemore colligenti occurrit et eam in matrimonium petit; 1–30. – Filia lacrimis obortis domum currit, ubi matri rem narrat; 31–116. – Mater eam dolere vetat, immo hortatur, ut gaudeat et pulchris vestibus induatur; 117–188. – Filia flere pergit et negat se viro decrepito nupturam; 189–254. – Curis anxia dum ambulat, in silvam desertam vagatur, in maris litus ignotum incidit; ubi natans aquis mergitur; 255–370. – Mater noctes atque dies filiam mari mersam deflet; 371–518.

CANTIO V

Väinämöinen proficiscitur, ut sororem Joukahainis ex aqua expiscetur, eamque in insolitum piscem versam hamo capit; 1–58. – Piscem in partes secare conatur, qui tamen ex manibus eius in mare delabitur, ubi aperit, quis fuerit; 59–133. – Väinämöinen et verbis et instrumentis piscatoriis piscem denuo captare frustra conatur; 134–163. – Aegro animo domum repetit et a matre iam mortua admonetur, ut virginem Borealem sibi in matrimonium petat; 164–241.

CANTIO VI

Joukahainen, habens odium in Väinämöinem, eum in Aquilonem iter facientem exspectat; 1–78. – Trans fluctus equitantem conspicit, sed sagitta missa non ferit nisi equum; 79–182. – Väinämöinen in aquam procidit; vento vehementi in altum mare natare cogitur Joukahaine laetante, quippe qui Väinämöinem iam carmina ultima cantavisse credat; 183–234.

CANTIO VII

Väinämöinen complures dies in alto mari circumnatat; aquila eum invenit et adhuc laeta, quod Väinämöinen silva caesa betullam crescentem ipsi reliquerit, dorso levatum in litus Boreale portat, unde matrona Aquilonis eum domum suam deportat et liberaliter accipit; 1–274. – Nihilo minus, cum Väinämöinen suas terras desideret, matrona Borealis se non solum eum remissuram esse sed filiam quoque ei in matrimonium daturam promittit, si Borealibus Samponem cuderit; 275–322. – Väinämöinen pollicetur se, postquam domum reverterit, fabrum Ilmarinem missurum esse, qui Samponem

cudat; ita a matrona Boreali traham et equum accipit, ut in propria proficiscatur; 323–368.

CANTIO VIII

Väinämöinen iter faciens virginem Borealem veste pulchra vestitam videt et eam in matrimonium petit; 1–50. – Virgo denique promittit se Väinämöini nupturam, si ille ex fusi fragmentis navigium fecerit idque nullo modo tactum in aquam deduxerit; 51–132. – Väinämöinen navigium fabricans securi genu male vulnerat neque cruorem procurrentem occludere valet; 133–204. – Quaerens vatem, qui sanguinem sedare possit, senem invenit, qui promittit se cursum cruoris occlusurum esse; 205–282.

CANTIO IX

Väinämöinen seni origines ferri aperit; 1–266. – Senex ferro maledicit et verba ad sanguinem sedandum pertinentia dicit; sanguis occluditur; 267–418. – Senex filium mittit, qui unguentum faciat; vulnus ungit et fasciat; Väinämöinen recepta sanitate Deo gratias agit ob datum auxilium; 419–586.

CANTIO X

Väinämöinen domum reversus Ilmarinem hortatur, ut in Aquilonem profectus virginem in matrimonium petat, quam Samponem fabricando mereatur; 1–100. – Negat Ilmarinen se umquam in Aquilonem profecturum esse, quam ob rem Väinämöinen eum invitum iter suscipere potentia sua cogit; 101–200. – Ilmarinen in Aquilonem venit, ubi liberaliter acceptus ad Samponem fabricandam mittitur; 201–280. – Ilmarinen Samponem cudit, quam matrona Borealis in rupem Aquilonis demovet; 281–432. – Ilmarinen sibi virginem pro mercede petit; virgo vero se variis negotiis impeditam esse simulat dicens nondum sibi tempus adesse natalia relinquendi; 433–462. – Ilmarinen accepta nave domum reversus Väinämöini se Samponem Borealibus iam cudisse narrat; 463–510.

CANTIO XI

Lemminkäinen iter suscipit, ut virginem generosam in Insula habitantem in matrimonium petat; 1–110. – Puellae Insulanae eum primo derident, brevi autem tempore ab eo nimis quoque bene cognoscuntur; 111–156. – Una, Kyllikki nomine, propter quam profectus erat, animum ad blanditias eius non applicat; quam ob rem Lemminkäinen denique illa rapta et in traham coniecta abit; 157–222. – Kyllikki flet et cupiditatem bellandi, qua Lemminkäinen flagrat, magnopere indignatur; Lemminkäinen promittit se numquam bella

gesturum, si Kyllikki promiserit se numquam vicum petituram esse; dant invicem ius iurandum; 223–314. – Mater Lemminkäinis nuru iuvenili valde delectatur; 315–402.

CANTIO XII

Kyllikki iuris iurandi oblita in vicum it, qua re Lemminkäinen valde iratus ea statim repudiata proficisci constituit, ut virginem Borealem in matrimonium petat; 1–128. – Mater filium omnibus modis impedire conatur, ne proficiscatur, dicens eum ibi periturum esse; Lemminkäinen, dum comam pectit, pectine ferociter abiecto praedicat ex eo quoque simul ac ex semet ipso sanguinem manaturum esse; 129–212. – Cingitur, proficiscitur, in Aquilonem advenit, omnes viros ex atrio Aquilonis vi carminis expellit; unum pastorem malignum incantare praetermittit; 213–504.

CANTIO XIII

Lemminkäinen ab anu Aquilonis filiam petit; illa pro primo labore ei praecipit, ut alcem Hiisis assequatur; 1–30. – Lemminkäinen ferox et minitabundus alcem petere conatus brevi magno cum maerore intellegit se ita alcem capere non posse; 31–270.

CANTIO XIV

Incantationibus venatoriis satis usitatis precibusque modestis alcem tandem assecutus Lemminkäinen in Aquilonem secum ducit; 1–270. – Pro secundo labore cantherium Hiisis compescere iubetur; quem domitum in Aquilonem agit; 271–372. – Pro tertio labore in Mortis amne cygnum sagitta configere debet. Lemminkäinen ad amnem Mortis advenit; ibi pastor ab eo antea contemptus eum exspectat, occisumque in Mortis amnem inicit. Mortis filius praeterea corpus eius in frusta concidit; 373–460.

CANTIO XV

Quodam die domi Lemminkäinis ex pectine sanguis destillare incipit, quo facto mater intellegens filium iam interfectum esse in Aquilonem properat et a domina Aquilonis quaerit, quonam Lemminkäinem miserit; 1–62. – Domina Aquilonis facere non potest quin fateatur, quos Lemminkäini praescripserit labores; Sol de morte Lemminkäinis accuratius ei refert; 63–194. – Mater Lemminkäinis longo cum rastro sub Mortis torrentem se confert, aquam rastro contatur, donec omnia filii membra collecta in unum corpus coaptat et incantationibus unguentisque Lemminkäinem in pristinum statum restituit;

195–554. – Lemminkäinen recreatus narrat, quomodo in Mortis amne interfectus sit, et una cum matre domum revertitur; 555–650.

CANTIO XVI

Väinämöinen Sampsam Pellervoinem mittit, qui lignum ad navem faciendam quaerat; ex quibus lignis navigium fabricatur et tria verba desiderat; 1–118. – Quia verba desiderata alibi non invenit, ad Inferos proficiscitur, unde eum dimittere nolunt; 119–362. – Väinämöinen tamen sua virtute ab Inferis liberatur; reversus admonet, ne quis sponte illuc proficiscatur, narratque, quam miserabili et horribili condicione maligni homines ibi habitent; 363–412.

CANTIO XVII

Väinämöinen ad vatem, qui Antero Vipunen vocatur, proficiscitur, ut verba accipiat, eumque ex longo somno sub terra excitat; 1–98. – Väinämöinen a Vipune devoratur et in ventre eius male vexare eum incipit; 99–146. – Vipunen iam putat nescio quem morbum in ventrem incidisse, multisque verbis, incantationibus, artibus magicis et minis se liberare conatur. Väinämöinen autem negat se prius abiturum quam verba ad navem fabricandam desiderata a Vipune acceperit; 147–526. – Vipunen omnem suam sapientiam Väinämöini pandit, qui nunc demum ventre relicto ad navalia reversus navem perficit; 527–628.

CANTIO XVIII

Väinämöinen nova nave vehitur, ut virginem Borealem in matrimonium petat; 1–40. – Soror Ilmarinis eum videt et ex litore alloquitur; de itinere eius certior facta fratri nuntiare properat sponsam Ilmarinis, quam in Aquilone quondam sibi meruerit, iam esse in periculo; 41–266. – Ilmarinen ad iter se parat et equo vectus is quoque in Aquilonem secundum maris litus properat; 267–470. – Domina Borealis, cum procos advenientes videt, filiae suadet, ut Väinämöini nubat; 471–634. – Ipsa filia se Ilmarini, qui Samponem fabricaverit, nupturam esse pollicetur respondetque Väinämöini, qui iam atrium intravit, se eum non esse probaturam; 635–706.

CANTIO XIX

Ilmarinen atrium Aquilonis intrat, filiam sibi petit et ad labores periculosos mittitur, quibus sponsam sibi mereatur; 1–32. – Consiliis a virgine Boreali datis labores feliciter perficit; pro primo agrum anguibus scatentem arat, pro

secundo ursum Infernum et lupum Mortis domat, pro tertio lucium immensae magnitudinis in Mortis amne captat; 33–344. – Domina Borealis filiam Ilmarini promittit et despondet; 345–498. – Väinämöinen maesto animo ab Aquilone revertitur et monet, ne quis cum viro iuniore de virgine aemuletur; 499–518.

CANTIO XX

Taurus ingens in Aquilone ad nuptias celebrandas occiditur; 1–118. – Cervisia et cibi apparantur; 119–516. – Nuntii mittuntur, qui hospites ad nuptias invitent; solus Lemminkäinen non invitatur; 517–614.

CANTIO XXI

Sponsus et pompa nuptialis in Aquilone recipiuntur; 1–226. – Hospites cibo et potu bene satiantur; 227–252. – Väinämöinen cantat et domino dominaeque gratias agit; 253–438.

CANTIO XXII

Sponsa ad domum relinquendam praeparatur et de diebus tam praeteritis quam futuris commonetur; 1–124. – Sponsa fit anxia; 125–184. – Sponsae lacrimae eliciuntur; 185–382. – Sponsa plangit; 383–448. – Sponsae solacium praebetur; 449–522.

CANTIO XXIII

Sponsa docetur et admonetur, quomodo apud maritum se gerere debeat; 1–478. – Vetula quaedam vagabunda varios vitae casus enarrat, quomodo vixerit puella innupta et quomodo apud virum et post divortium; 479–850.

CANTIO XXIV

Sponsus monetur, quomodo sponsam accipiat, et illam male tractare vetatur; 1–264. – Senex vagabundus narrat, quomodo olim feminam suam sibi oboedientem fecerit; 265–296. – Sponsa lacrimis obortis recordatur sibi nunc caram domum natalem in aeternum relinquendam esse et omnibus suis valedicit; 297–462. – Ilmarinen sponsa in traham arrepta proficiscitur et tertio vesperi domum revertitur; 463–528.

CANTIO XXV

Sponsus et sponsa cum pompa nuptiali domi Ilmarinis recipiuntur; 1–382. – Homines cibo et potu bene satiantur; Väinämöinen cantat et domino, domi-

nae, pronubo, pronubae ac reliquo coetui nuptiali gratias agit; 383–672. – Post nuptias domum rediens Väinämöinen traham fractam reficit et domum pergit; 673–738.

CANTIO XXVI

Lemminkäinen graviter ferens se ad nuptias non esse invitatum nihilo minus in Aquilonem proficisci constituit; contemnit preces matris et ea multa pericula, quibus eum in itinere occursurum mater dicit; 1–382. – Itinere suscepto sapientia sua fretus omnia loca periculosa feliciter pertransit; 383–776.

CANTIO XXVII

Lemminkäinen in Aquilonem advenit et multis modis superbe se gerit; 1–204. – Dominus Aquilonis ira incensus, cum Lemminkäinem carminibus non superavit, eum ad pugnam singularem provocat; 205–282. – In pugna Lemminkäinen domino Boreali caput abscidit; quem ut ulciscatur, domina Borealis exercitum contra eum colligit; 283–420.

CANTIO XXVIII

Lemminkäinen ab Aquilone festinanter fugit, domum reversus matrem consulit, quo se conferat, ut Boreales vitet, qui mox omnibus copiis contra se, virum solum, sint bellaturi; 1–164. – Mater eum reprehendit, quod in Aquilonem profectus sit, variisque latebris non satis tutis propositis denique admonet, ut in insulam trans multa aequora sitam se conferat, ubi pater quoque olim annos magnorum bellorum securus vixerit; 165–294.

CANTIO XXIX

Lemminkäinen vento vela dat et in insulam feliciter appellit; 1–78. – In insula nimis audacter cum puellis ceterisque feminis ludit, quam ob rem viri irati eum interficere constituunt; 79–290. – Lemminkäinen properanter fugae se dat et insulam relinquit cum magno et suo et virginum maerore; 291–402. – In alto mari magna tempestas navem Lemminkäinis frangit; ipse in litus tranat et novo navigio accepto in patria litora appellit; 403–452. – Pristina atria concremata totumque domicilium devastatum videt, flere et lamentari incipit magnopere timens, ne mater quoque interfecta sit; 453–514. – Mater tamen vivit et in nova sede silvis cincta habitat, ubi Lemminkäinen eam magna cum laetitia invenit; 515–546. – Mater Boreales advenisse et atria concremavisse refert; Lemminkäinen nova atria etiam

meliora se facturum atque ipsos Boreales pro doloribus ulturum esse promittit matrique de tempore iucundo, quo in insula latuerit, narrat; 547–562.

CANTIO XXX

Lemminkäinen una cum Tiera, commilitone pristino, bellum contra Boreales suscipit; 1–122. – Domina Borealis Frigus contra eos mittit, quod navem eorum in mari congelat ipsos nautas quoque gelaturum, nisi Lemminkäinen carminibus efficacibus et verbis magicis illud conatu desistere coegisset; 123–316. – Lemminkäinen cum socio suo per glaciem litus petit et diu miserabilis per saltus desertos circumvagatur, donec in patria rura revertitur; 317–500.

CANTIO XXXI

Untamo fratri suo Kalervoni bellum infert, Kalervonem copiasque eius ita prosternit, ut de tota gente nemo fere nisi una mulier gravida relinquatur; mulierem secum ducit, quae filiolum, Kullervonem, in Untola parit; 1–82. – Kullervo iam in cunabulis cogitat, quomodo Untamonem ulciscatur; qui eum multis modis interficere conatus tamen vita privare non potest; 83–202. – Kullervo, cum adolevit, omnia opera sibi data perperam facit et Untamo id aegre ferens eum vendit, qui Ilmarini serviat; 203–374.

CANTIO XXXII

Uxor Ilmarinis Kullervonem armenta pascere iubet et in pane, quem pro viatico dat, lapidem consulto imponit; 1–32. – Domina solitis cum incantationibus et verbis contra ursum dictis armenta in pascua mittit; 33–548.

CANTIO XXXIII

Kullervo, dum boves pascit, die in vesperum vergente panem de mantica sumptum secaturus cultrum pessime corrumpit; quod eo aegrius fert, quod ille culter unica fuerit res memorialis a sua familia relicta; 1–98. – Meditatur, quomodo dominam ulciscatur; armenta in paludem pellit, gregem colligit luporum ursorumque, quos vesperi domum agit; 99–184. – Domina, quae vaccas vult mulgere, a bestiis dilacerata interficitur; 185–296.

CANTIO XXXIV

Kullervo a domo Ilmarinis fugit, maestus in silva ambulat, ubi a vetula silvestri cognoscit sibi patrem, matrem, fratrem et sororem adhuc esse vivos; 1–128. – Consilium vetulae secutus eos in confinio Lapponum invenit;

129–188. – Mater narrat putavisse se Kullervonem iam pridem perisse refertque maiorem filiarum bacas in silva carpentem evanuisse; 189–246.

CANTIO XXXV

Kullervo apud parentes varia opera facere conatur, sed ad ea minime utilis a patre ad vectigalia solvenda mittitur; 1–68. – Vectigalibus solutis rediens in germanam suam, quae bacas carpens a via recta aberravit, sibi ignotam incidit eamque illecebris usus corrumpit; 69–188. – Postquam apparuit eos sororem fratremque esse, illa in fluvium currit, hic domum properat, ubi matri rem horribilem narrat, quomodo sororem corruperit; quo facto ipse quoque vitam suam finire meditatur; 189–344. – Mater ei praedicit, ne mortem sibi consciscat, suadetque, ut in aliquo latibulo mentis tumultus sedet; tum Kullervoni in mentem venit ante omnia sibi Untamonem esse ulciscendum; 345–372.

CANTIO XXXVI

Kullervo se ad bellum parat et familiaribus valedicit, ex quibus nemo nisi mater dicit sibi curam eius esse, quo abeat, utrum periturus an vivus evasurus sit; 1–154. – In Untamolam venit, omnes prosternit, domos incendit; 155–250. – Domum reversus eam vastam et desertam invenit totoque loco nullum animal vivum nisi atrum canem, quocum venatum proficiscitur, ut cibum habeat; 251–296. – In silva ambulans in eum locum incidit, ubi sororem corrupit, et male sibi conscius gladio vitam finit; 297–360.

CANTIO XXXVII

Ilmarinen coniugem mortuam diu flet, deinde ex auro et argento sibi novam feminam fabricatur, quam magno cum labore ita perficit, ut nihil nisi spiritus desit; 1–162. – Noctem cum aurea sponsa concubat et mane experrectus id latus perfrigidum sentit, quod contra simulacrum verterat; 163–196. – Sponsam auream repudiatam Väinämöini donat, qui tamen eam non vult et Ilmarinem admonet, ut ex ea alias res necessarias faciat aut talem, qualis sit, peregre exportet, ubi volentes eam sibi petant; 197–250.

CANTIO XXXVIII

Ilmarinen in Aquilonem proficiscitur, ut sororem minorem pristinae uxoris in matrimonium petat; ibi verbis asperis receptus irascitur et filia rapta domum versus iter incipit; 1–124. – Etiam in itinere virgo maledicta in Ilmarinem congerit et ita animum eius offendit, ut Ilmarinen tandem graviter motus eam incantatione in larum mutet; 125–286. – Domum reversus Väinämöini nar-

rat, quam bene Boreales Sampone usi vivant et quomodo sibi virginem petenti res ceciderit; 287–328.

CANTIO XXXIX

Väinämöinen Ilmarinem hortatur, ut secum ad Samponem a Borealibus petendam proficiscatur; qua ratione ab Ilmarine probata heroes iter suscipiunt; 1–330. – Lemminkäinen eos navigantes animadvertit et, cum audivit, quo vehantur, pollicetur se virum tertium; eum libenter accipiunt, ut comes tertius fiat; 331–426.

CANTIO XL

Viri Samponem petituri ad torrentem veniunt, sub quo navis in dorso lucii ingentis inhaerescit; 1–94. – Lucium necant, caput in navem tollunt, coquunt, comedunt; 95–204. – Väinämöinen ex lucii maxilla nablium facit, quo multi conantur sed nemo scit canere; 205–342.

CANTIO XLI

Väinämöinen ita fidibus canit, ut omnia animalia et omnes viventes, immo dei aëris, terrae et maris, ad cantum audiendum concurrant; 1–168. – Omnium animi cantu adeo commoventur, ut lacrimae oboriantur; et ex oculis ipsius Väinämöinis magnae lacrimae manant, in terram cadunt et in aquam delabuntur, ubi pulchrae margaritae caerulei coloris fiunt; 169–266.

CANTIO XLII

Heroes in Aquilonem adveniunt, Väinämöinen ipsos ad Samponem dividendam venisse dicit; nisi bona cum venia dimidiam partem ceperint, se totam per vim ablaturos esse; 1–58. – Domina Aquilonis eam neque cum bona venia neque vi coacta dare vult et copias Boreales cogit, quae advenis resistant; 59–64. – Väinämöinen fidibus sumptis canere incipit, omnes Boreales somno sopit; una cum comitibus ad Samponem videndam accedit; eam ex rupe solvunt et in navem portant; 65–164. – Samponem in nave vehentes Aquilone relicto feliciter domum versus navigant; 165–308. – Tertio die domina Borealis ex somno excitata Samponem deportatam esse videt, nebulam densam, magnum ventum aliaque obstacula creat, quae Samponis deportatores impediant, donec eos consequatur; tempestate orta Väinämöinen novum nablium in mare perdit; 309–562.

CANTIO XLIII

Domina Borealis navem longam parat et eos, qui Samponem deportant, insequi incipit; 1–22. – Cum eos deprehendit, inter Boreales et Kalevalenses in mari pugna oritur, ex qua hi superiores discedunt; 23–258. – Nihilo minus dominae Boreali contingit, ut Samponem e nave in mare deiciat, ubi in frusta frangitur; 259–266. – Partes maiores mari demerguntur, quibus mare fruatur; minores autem fluctibus in litus aguntur, quo facto Väinämöinen gavisus ex iis initium novae fortunae sibi futurum esse sperat; 267–304. – Domina Borealis minatur se omnes Kalevalensium opes deleturam esse, quas minas Väinämöinen se timere negat; 305–368. – Domina Borealis aegre ferens, quod potentiam amiserit, in Aquilonem revertitur neque ex tota Sampone quicquam aliud nisi operculum secum recipit; 369–384. – Väinämöinen omnia Samponis frusta ex litore colligit efficitque, ut crescere incipiant, et in aeternum omnia fausta et felicia precatur; 385–434.

CANTIO XLIV

Väinämöinen nave soluta nablium amissum ex mari quaerit; neque tamen id recipere potest; 1–176. – Novum nablium ex betulla facit, quo canit et totam naturam cum omnibus creaturis delectat; 177–334.

CANTIO XLV

Domina Borealis morbos insolitos in Kalevalam mittit; 1–190. – Väinämöinen populum incantationibus et unguentis sanat; 191–362.

CANTIO XLVI

Domina Borealis ursum contra armenta Kalevalensium excitat; 1–20. – Väinämöinen ursum prosternit, quo facto solitae epulae in Kalevala celebrantur; 21–606. – Väinämöinen fidibus canit et in futura quoque tempora eandem vitam laetam Kalevalensibus exoptat; 607–644.

CANTIO XLVII

Sol et luna descendunt, ut cantum Väinämöinis audiant; domina Borealis eos deprehendit, in montem abdit et ignem quoque ex domibus Kalevalensium furatur; 1–40. – Ukko, deus supremus, tenebras caeli miratur et ignem suscitat, ex quo nova luna et sol fiant; 41–82. – Ignis in terram cadit; Väinämöinen una cum Ilmarine ad eum quaerendum proficiscitur; 83–126. – Nympha vento nata eis narrat ignem in lacum Aluensem incidisse ibique a

pisce devoratum esse; 127–312. – Väinämöinen et Ilmarinen reti ex cortice facto piscem petere frustra conantur; 313–364.

CANTIO XLVIII

Rete linteum parant eoque piscem, qui ignem devoravit, feliciter capiunt; 1–192. – Ignis, quem in ventre piscis inveniunt, repente effugit genis manibusque Ilmarinis male ustis; 193–248. – Ignis in silvam surgit, multas terras cremat semper procedens, donec capiatur et in domos tenebricosas Kalevalensium portetur; 249–290. – Ilmarinen ex vulneribus combustis sanatur; 291–372.

CANTIO XLIX

Ilmarinen novam lunam et solem cudit, sed efficere non potest, ut luceant; 1–74. – Väinämöinen sortibus usus certior fit lunam et solem in monte Aquilonis inclusos esse, in Aquilonem proficiscitur, contra populum Borealem pugnat, superior discedit; 75–230. – Lunam et solem in monte visere vult, sed montem intrare non potest; 231–278. – Domum revertitur, ut sibi arma facienda curet, quibus montem aperiat. Dum Ilmarinen ea fabricatur, domina Borealis timens, ne sibi quoque male eveniat, lunam et solem ex monte liberat; 279–362. – Väinämöinen, cum lunam et solem in caelo vidit, eos salutat et exoptat, ut semper bene currant et terris felicitatem ferant; 363–422.

CANTIO L

Virgo Marjatta ex myrtillo rubro praegnans facta filium parit; 1–350. – Puer adhuc parvus e conspectu abit et tandem in palude invenitur; 351–424. – Senex acquiritur, qui puerum baptizet, sed patre orbum baptizare non vult, priusquam exploretur et constituatur, sitne vita pueri servanda; 425–440. – Väinämöinen venit, qui rem exploret, et statuit, ut puer tam mirus necetur; sed puerulus quindecim dierum eum vituperat, quod perperam iudicaverit; 441–474. – Senex puerum baptizat et regem Carelorum nominat, quo facto Väinämöinen iratus in aeternum abit vaticinatus tempus fore, quo se desiderent, ut novam Samponem, nablium et lumen populo paret; nave aënea inter terram et caelum navigat, ubi forsan adhuc superest, sed nablium et magna carmina populo in hereditatem reliquit; 475–512. – Epilogus; 513–620.

Incantationes, origines et alia verba magica variis cantionibus inserta.

II	296–330:	verba seminatoris.
IX	29–266:	origines ferri.
	271–342:	maledicta in ferrum congesta.
	343–416:	verba ad sanguinem sedandum dicta.
	507–516:	verba ad Dei tutelam habendam dicta.
	539–546:	verba ad vulnus fasciandum dicta.
XII	144–184:	verba incantatoris gloriantis.
	255–296:	verba contra magos et veneficos dicta.
	373–378:	verba ad canem incantandum dicta.
XIV	23–230:	incantationes venatoriae.
	253–264:	verba sacrificantis.
XV	315–376:	verba ad venas reficiendas dicta.
	393–402,	
	422–436,	
	473–488,	
	493–506:	verba api dicta.
	591–602:	origines serpentis aquatici.
XVII	157–166:	verba ad daemonem fugandum dicta.
	167–244:	origines malorum ignotorum; 179–184 verba a morbo, quem Deus misit, protegentia; 185–238 origines facinorum et maleficiorum.
	245–256:	verba contra morbos a magis et veneficis missos dicta.
	257–308:	verba, quibus auxilium invocatur.
	309–396:	verba, quibus malum in suam ipsius sedem relegatur; 317–346 verba ultionis.
	397–446:	exsecrationes communes; 433–446 verba defixionis.

	447–474:	verba, quibus malo vectura praebetur, ut possit discedere.
	475–484:	verba, quibus malum discedere cogitur.
	485–494:	verba, quibus malum perterretur.
	495–504:	verba necessitate urgente dicta.
XVIII	29–40:	verba, cum navis solvitur, dicta.
XIX	78–90:	verba ad serpentem amovendum dicta.
XX	139–424:	origines cervisiae; 345–360 verba api dicta.
XXVI	633–670:	verba ad serpentem sedandum dicta.
	695–758:	origines serpentis.
XXX	143–316:	incantatio frigoris.
	447–480:	verba contra magos et veneficos dicta.
XXXII	37–542:	incantationes, quae armentis in pascua mittendis dicuntur; 141–228 verba, quorum vi vaccae lac ubertim praebeant; 273–314 ad armenta domum reducenda; 315–542 ad ursum admonendum et depellendum.
XL	23–82:	verba in torrentem dicta.
XLII	197–216:	verba remigantis.
XLIII	191–206:	verba bellantis.
	401–434:	verba contra magos et veneficos dicta.
XLV	23–176:	origines morborum; 117–146 verba ad partum adiuvandum dicta.
	211–228:	verba in balneo dicta.
	259–312:	verba contra dolores dicta.
XLVI	47–144:	verba venatoris, qui ursum petit.
	355–458:	origines ursi.
XLVII	67–364:	origines ignis.
XLVIII	123–150:	verba piscatoris.
	301–366:	verba ad usturas sanandas dicta.
XLIX	81–104:	verba sortitoris.

Cantus nuptiales

XIX	357–498:	cantus sponsalibus data dextra confirmatis cantatus.
XXI	10–226:	cantus, quo sponsus in nuptias adveniens salutatur.
XXII	7–124:	cantus, quo sponsa sponso committitur.
	188–382:	cantus ad lacrimas sponsae exciendas cantatus.
	451–522:	consolatio sponsae.
XXIII	15–478:	praecepta sponsae data.
	485–850:	cantus, in quo vetula quaedam vitam coniugalem infelicem, sicut sibi contigerit, describit.
XXIV	5–264:	praecepta sponso data.
	301–462:	sponsa domo profectura suis gratias agit et valedicit.
XXV	41–126:	cantus sponso domum suam cum nova nupta revertenti cantatus.
	127–382:	cantus, quo sponsa in domum sponsi veniens accipitur.
	453–672:	gratiarum actio.

Index nominum

Horna, rupes fabulosa.
Hälläpyörä, amnis rapidus Tavastorum.
Iku-Turso, monstrum marinum.
Ilmarinen, *Ilmari*, faber fabulosus, frater et socius Väinämöinis.
Ilmatar, nympha vento nata, mater Väinämöinis (I 110–344), natu maxima omnium nympharum (XLVII 141–312).
Ilpotar v. *Louhi*.
Imatra, cataracta fluminis Vuoksi.
Inferi, locus, ubi mortui esse credebantur. Subst. *Inferus*, vir in Inferis habitans. Adi. et *Infernalis*, *Infernus*. Cf. *Letum*, *Mors*.
Ingria, provincia Careliae vicina.
Insula, domicilium Kyllikkis, quae ideo *Insulana virgo*, *flos Insulae* vocatur.
Insulanus, cognomen Lemminkäinis.
Iordanes, amnis Palaestinae.
Joukahainen, *Jouko*, iuvenis Lappo; eius domicilium *Joukola*, ubi *Joukolensis rivus*.
Iuniperus, nympha, arbor iuniperus personificata.
Juutas, Hiisi, malus genius.
Kaatra, amnis rapidus Careliae Septentrionalis.
Kalervo, pater Kullervonis.
Kaleva, heros fabulosus, cuius posteri erant Väinämöinen et Ilmarinen. Etiam Lemminkäinen *Kalevalanus* (XIII 103) aut *proles Kalevae* (XIV 438, XV 274) dicitur. Adi. *Kalevensis*.
Kalevainen, vir stirpis Kalevensis.
Kalevala, domicilium stirpis Kalevensis. Adi. *Kalevalanus*, *Kalevalensis*.
Kalevatar, femina stirpis Kalevensis.
Kammo, genius lapidis.
Kapo v. *Osmotar*.
Kauko, *Kaukolainen*, *Kaukomieli* v. *Lemminkäinen*.
Kauppi, faber lignarius, qui axiculos sive lubricos, quibus per nives curritur, faciebat; vocatur etiam *Lyylikki*.
Keitolainen, malus genius, ex cuius hasta lingua serpentis est facta.
Kemi, flumen Finlandiae Septentrionalis.
Kimmo, filius Kammonis.
Kuippana, genius silvarum.
Kullervo, *Kullervoinen*, heros principalis cantionum XXXI–XXXVI, filius Kalervonis.
Kuura v. *Tiera*.
Kylli, *Kyllikki*, uxor Lemminkäinis, quam ille sibi rapuit.
Lappi, *Lappones*, sg. etiam *Lapponus*. Adi. *Lapponicus*.
Lemminkäinen, *Lempis filius*, unus ex heroibus principalibus Kalevalanis;

vocatur etiam *Ahti (Insulanus), Kauko, Kaukolainen, Kaukomieli, proles Kalevae, Kalevalanus.*

Lempo, malus genius, plerumque idem atque Hiisi.

Letum, Mors, mors personificata. Etiam locus, ubi mortui esse credebantur. Cf. *Funus, Inferi, Nex.*

Lokka, mater Ilmarinis.

Louhi, anus Aquilonis sive domina, era Borealis; appellatur etiam *Ilpotar* (XXVII 71, 123).

Loviatar, caeca puella Mortis, quae vento fecundata morbos peperit.

Luna, luna personificata; nominatur etiam *nympha* aut *virgo Lunae.*

Lupulus, humulus lupulus, herba personificata.

Lyylikki v. *Kauppi.*

Malignus, malus genius.

Malus, malus genius.

Marjatta, nomen virginis Mariae in cantione L, quae Christianae est originis.

Metsola, silva (Finn. metsä) personificata, saepe nomen alternativum Tapiolae. Adi. *Metsolensis.*

Mielikki, domina silvae, coniux Tapionis; XIV 217 etiam *Mimerkki* appellatur.

Mimerkki v. *Mielikki.*

Morbona (Finn. Kiputyttö), Mortis virgo, quae morbos et dolores colligebat.

Morbosa (Finn. Kivutar), domina morborum, vocatur etiam *Plaga* (Finn. Vammatar).

Morbus: Morbi collis sive *mons,* quo morbi et dolores incantationibus expellebantur.

Mors v. *Letum.*

Muscovita, Moscovita, femina Russa (XXIII 70).

Nemora Mellita, locus fabulosus.

Neva, flumen de lacu Ladoga in Sinum Finnicum influens; rupes eiusdem fluminis.

Nex, mors violenta personificata.

Nyyrikki, filius Tapionis, genius silvae.

Osmo, nomen fabulosum Kalevae progeniem significans; Osmonis domicilium vocatur *Osmola,* de quo adi. *Osmolanus.*

Osmotar, femina stirpis Kalevensis; vocatur etiam *Kapo.*

Palvoinen, numen.

Pellervoinen v. *Sampsa.*

Pestifer, morbus ex Mortis puella natus.

Phthisicus, morbus ex Mortis puella natus.

Piltti, servula Marjattae.

Pinus, nympha, arbor pinus personificata.

Pisa, collis in paroecia Savonum Nilsiä situs. Adi. *Pisanus.*

Plaga v. *Morbosa*.
Porriginosus, morbus ex Mortis puella natus.
Prunus, nympha, arbor prunus personificata.
Revalia, castellum Esthoniae, hodie Tallinn.
Rumor, pater Lupuli (q.v.), rumor (strepitus) personificatus.
Ruotus, dominus malignus, qui Marjattae balneum negat. Forma depravata nominis *Herodes*.
Russia, *Ruthenia*, terra Finnis in oriente vicina. Eius incolae *Russi*.
Rutja, hodie Finn. Ruija, provincia Norwegia Finmarchia (Norweg. Finnmarken).
Sampo, instrumentum quoddam magicum ad paranda ea, quae ad victum cultumque suppeditant, maxime valens. Appellatur saepe etiam *firmamentum* (Finn. kirjokansi 'varium operculum', 'caelum stellis variegatum').
Sampsa Pellervoinen, adiutor Väinämöinis, qui arbores serit et illi materiam ad navem faciendam quaerit.
Sara, 1) amnis fabulosus; 2) domus Borealium.
Sariola, nomen alternativum Aquilonis sive Boreae. Adi. *Sariolanus*.
Savones, gens Finnorum.
Saxones, gens Germanorum.
Septentrio v. *Aquilo*.
Sinus Amatorum, locus fabulosus.
Sol, sol personificatus; nominantur in carmine etiam *Solis filius* et *Solis filia* aut *nympha*.
Sorbus, nympha, arbor sorbus personificata.
Stella, stella personificata; nominatur etiam *Stellae virgo*.
Suecia, terra Finnis in occidente vicina.
Suomela, nomen alternativum Väinölae. Adi. *Suomelensis*.
Suonetar, vena (Finn. suoni) personificata.
Suvantola, nomen alternativum Väinölae. Adi. *Suvantolanus*.
Syöjätär, 'estrix', 'devoratrix', spiritus malignus, ex cuius sputo serpens est natus.
Tapio, silva personificata, silvae genius.
Tapiola, domicilium Tapionis. Adi. *Tapiolanus*.
Tavasti, gens Finnorum.
Tellervo, nympha silvestris.
Tiera, commilito Lemminkäinis, etiam *Kuura* appellatus.
Tumor, morbus ex Mortis puella natus.
Turja, *Tyrjä*, nomen alternativum terrae Lapponum; eius incolae *Turjani*, sg. *Turjanus*, *Turjalanus*.
Tursas, monstrum marinum.

Tuulikki, filia Tapionis.
Tuuri, numen.
Tyrjä v. *Turja*.
Ukko, 'senex', summus deus Finnorum antiquorum.
Unda, unda personificata.
Untamo, 1) magnus vates, qui sub terra dormiebat (V 17, 21); 2) frater Kalervonis, vocatur etiam *Untamoinen*, *Unto*. Eius domicilium *Untola*.
Untamoinen v. *Untamo* 2.
Untamolensis: caeculus Untamolensis vocatur XV 576 pastor Borealis, qui Lemminkäinem occidit.
Unto, *Untola* v. *Untamo* 2.
Ursae virgo, ursae sidus personificatum.
Uvanto, nomen alternativum Väinölae sive Suvantolae. Adi. *Uvantolanus*.
Vellamo, maris et aquarum domina, coniux Ahtonis.
Vipunen v. *Antero*.
Virokannas, senex Carelus, qui magnum taurum mactare conatur (XX) et filium Marjattae baptizat (L).
Virones v. *Aestii*.
Vuojolanus, Lapponus.
Vuoksi, flumen rapidum, quod de lacu Finlandiae Orientalis Saimaa in Ladogam influit.
Väinö, *Väinämöinen*, heros principalis carminis et maximus vates. Eius domicilium vocatur *Väinölä*. Adi. *Väinölensis*.

Hoc opere continentur:

Senex prolem properanter,
sine mora baptizavit,
ut rex esset Carelorum,
custos cunctae potestatis. (L: 475-478)

Inde mater Lemminkäinis
natum blandum blandiendo
recreavit in priora
atque pristinam in formam;
quin et paulo meliorem,
virum fortiorem fecit. (XV: 603-608)

KALEVALA
Latina



KALEVALASEURA
SOCIETAS KALEVALENSIS

SUOMALAISEN KIRJALLISUUDEN SEURA
SOCIETAS LITTERARUM FINNICARUM

In operculo emblemata Baptisma et
Finis vitae. Delineavit Akseli Gallen-Kallela,
effecit Alpo Sailo a. 1930
Photographemata: Jouko Jokinen
Operculum designavit: Paula Jääskeläinen

ISBN 951-717-901-4